
DE SEDE INFERNI

IN TERRIS QUÆRENDA

PARS PRIMA,

In qua nova refellitur opinio Swindenii Doctoris Angli Sedem Inferni in Sole collocantis.



CAPUT I.

Conspectus novi Systematis a D. Swindenio confisti de sede Inferni in Sole quaerenda.

Quum pauca admodum exemplaria Swindeniani libelli, quem in hoc Opere confutandum suscipimus, ex Anglia in Italiam delata sint, adeoque plurimi, ne levem quidem cognitionem hauserint de novo quoad locum Inferni conficto systemate; rem Lectori haud ingratam facturum me puto, si quamdam veluti synopsim ejusdem suismet oculis in antecessum subjiciam, ut uno conspectu perspiciat, quid Swindenius senserit de Inferni sede, quæque commentus est ad novam, & hactenus inauditam hypothesim suam construendam atque firmandam.

Duo sub initium sibi discutienda præfigit Theologus Anglus in Opere suo, quorum alterum qualitatem, sive conditionem supplicii spectat, quo in futura vita plectendi sunt impii pro meritorum ratione: alterum vero locum, aut loci situm præfinitum, in quo hæc impiorum exercenda vindicta est; ac primum quidem levi manu exequitur, nec alio sane, ut videtur, consilio, nisi ut planiorem, & expeditam sibi viam sternat ad alterum, quod fuso sermone tractat per totum ferme libellum suum. Itaque constituta Cap. primo adversus Atheos veritate divinæ ultionis, quæ improbos post mortem manet, describit Cap. 2. pœnas, ac supplicia impiis parata, quæ commemorantur in sacris libris, ignem scilicet inextinguibilem, vermem immortalem, tenebras horribiles, Dæmonum, aliorumque reproborum miserrimam societatem, ac demum pœnarum omnium acerbissimam privationem beatificæ gloriæ, aliorumque bonorum omnium. Quibus enumeratis, paucis ostendit *Infernum*, quem torquendis reprobis destinatum sæpissime enunciant divina oracula, locum habendum esse realem, non metaphoricum, ut aliqui perperam opinati sunt, proprieque, non figuratim sumenda, quæ de eo leguntur tum in Evangelio, tum in Epistolis canonicis Petri, & Judæ.

His ita delibatis, quæ nemo Catholicorum non ultro admiserit, nosque in libris *De futuro impiorum statu*, longe fusiore calamo vindicavimus, pluribus adjectis ad hæc amplius illustranda animadversionibus, disquisitionem Swindenius orditur Cap. 3. *de situ Inferni*: primumque varias affert, interque se dissidentes de hac quæstione Gentilium, Judæorum, Christianorumque opiniones. „ Græci quidem, inquit, (ut in latinum vertam quæ scripsit Gallico idiomate); „ Luciano teste, Inferos sub terra esse crediderunt in spatioso quodam, ac tenebricoso loco. Verum doctrinam hanc „ non alio ex fonte hauserunt, quam „ Poetarum, Homeri in primis, & Hesiodi. Inter Latinos autem, alii eos „ locarunt subter Averni lacum in Campania Neapolitani Regni Provincia: „ alii sub Tænaro Laconiæ promontorio; alii in fluvio Stygis, quod aquæ ipsius fœtidissimæ sint, necemque afferant halitu pestilenti. Verum hæc „ Poetarum figmenta sunt, quæ nemo „ non rideat „.

Quare fabulis hisce prætermissis, ad Judæos se convertit Swindenius, quibus de statu futuræ vitæ lux melior affulsit. Quid tamen? Nihil omnino ne in horum quidem libris de situ inferni quærendum esse, e vestigio definit. Nam tametsi, quæ ad futuram vitam attinent, sive miseram, sive beatam, Prophetis, ac Sapientibus, maxime autem Pharisæis, satis perspecta forent, atque comprehensa; Judæorum tamen vulgus in profunda versabatur ignorantiæ nocte, nec certi quidpiam, liquidive colligebat ex parabolis sive symbolicis locutionibus, queis veritates hujusmodi tegebantur. Unde & Sadducæi inter ipsos tum animorum immortalitatem, & Angelos impune negabant, tum resurrectionem corporum, tum etiam bonorum, malorumque, post mortem præmia, & supplicia. Explicatam harumce rerum notitiam solus intulit Mundo divinus Servator noster Christus Jesus, qui figurarum, typorumque umbris evangelica luce discussis, præmiorum, pœnarumque futurarum perspicuas hominibus notiones exhibuit, nitideque prodidit Cœlum esse fælicissimam Beatorum sedem, Inferos autem Dæmonum, omniumque reproborum carcerem sempiternum.

Numquid igitur qui a Christo Jesu, & Apostolis fidei rudimenta primitus accepere, rectam ideam animo informarunt de Inferorum sede? Minime gentium, inquit Swindenius. Vulgari namque errore abducti primitivæ Ecclesiæ fideles Cælum nempe non esse sphæricum, sed instar arcus amplissimi terræ longe, lateque imminere, in eamque desinere, veluti in quamdam totius mundi basim, aut fundamentum, subintulerunt inferiores terræ partes, utpote a Sole, Cæloque remotissimas sedem esse Inferorum, neque alibi quærendum damnatorum carceris locum: cui absurdæ sententiæ cæteri deinceps Christiani firmiter adhæsere, etiam post detectum antiquorum de Mundi Systemate errorem. Porro, subdit nuperus Auctor, argumentum præcipuum, quo hypothesim suam, sive errorem propugnarunt primi Christifideles, & quo etiam frequentius usi sunt sequiorum Sæculorum Patres, ductum erat ex dogmate de *descensu Christi ad inferos*, quod firmare, & explicare studuerunt quibusdam Sacræ Scripturæ textibus, maximeque verbis Apostoli de Christo ad Ephesios dicentis, *descendit in inferiores partes terræ*. Textum hunc perperam ab illis intellectum, & expositum fuisse fidenter affirmat, aliumque eidem sensum affingit plane diversum fretus auctoritate Pearsonii, Hammondi, & Hemmingii, quos omnibus præfert Ecclesiæ Patribus, de quibus silet. Hinc vero concludit nullum esse in Sacris Codicibus de subterranea Inferni regione stabile fundamentum, atque adeo liberum fuisse sibi in hac quæstione sentire, quidquid libuerit, sedemque Inferni in ea collocare Universi parte, quæ sibi visa fuerit accommodatior damnatis omnibus continendis, cruciandisque. Porro ad hanc dirimendam controversiam pollicetur ipse operam se daturum, ut ea quam religiose principia sequatur, quæ & revelato Dei verbo, & rectæ rationi, sive philosophicæ disciplinæ conformiora judicaverit.

Ut ergo juxta hæc principia quæstionem facilius, atque solidius solvat Swindenius, duo constituit, veluti explorata, penitusque Christiano homini perspecta. Et primum quidem Inferorum ignem, de quo est in sacris litteris mentio frequentissima, non metaphoricum putandum esse, sed realem, atque corporeum: id quod probat toto *Cap.* 4. pluribus tum Scripturarum, tum Sanctorum Patrum testimoniis, invehiturque vehementissime in eos omnes, qui Scripturæ verba ad tropicum sensum temere, violenterque detorquent, nec ullam censent habendam esse rationem tot Ecclesiæ Patrum, qui non alio in sensu, quam proprio, ac nativo verba illa continenter intellexere. *Cur*, inquit, *ad crassam, futilemque imaginationem hujusmodi veritatem pertrahimus; quæ locutionibus tam perspicuis revelata nobis est in sacris litteris? An Sapientia ipsa divina sapientiores nobis videri volumus, aut tot summorum hominum ingenia, ac testimonia flocci pendere, ac* con-

contemnere, *ignemque tartareum*, *Scepticorum more*, *ad nihilum ferme redigere? Quamquam enim difficile admodum explicatu sit*, *quî fieri queat*, *ut corporeus ignis aeternum duret*, *ac spiritus etiam torqueat penitus incorporeos*, *numquid hoc impossibile idcirco dicemus*, *aut omnipotentiam divinam cognitis naturæ legibus*, *& imbecillis mentis nostræ notionibus*, *atque ideis subjiciemus*. Hæc ille, & quidem recte: neque de hac positione sua ulla inter nos dissensio est, aut esse potest Catholico viro.

Alterum quod Swindenius præmittit, totoque conatu ingenii sui pluribus probare satagit, sententiam spectat vulgatissimam inter Christianos de Inferorum carcere, sive loco intra telluris nostræ viscera latente ad puniendos reprobos destinato. Hanc ipse veluti omnino improbabilem rejicit, rejiciendamque ab omnibus existimat. Argumenta ejus compendio collecta hæc fere sunt omnia. Primo nempe, quod repugnet ingentem ignis massam intra terram existere, & conservari: deinde quod perpetua igni inferenda foret violentia, si in loco figeretur subterraneo, a quo maxime abhorret. Ac tertio demum, quod intra terræ viscera tantumdem spatii concipi nequeat, quantum suppetat reprobis omnibus complectendis tum Angelis, tum hominibus. Atque hoc postremum argumentum illud est, cui vel maxime fidit Doctor Anglus, eoque solo satis evinci putat vulgaris sententiæ de subterranea Inferorum sede repugnantiam.

Ex quibus *Cap.* 6. Swindenius colligit, alibi, quam intra cavitatem terræ, quærendum esse inferorum carcerem. Ipse vero post diutinam perquisitionem locum nullum aptiorem tandem repperisse putat, præter Solem, sive solarem globum, in quo ea affatim conspirant, quæ in telluris meditullio desiderantur, frustraque quæras in aliis corporibus: atque adeo *Solem* Infernum esse decernit impiis omnibus puniendis paratum a Supremo judice Deo. At ne quis statim commoveatur ad novæ, nec prius auditæ hypothesis prospectum, omnemque abs se amoliatur invidiam, plura congerit in laudem *speculationis*, unde ait, tum Religioni, tum vitæ civili ingentia commoda uberrime proficiscuntur, demumque testatur se in novam hanc opinionem de Solari sede Inferni adductum fuisse gravissimis de causis, quas refert capite insequenti.

Gravissima porro hæc, ut Swindenius jactat, momenta, quibus thesim suam constitutam confirmet, sunt; 1. Solis ignea natura est, adeoque damnatis comburendis aptissima præ cæteris quibuscumque hujus universi corporibus. 2. magnitudo solaris globi apud omnes Astronomos compertissima spatium amplum suppeditat reprobis continendis. 3. In Copernicano Systemate, quod Auctor præeligit, certumque præsumit, Sol mundi centrum tenet, Cælum vero empyreum veluti extimum reliquos omnes stellarum globos, planetarumque complectitur. Ut autem in empyreo pii degunt, tamquam in supremo, atque editissimo Mundi loco; sic impii ad centrum detrusi sunt ab eo remotissimum, ut in carcerem, atque custodiam. 4. Beatorum, Damnatorumque sedes, quod assensione omnium comprobatum est, mutuo sibi opponuntur, ut vitium & virtus, Deus & Diabolus, Lux & tenebræ: quæ oppositio haud se prodit conspicuam, nisi locum plectendis impiis constitutum in Sole agnoscamus. Alia id genus a Swindenio allata argumenta modo præterire lubet, quæ aptius proferentur in loco, & ad examen vocabuntur.

Tria, quæ sequuntur capita Swindeniani libelli, versantur omnia in diluendis difficultatibus, quas adversum Systema suum urgeri ubertim posse ominatur Author, quarum alias derivat ex novitate sententiæ; alias ex principiis philosophicis, ac positionibus; alias denique ex iis, quæ de Sole commemorant Sacræ litteræ, & beneficiis, quæ ex hoc consequimur astro splendidissimo. Illud tamen observatione dignum est; quod quamquam haud paucæ sint, quas solvendas sibi proponit objectiones, plurimas tamen alias, & illas quidem gravioris longe momenti, alto silentio prorsus obvolvat: quod an subdola arte præstiterit, Lectoribus dijudicandum relin-

quo r. neque enim easdem ignoravisse credibile est.

Post hæc tandem Swindenius *Cap.* 11. asserta contra Origenistas, & Socinianos pœnarum Inferni æternitate suum opusculum claudit *Cap.* 12, & ultimo sermone converso tum ad Incredulos, quorum ingens præsertim in Anglia multitudo est, tum ad Christifideles de situ Inferni, vel secum sentientes, vel a se discrepantes, tum postremo ad Summum Deum, qui sempiternum ignem Dæmonibus, & impiis in futura vita destinavit: qua in allocutione potiora sententiæ suæ fundamenta complectitur, novumque subnectit ex libro Apocalypseos excerptum eidem confirmandæ, ut ipse putat, valde opportunum.

Hæc itaque totius libelli Swindeniani est paucis lineis contracta facies & œconomia: hic novæ, & antea inauditæ de Inferorum sede opinationis conspectus: quam quidem prima fronte nonnisi merum ingenii lusum quibusdam videri facile posse Author consentit: illud tamen futurum sibi blanditur, ut nemo eamdem non ultro, ac lubentissime excipiat, atque admodum verisimilem, aut certam etiam esse deprehendat, quicumque sepositis præjudiciis examen de re hac accuratum susceperit, momentaque omnia, quæ tum pro veteri repudianda, tum pro nova amplectenda concurrunt, attente, penitusque introspexerit. *Multa quippe sunt*, inquit, *in omni disciplinarum genere recens inventa quæ primo aspectu exhibita exhorrescimus, leviaque prorsus, ac futilia, quin & absurda nobis videntur: de quibus tamen aliud subinde judicium ferimus, dum ea propius, atque attentius intuemur, in eorumque contemplatione mentem defigimus.*

Verum quidquid ipse sibi de sententia sua persuaserit Swindenius, nullus dubito, quin æqui omnes ac sapientes rerum æstimatores, qui novum inventum suum diligenter expenderint, illud veluti inane somnium statim abjiciant, non aliis fundamentis subnixum, nisi vel incertissimis, vel solo calefactæ imaginationis æstu excitatis, planeque deliriis Rabbinorum quorumdam comparandum (*a*); atque adeo summopere improbent Authoris consilium, qui præcedentium sæculorum omnium fidem absque solida ulla ratione evertere molitus est, ut chimæricam hypothesim suam supra veteris, communisque sententiæ ruinas facilius erigeret atque firmaret. Id ex accurato Swindeniani libelli examine, quod in hac præsertim priore hujus Operis parte suscipio, compertissimum erit. Quod ut præstem commodissime, Authorem nostrum disputantem κατὰ πόδα sequar: ac propterea seriæ considerationi primum subjiciam quæ pro vulgari de Inferorum sede sententia demolienda, vel e penu suo ipse deprompsit, vel ab aliis jam proposita latius extendit.

(*a*) Clarissimus Vir Bortoloccius in Biblior. Rabbin. *disp. de Inferno*, refert opinionem R. Simeon, & R. Salomon, fabulantium impios post extremum judicii diem non alio supplicio plectendos quam calore intensissimo radiorum solarium, ducto argumento ex verbis Psal. 19. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

CAPUT. SECUNDUM.

Origo expenditur a Swindenio productæ sententiæ de sede Inferni subterranea. Eam tribuit ille errori populari de Systemate Mundi, qui viguit inter primos Christianos. Quam falso ex illo collegisse asserat, plurium Ecclesiæ Patrum luculentis testimoniis ostenditur.

PErpetuam Ecclesiæ, sive omnium fidelium consensionem in iis, quæ non ad mere philosophicas disciplinas, sed ad doctrinas fidei, sive Scripturarum intellectum pertinent, permagni esse pendendam, tum omnes Catholici norunt, tum ipsi non diffitentur Heterodoxi, præsertim Angli, qui ea non infrequenter utuntur tamquam validissimo armorum genere. Quum id probe perspectum haberet Swindenius, ut novam hypothesim suam de *sede Inferni* commodius erigeret, nervis omnibus primum adnisus est diruere, ac labefactare penitus argumentum ex perenni omnium Christifidelium de subterranea Inferni sede consensione depromptum. Ab origine ejusdem aperienda orsa capit, quam non aliam fuisse fidentissime pronunciat, nisi popularem errorem, qui a primordiis nascentis Ecclesiæ obtinuit inter Christianos, & continenti successione ad hæc usque tempora nostra propagatus est, telluris nempe, ut dictum est Capite superiore, figuram non esse rotundam, cælumque in eam desinere veluti in vastam quandam planitiem suæ basi propriisque fundamentis innixam. Ex hoc, inquit Swindenius, errore communi opinio profecta est de subterranea Inferni regione. Quum enim in hac hypothesi inferiores terræ partes a Sole, & a Beatorum domicilio sibi fingerent quam remotissimas, in iis Infernum esse, & damnatorum ergastulum, sibi facile persuasere. Et quamquam, subdit, detectus postmodum fuerit crassissimus error; opinio tamen huic superstructa permansit, feræque posteritati transmissa est: in qua etiam falsa opinione Christianos confirmatos alibi tradit Author, ex montibus ignem vomentibus, quos ut quædam Inferni spiracula credidisse eosdem non minori confidentia asseverat.

Quid ego reponam homini ex cerebro suo absque tabulis, & testibus, quidquid libuit, comminiscenti? Ut apertissimæ falsitatis revincantur ea, quæ fidenter obtrudit, & argumentum, quod ex constanti fidelium omnium consensione sumitur, in tuto constituam, duo mihi præstanda esse video, alterum scilicet primævos Christianos, non ex mundi systemate, quodcumque tandem illud esse crediderint, collegisse Infernum intra telluris viscera positum; tum vero alterum, illud etiam longe abesse a veritate talem eosdem sibi ex terræ, ac mundi figura informasse animo ideam, qualem ipsis affingit Swindenius.

Atque ut a priore exordiar, quod propius spectat præsentem disputationem, demus interim Swindenio, quod falsum esse sequenti Capite luculentissime ostendam, in eo crasso errore versatos fuisse primos fideles, & Patres Ecclesiæ, quem ipsis attribuit, quo fundamento asserit exinde eos collegisse non alibi, quam intra telluris penetralia locatam esse Inferorum sedem? Edisserat, quæso, fontes, unde hauserit hanc inter Christianos persuasionem ortam, ac propagatam. Nullum plane affert, aut, nisi me fallunt omnia, afferre unquam poterit: Quoniam ex antiquis quibusvis scriptoribus, qui de situ Inferni mentionem fecere, neminem prorsus invenire est, qui causam hanc protulerit, ac ne attigerit quidem. Quin immo Patres omnes, qui hac de re disseruerunt, fundamenta doctrinæ suæ a sola arcessunt Scripturarum authoritate; quod profecto sexcentis probare possem testimoniis: sed pauca sufficient.

Tertullianus imprimis *lib. de Anima cap.* 54. ita scribit: *Apud Platonem in æthere sublimantur animæ sapientes: apud Arium in aerem: apud Stoicos sub Lunam .... Reliquas animas ad Inferos dejiciunt,*

jiciunt. Hos Plato veluti gremium terræ describit in Phædone, quo omnes labes mundialium sordium confluendo, & ibidem desidendo exhalant.... Nobis Inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas. Siquidem (en quam sui, aliorumque fidelium sensus, causam affert) *Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, idest in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto* &c.

S. Athanasius, sive quicumque sit, vetustissimus certe Author *q. q. ad Antiocum q.* 19. inquirit: *Ubinam porro esse dicemus animas hominum, quæ jam discesserunt?* Respondetque: *Mira sane, & metuenda quæstio.... Veruntamen didicimus ex divinis litteris peccatorum animas in Inferis esse infra omnem terram, & mare: quemadmodum ait Psalmista:* In tenebrosis, & in umbra mortis, & in lacu infimo: *& ut apud Job scriptum est:* In terram tenebrosam & caliginosam, in terram tenebrarum æternarum, ubi nullus splendor, nec vita est hominibus. *Sanctorum autem animæ, ut ex Latrone in Cruce discimus, sunt in Paradiso.*

Eusebius Cæsariensis *in Psal.* 68. ad illa verba: *Introibunt in inferiora terræ*, ait: *Post exitum ex hac vita religiosi quidem homines cælum pro domicilio habebunt: impii vero, & peccatores in inferiora terræ descendent: quæ commemorans Apostolus dicebat: In inferiores partes terræ qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Etenim Servator, & Dominus noster usque ad infima terræ descendit, ut salutari virtute impleret omnia* &c.

S. Hieronymus *in Cap.* 14. *Isaiæ* hæc habet: *Discimus quod Infernus sub terra sit, dicente Scriptura, usque ad fundamenta laci, projectum scilicet cum fuisse, qui dixerat: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et in Cap. 4. Epist. ad Ephesios: *Quod autem Infernus in inferiori parte terræ sit, & Psalmista testatur dicens: Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron; & ipsum in Numerorum libro plenius explicatur.*

Paria scribit Philippus S. Hieronymi discipulus, aut si quis alius est Author Commentarii in Job, in cap. 38. *Quod Infernus in imo terrarum sit, Jonas Propheta, qui specialiter habuit figuram Salvatoris, in oratione sua, quam in ventre piscis effudit, manifeste demonstrat:* idemque dixerat superius ob Sancti Jobi testimonium.

Suffragatur S. Augustinus, qui *lib.* 4. *in Numeros q.* 29. exponens illa verba, *Et descenderunt vivi in Infernum*, inquit: *Notandum secundum locum terrenum dictos esse Inferos, hoc est in inferioribus terræ partibus. Varie quippe in Scripturis, & sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur, sensus exigit, nomen ponitur Inferorum.... Sed quoniam istos viventes dictum est ad Inferos descendisse, & ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet, manifestum est inferiores partes terræ Inferorum vocabulo nuncupatas in comparatione hujus superioris terræ, in cujus facie vivitur: sicut in comparatione cæli superioris, ubi Sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes Angelos in hujus aeris detrusos caliginem, Scriptura dicit* &c. Atque ita pari consensu cæteri Patres positionem suam de Subterraneo Inferni carcere adstruunt, sola nixi Scripturarum authoritate, cui tanquam solidissimo fundamento insistunt.

Quid quod tam longe a veritate abest, quod Swindenius effingit, ob eam rationem subterraneam Inferni sedem posuisse Patres, quod in præconcepto mundi Systemate remotissima foret a cælo, ut neque hujusce distantiæ meminerint, tamquam plausibilis cujusdam congruentiæ? Perspicuum hoc est ex congruentiis adductis a laudato S. Augustino, ut veritatem hanc Scripturarum fide nixam illustraret *lib.* 12. *de Gen. ad litt.*, quas ex ipso refert S. Thomas *in supplem.* 3. *p. q.* 97. *art.* 7. his verbis: ,, Una est, ut quoniam defunctorum animæ carnis amore peccaverunt, ,, hoc eis exhibeatur, quod ipsi carni ,, mortuæ solet exhiberi, ut scilicet sub ,, terra recondantur. Alia: quod sicut

,, est

„ est gravitas in corporibus, ita tristi-„ tia in spiritualibus, & lætitia, sicut „ levitas. Unde sicut secundum corpus, „ si ponderis sui ordinem teneant, infe-„ riora sunt omnia graviora; ita se-„ cundum spiritum inferiora sunt omnia „ tristiora: & sic sicut conveniens locus „ gaudio electorum est Cælum Empy-„ reum; ita conveniens locus tristitiæ „ damnatorum est infimum terræ „. Hæ sunt a S. Augustino adductæ congruentiæ, cur Inferi sub terra sint positi: quibus etiam tam parum detulit ipse, & meritissime quidem, ut *in lib.* 2. *Retract. cap.* 24. eas repudiaverit, veluti ineptas confirmandæ Christianæ doctrinæ, quæ sola nititur Sacrarum litterarum, & Ecclesiæ authoritate. *De Inferis*, inquit ille, *mihi videor dicere debuisse magis, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur, sive credantur*. Atque iisdem fere vestigiis institere reliqui Patres, adeo ut ratio illa, sive fundamentum, quo Swindenius veteres putat esse permotos, ut subterraneum Infernum ponerent, nusquam appareat, quam in quorumdam recentiorum libris, quos de rotunditate terræ persuasos apprime fuisse nemo non dixerit.

At non minus abhorret a vero, quod primis Ecclesiæ Fidelibus alibi Swindenius imponit, confirmatos nempe in eadem sententia ex vulcanis, sive montibus ignem vomentibus, quos in ipsa tellure cernebant hinc, atque inde interspersos, ac si ostiola quædam essent, unde flammæ gehennales erumperent. Haud abnuo quidem ita credidisse, aut credere facile potuisse rudiores aliquos de vulgo Christianos, quemadmodum & nunc minime desunt, qui ita credant: Verum quoad Patres, ac sapientes attinet, nullus in ea opinione versatus est, nullus, qui subterranei Inferni ponendi ansam inde arripuerit. Tertullianum quidem eam docuisse sententiam putant nonnulli in *lib. de pœnit. c.* 12. Sed præterquamquod non in eos montes, sed in Scripturæ textus ipse quoque retulit suam, aliorumque de Inferno subterraneo doctrinam, si accurate ejus verba expendantur, non obscure colligemus Tertullianum habuisse potius montes illos ignivomos, ut exemplaria quædam, & imagines æterni ignis ad punitionem impiorum parati, quam quædam Inferni ostia, aut extrema confinia. Nam post ea, quæ objici verba solent, subdit: *Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœtu: & quod judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, numquam tamen finiuntur. Quis hæc non judicii minantis exemplaria deputabit?* Quo exemplo utitur etiam in *Apologet. c.* 48.

Ex quibus omnibus evidens est (quod & postea evidentius erit) veteres Ecclesiæ Patres, primosque Christianos non frivolis hisce argumentis, aut conjecturis adductos esse, ut Inferos sub terra reponerent, sed sola authoritate Scripturarum, quarum testimonia non alium præferre sensum, non aliam ingerere notionem existimarunt, recteque, ac sapienter existimasse, in secunda hujus Dissertationis parte compertissimum erit,

CAPUT TERTIUM.

Quam falso Swindenius, aliique Scriptores affingant primitivæ Ecclesiæ fidelibus; ac Patribus absurdam Cosmæ Ægyptii sententiam de Cæli terræque figura. Status controversiæ. Quid de ista senserint antiqui Philosophi paucis attingitur. Quid vero Ecclesiæ Patres fusius exponitur productis textibus Clementis Romani, Justini, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Eusebii, Athanasii, aliorumque. Quorumdam Patrum, ac præsertim Augustini mens aperitur. Quid de Zachariæ Papæ responso sentiendum.

QUid enim vero? Si in asserenda origine pervulgatæ inter Patres, ac primævos Christianos sententiæ de Inferis subterraneis, falsus omnino Swindenius est, num ipsi liberaliter dabimus, quod fundamenti loco præstituit, eos generatim in crasso illo errore versatos de Systemate mundi, planam scilicet esse terræ figuram, cælumque in modum fornicis erectum extremis telluris partibus veluti pavimento conjungi? Id ego latius probandum assumo toto hoc Capite. Quamquam enim ad rem nostram hoc necesse minime sit; non inutile tamen, nec injucundum Lectoribus futurum arbitror hanc tractare quæstionem, quum præsertim non Swindenius tantum, sed & alii non pauci, & quidem illustres in primis scriptores, haud vereantur universim majoribus nostris errorem illum impingere, a quo, nisi fallar ipse, vindicare facile potuissent. Hi porro sunt præcipui, Bernardus Montfauconius, qui in cap. 2. Præfationis in Cosmæ Ægyptii Topographiam sibi probandum sumit, *veterum Philosophorum magnam partem Sphæram negasse, itemque Christianos Scriptores antiquos pene omnes* ratam habuisse de Systemate mundi sententiam, quam juxta Cosmæ hypothesim exponit: Augustinus item Calmetus in Dissertatione de mundi Systemate, *communissimam esse* scribit *apud veteres opinionem, terram planæ esse figuræ, nec inferiorem ejus partem circumfuso Cælo ambiri: quemadmodum nec solem, & astra circa terram torqueri*: Seque ad ea refert, quæ de hoc argumento disseruerat Montfauconius. His saltem ex parte consentire videtur Ludovicus Antonius Muratorius *lib. 1. de moder. Ingen. Cap. 23.*, licet cautius loquatur ipse, quam cæteri, eaque sapienter distinguat, quæ alii confundunt, ac distinguenda omnino esse statim perspicuum fiet. Adversum hos aliosque, si qui sunt, paria sentientes, contendo ego summa prorsus injuria ridiculariam illam imaginationem affingi universim, aut fere universim, Sanctis Ecclesiæ Patribus, primisque fidelibus: unde hac etiam ex parte nihil esse penitus, quo Swindeniana hypothesis consistat.

Primum itaque omnium illud observandum attentius est, dum de Cæli, terræque figura, aut dispositione disceptatur, ad plura capita revocari quæstionem posse, pluribusque modis definiri. Nam primo concipimus Cælum sphærica figura præditum terram circum ambire ex omni parte: quæ sententia, & verissima est, & jam pridem obtinuit apud omnes, qui recte sapiunt. Possumus deinde figuram mundo tribuere vel pyramidalem, vel cubicam, aut aliam hujusmodi, ita tamen ut terram vel in medio ponamus, vel prope, aut circa medium, adeo ut Sol, & astra eam undequaque complectantur, sive hæc, sive illa rotentur. Tertio demum effingere animo licet, Cælos ad instar fornicis desinentes in terram, ut in vastam quamdam planitiem, sive pavimentum, cui insistant. Atque hæc est sententia Cosmæ Ægyptii, aliorumque paucorum: quam tamen Swindenius omnibus, Montfauconius vero, & Calmetus fere omnibus tribuunt primitivæ Ecclesiæ fidelibus, immo etiam magno Gentilium Philosophorum numero. Ex hac autem, & quidem necessario consequitur nullos esse antipodas, aut anthictonas, qui in duabus aliis positionibus concedi valent, aut negari, quin ullum afferatur præstituto systemati præjudicium.

Hac

Hac præmissa animadversione non dubius affirmo adversus Montfauconium, & Swindenium, tum veteres Philosophos, tum plerosque Ecclesiæ Patres, atque Scriptores, qui de hoc argumento quidpiam litteris mandavère, aut priorem quidem, aut alteram ex expositis de cælo, terræque figura prodidisse sententiam; postremam vero iisdem per calumniam appingi, ut si ex eorum numero demas Cosmam Ægyptium, Procopium Gazæum, Severianum Gabalitanum, aliosque perpaucos obscuri nominis, ac nullius authoritatis, neminem reperire sit, qui pinguem illum errorem nedum ratione firmissima, sed & experientia ipsa jam profligatum, defenderit, aut etiam docuerit.

Et quoad veteres quidem Philosophos, quorum nos magni non interest scire quid senserint, rem paucis absolvam. *Eorum equidem partem magnam* sphæricam terræ figuram inficiatos esse Montfauconius scribit. At quibus id confirmat documentis? Quinam sunt *viri illi*, ut jactat, *doctrina, & eruditione graves*, qui Astronomos Sphæram deprædicantes non sine cachinnis deridebant? Fatetur ipse nec ex Herodoti verbis, quæ opponi a quibusdam solent, extundi posse in ea præclarum Authorem extitisse sententia. Fatetur etiam, *quotquot a priscis illis temporibus Astronomiæ operam dabant, vel ad primum artis limen constitutos, probe novisse, non nisi secundum sphæræ sententiam posse motus astrorum, lunares Eclipses, & alia innumera explicare*. Quinam igitur sunt *graves illi viri*, qui contra dubitarunt? Haud plane dubitarunt, multoque minus rejecerunt Thales Milesius, Parmenides Eleates, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Epicurus, Strabo, Cleomedes, Manilius, Possidonius, Tibullus, Ovidius, Plutarchus, Ptolomæus, ac cæteri quique tum Græci, tum Latini, quorum neminem ad Cosmæ Ægyptii mentem, aut imaginationem locutum invenies. Et Tullius quidem rem hanc tamquam omnibus penitus exploratam exhibet *lib. 2. de Nat. Deor.* inquiens: *Principio terra universa cernatur locata in media Mundi sede, solida, & globosa, & undique ipsa in se se nutibus suis conglobata, vestita floribus*, &c. Atque eadem habet *lib. 1. Tuscul. qq.* aliisque locis. Quod si pauci alii, ut Anaxagoras, Anaximenes, & Democritus vel conicam, vel cubicam, vel etiam planam figuram terræ dederunt, non propterea negarunt, quin & diserte docuerunt, consistere in medio Mundi a circumfuso æthere undique contectam.

Quinam sunt itaque, iterum dicam, ex antiquis Philosophis, qui absurdissimam prædocuerint Cosmæ hypothesim, aut terram ad extremam detruserit Universi partem, ut ejus basim, & fundamentum? Aliud nihil Montfauconius profert, præter quædam verba Tullii ex *lib. 2. Academ. qq.* dicentis: *habitari ait Xenophanes in luna, eamque esse terram multarum Urbium, & montium. Portenta videntur: sed tamen neque ille, qui dixit, jurare posset, ita se rem habere, neque ego. Nonne etiam dicitis esse e regione nobis e contraria terræ parte, qui adversis vestigiis stant contra nostra vestigia, quos* Antipodas *vocatis? Cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis, qui cum audiunt, desipere vos arbitrantur?* Verum Montfauconius hæc opponens extra orbitam plane disputationis excurrit. Non illud modo quæritur, an plerique veterum Antipodas abnuerint, sed an ipsos ea ratione negaverint, quod Cælum putarent in modum fornicis conformatum, ac extremis partibus terræ veluti pavimento conjunctum, quod probandum sibi erat, ut puerili Cosmæ opinationi prælusisse ostenderet. Plurimos namque ex antiquis Antipodas negasse aliis de causis lubens assentior, quamvis & Sphæricam agnoscerent figuram terræ, & hanc in medio Mundi collocarent. Sed a Philosophis gentilibus ad Sapientes inter Christianos accedamus.

Ex communi veterum Philosophorum doctrina de terræ, cælique positione, quantum quidem arbitror, legitimam conjecturam informare animo licet, non aliam quoque præcipuis Ecclesiæ Patribus, atque Scriptoribus insedisse sententiam, (neque enim vulgares, si quæ fuerint, curamus conceptiones imperito-

rum hominum). In re ſiquidem non dogmatica, ſed philoſophica, quis concordem illorum doctrinam aſpernatos eſſe ſibi perſuaſerit, ut abſurdam amplecterentur, pugnantemque cum recto ſenſu, qualem Coſmas Ægyptius procudit ſexto æræ Chriſtianæ ſeculo? Sed quoniam quibuſdam Scripturarum textibus perperam intellectis in eam ſententiam pertractos Eccleſiæ Patres exiſtimant tum Montfauconius, Calmetus, & Swindenius, tum etiam Muratorius, videamus, num id aliqua veri ſpecie aſſeratur. Equidem fateor tum Coſmam, tum Severianum, & alios quoſdam minutos homines, aliquibus Scripturarum textibus uſos, aut potius abuſos fuiſſe ad adſtruendam monſtroſam hypotheſim. At quinam ii tandem ſunt? Profecto qui cordatum hominem movere nequeant, nedum ſapientes Eccleſiæ Patres. Numquid enim, ut dicamus cauſa exempli, quia in ſacris libris memorantur interdum *extremitates cælorum*, *fundamenta terræ*, *terræ* item *columnæ*, fas eſt colligere hemiſphæricum eſſe Cælum, atque in tellurem deſinere, ut in mundi baſim, ac fulcimentum? Nimium abſona eſt interpretatio ejuſmodi, quamque Patres Eccleſiæ aſpernati ſunt, ac ludibrio pene habuerunt, ut SS. Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, atque alii, qui tropicis illis, & ad captum hominum locutionibus non aliud ſignificari ad unum aſſenſere omnes, niſi voluntatem poteſtatemque Dei omnia continentem, atque ſuſtentantem. An forte idem eruere quoquo modo licuit ex Iſajæ textu cap. 40. com. 22. quem ita legebant juxta 70. verſionem, *qui ſtatuit cælum tamquam fornicem*? Sed hunc locum ita legentes deridet, ac ſugillat S. Hieronymus in idem Caput, eoſque abuti ſcribit *nomine fornicis*, *quod ſcilicet media pars ſphæræ terras operiat: quum in hebraico non fornix, ſed DOC, ideſt tenuiſſimus pulvis legendus ſit*. Quare aliter Iſajæ verba efferuntur tum in *Vulgata* noſtra, tum in aliis probatis verſionibus. Nihil igitur erat in ſacris litteris, unde ſapientiſſimi Patres Judicram illam colligerent de Mundi Syſtemate opinationem.

Quin immo Scripturas legentibus Patribus adverſa fuerat colligenda ſententia, pro qua teſtimonia certe occurrunt longe graviora atque clariora. Nam ut aliqua curſim attingamus, in Job. Cap. 26. com. 7. de Deo dicitur: *appendit terram ſuper nihilum*, ſive in medio, aut meditullio mundi terram ſuſtinet, nulla columna, aut fundamento ſubnixam, prout exponunt Hieronymus, aliique ex antiquis interpretes: ex recentioribus autem Vatablus, Munſterus, Druſius, Clavius, Grotius, Pineda &c. In Eccleſiaſtico quoque cap. 24. Sapientia divina de ſemetipſa loquitur, *Gyrum Cæli circuivi ſola*, ſive ut in Græco ſignificantius ac proprius ἐκύκλωσα *circumduxi*, *rotundavi*, *conglobavi*. Item Eccleſiaſtic. cap. 1. *oritur Sol*, *& occidit*, *& ad locum ſuum revertitur*, *ibique renaſcens gyrat per meridiem*, *& flectitur ad Aquilonem*. *Luſtrans in circuitu ſuo pergit ſpiritus*, *& in circulos ſuos revertitur*. Quæ quis idonee percipiat, non admiſſa ſphærica cæli, terræque figura, aut ſphæricæ ſaltem affini? Demum, ut alia loca prætercam, illud videtur ſatis perſpicuum, quod habetur Iſaiæ cap. 40. com. 22., ubi de ſupremo mundi Rectore Deo legimus: *qui ſedet ſuper gyrum terræ*, in Hebræo היושב על חוג הארץ qui ſedet ſuper Sphæram terræ, ut Munſterus vertit, & Hebræi ipſi interpretantur. Verbum certe hebraicum חוג *rotundum* quodpiam ſignificat, ut etiam conſtat ex cap. 44. com. 13. ejuſdem Iſajæ (*a*). Ex his itaque aliiſque id genus textibus quis non videt longe proclivius fuiſſe Patribus, ut terræ rotunditatem inferrent, ac Mundi etiam in ſphærico orbe poſitionem, quam abſurdiſſimam Coſmæ Ægyptii hypotheſim, quæ cum productis ſententiis vix, ac ne vix quidem conciliari poteſt?

Verum quid conjecturas perſequimur? ut

(*a*) Ex hoc præſertim loco habet lector, unde colligat, num vere ſcripſerint Calmetus, *in hebræo*, *cum de terra ſermo*, *numquam occurrit vox*, *qua orbem*, *& globum referat*: & Muratorius, *nullum eſſe in Scriptura locum*, *cui adverſetur opinio terræ rotunditatem negans*.

ut Swindenium, Montfauconium, & Calmetum falsitatis aperte revincamus, quum in promptu sint disertissima veterum Patrum, Scriptorumque testimonia, quæ rem, de qua agimus, clara in luce constituant? Non obscurum certe imprimis est testimonium S. Clementis Romani, ac S. Petri in Sede Romana successoris, de quo ita scribit Origenes *lib. 2. Periar. cap. 3. Meminit sane Clemens Apostolorum discipulus, etiam eorum, quos* Anthictonas *Græci nominarunt, atque alias partes orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis, qui ibi sunt, quisquam transire ad nos, quos & ipsos mundos appellavit, cum ait: Oceanus intransmeabilis est hominibus, & hi, qui trans ipsum sunt, mundi, qui his iisdem Dominatoris Dei dispositionibus gubernantur*. Hæc sententia refertur etiam a S. Hieronymo *in cap. 2. Epist. ad Ephes.* & prostat in genuina ejusdem S. Clementis Epistola apud Cotelerium, qui eam illustrat eruditissimis notis; atque inter alia animadvertit Dionysium Alexandrinum apud Eusebium gemina habere verba, eoque pariter, ut videtur, respexisse S. Irenæum lib. 2. cap. 47.

Succedit S. Justinus, sive vetustissimus Author qq. ad Orthod. qui q. 130. Cælum ponit juxta Græcos *globum esse*: & in Responsione quidem Cælum instar *Cameræ* potius affirmat, atque ita legit Isajæ locum ex cap. 40. subdit tamen, ibi: *Cameræ nomine rotunditatem corporis cælestis significavit* (Propheta). *Portant igitur Cælum aquæ: aquas autem terra: terram porro præceptum divinum: suspendens, inquit Job, terram in nihilo*. Quæ sane omnia longissime absunt a Cosmæ systemate.

Athenagoras *legat. pro Christ. n. 13.* ita loquitur: *victima Deo præstantissima est, si cognoscamus quisnam ille sit, qui cælos extendit, & conglobavit, qui terram instar centri stabilivit*. (a) Verba ejus græca ita se habent: Θυσία αὐτῷ μεγίστη, ἂν γιγνώσκωμεν τίς ἐξέτεινε καὶ συνεσφαίρωσε τοὺς οὐρανούς, καὶ τὴν γῆν κέντρου δίκην ἥδρασε.

Eclecticam Philosophorum sectam iis purgatam erroribus, qui cohærere cum fide Christiana minime poterant, viguisse in Ægypto, maximeque Alexandriæ, eamque secutos Ammonium S. Clementis Alexandrini, ac Pantheni discipulum, ac ferme Christianos omnes, qui secundo, ac tertio Ecclesiæ seculo ibidem floruere, tradunt eruditi viri*. Inter alia porro hujusce sectæ dogmata, receptum illud erat, ac pervagatum, *in mundo suprema, ut in animali, pulcriora esse: media vero, & infima minus. Homines autem in medio esse inferiorique loco: at in sublimi Cælum omne in circuitu, terram vero quasi centrum*: quod Origenes insigne Alexandrinæ Scholæ ornamentum luculentius exponit, suoque confirmat suffragio Comment. in Matth. n. 49. inquiens: *omne cælum in modum sphæræ collectum universam complectitur terram*: quem etiam Antipodas, sive Anthictonas non abnuisse ex loco superius allegato ex *lib. 2. Periarchon* satis exploratum est.

Eusebius Cæsariensis ad illa verba Psal. 18. (b), *in sole posuit tabernaculum suum*, hæc subjicit: *Circuit porro Sol quasi gigas robore prævalidus, orsus a summo centro Orizontis, atque uno diei, noctisque spatio totum percurrit Orbem*. Et in Psal. 76. *Observes velim divinam Scripturam id quod circumpositum est, pro rota habere. Quare mundum ad sphæræ similitudinem constitutum ajunt. Nam in Esdra* (lib. 3.) *Zorobabel victoriæ præmium a Rege reportavit postquam dixerat: magnum est Cælum, & magnus sol: quia vertitur in circuitu cæli, & revertitur in proprium locum uno die*.

S. Athanasius in Orat. cont. Gent. *Sol*, ait, *una cum universo cælo circumfertur, eoque continetur, nec unquam extra proprium circulum egreditur* . . . . *Nec terra se sua vi fulcit, sed aquarum natura sustinetur, atque in medio universi constricta tenetur, & circumsidetur*. Qui ita loquitur: qui solem circumferri docet, nec proprium unquam circulum egredi: qui terram statuit in medio Universi;

(a) Vide Brucherum in Hist. Philosoph. period. 2. p. p. cap. 2. Sect. 4.
(b) in nova collectione B:f. Montfauconii.

versi; næ ille longissime distat a futili Cosmæ Ægyptii commento.

Non minus luculenta sunt S. Hilarii verba *tract. in psal* 135. *n.* 11., ubi hæc scribit: *Sub inferiore superioris circuli cælo, quod firmamentum nuncupavit, terram* (Deus) *inferius collocavit, quam mediam suspendens, & confirmans ita manendi sedem moderatus est, ut paribus undique mensuris medietatem circuli, quo conclusa est, obtineret, &c.*

S. Basilius Magnus *Homil.* 1. *in Examer.* equidem concameratum Cælum esse arbitratur versionis LXX. lectione deceptus, nunquid tamen terram ad extremam mundi partem dejecit juxta Cosmæ sententiam? Absit omnino. Quia potius veluti pro re certa præsumens *terram mediam orbis regionem occupare*, inquirit, *cur in medio immota subsistat*, & quæ ab aliquibus habebatur, ratione proposita, *terram* scilicet *non excidere, quippe quæ medium locum naturæ suæ convenientem occupet*, subdit: *Si hoc probabile videatur, ad Dei sapientiæ, quæ ita ordinavit, admirationem esse transferendum.* Et Homil. 9. cum varias attulisset Philosophorum de figura terræ sententias, ipse quidem illas ad examen vocare renuit, tamquam alienas ab instituto suo; attamen *solem etiam sub terra moveri* neutiquam ambigit. Est & illud Basilii testimonium observatione dignissimum, quod in *Catena Græca* legitur super Cap. 38. Jobi verbis hisce conceptum: *Hinc discimus terræ fundamenta esse hominum naturæ ignorata. Ut autem est externorum Philosophorum opinio, fundavit Dominus terram in sphæra, quæ mundum undique complectitur, centro: quippe quæ propter suum æquilibrium ex omni parte tantumdem distat a Cælo, ut ob id ipsum, & firmam sedem obtinuerit, & immota nitatur, &c.*

Atque ex his difficile non erit explicare S. Joan. Chrysostomum, quem & Montfauconius, & Muratorius opponunt ex *Homil.* 14. *in cap.* 8. *Epist.* ad *Hebræos*, ubi ad illa Apostoli verba *tabernaculum quod fixit Dominus*, ait: *Ubi sunt, qui volvi Cælum asserunt? Ubi illi, qui sphæricum esse pronunciant? Utraque ista hic sublata sunt.* De supremo cælo, sive de felicissima Beatorum sede hoc loco loqui Chrysostomum verosimilius est, quod & immobile, & concameratum esse ad Apostoli mentem existimavit. Id ipsum namque de cælis inferioribus, atque etiam planetariis sensisse haud facile crediderim. Verum, ut ut se res habeat, hoc unum exprimi tandem potest ex verbis ipsius figuram sphæricam, & mobilitatem negasse Cælo. At quemadmodum ex laudato Basilii textu nemini propterea colligere fas est, illum in extrema mundi parte locasse terram, veluti cælorum basim; ita neque idem colligere licet ex verbis Chrysostomi.

Injuria quoque in suspicionem trahitur S. Gregorius Nazianzenus, quum pluribus ipse locis globosum fecerit cæli terræque figuram. In carmine Jambico 15. *tellurem stabilem a polo ambiri* canit. Orat. 34., *quis cælum*, inquit, *circumegit, & tornavit? . . . . Quid eum* (solem) *perpetuo motu agitat, ac circumducit? . . . . Quomodo diem procreat cum super terram est, & noctem cum sub terra?* Et in *Catena Græca* ad cap. 26. in Job: *Terram universam* (Deus) *ea, quæ cerni non potest, vi continet nullo firmamento subnixam. Qua tandem ratione stabilis, ac firma perseverat? Quid illud est, quod eam sustinet? Sane nihil ratio reperit, ubi insistat, nisi Dei voluntatem, quæ illam suspendit atque firmavit: nec quidquam est aliud, quo terra teneatur, ac fulciatur.* Quid clarius dici potest?

Paria tradit S. Gregorius Nyssenus *in lib. de anim. & Resur.* ubi disputans, an ea terræ pars, quæ Hemisphærio nostro ex adverso respondet, defunctorum animabus expiandis destinata fuerit, prout quidam asserebant; id verisimile nequaquam esse exinde probat, quod oppositam nobis mundi partem sol certa vice æque collustret, atque nostram; id quod pugnat cum Inferni notione, quum hoc nomine *apud sacros scriptores, & prophanos nihil aliud significetur, quam receptaculum, quod & obscurum est, & a conspectu hominum remotum.*

S. Cy-

S. Cyrilli Hierosolymitani eo facienda pluris est, quod in Opere catechetico non privatam suam exposuit, sed in Christiana plebe jam obtinentem opinionem. Itaque *Catechesi 6. n. 3.* populum ita alloquitur: *Compara terram totam cum cælo illam sinu suo ambiente: quæ quidem habet ad cælum proportionem, quam meditullium ad universum ambitum rotæ. Nam hujusmodi est terræ ad cælum conspectus ratio.* Hoc repetit etiam *Catech. 15. num. 24. Terra universa instar puncti est in medio unius cæli, tantumque cælum, quod illam ambit, incolentium multitudinem continet, &c.*

Ex plurimis, quæ hac de re habet S. Ambrosius, duo tantum attigisse sufficiat. *In Exam. n. 22., satis esse*, docet, *ad scientiam, quod divinarum scripturarum series comprehendit: quia suspendit terram in nihilo ..... Non ergo, quod in medio sit terra, æqua lance suspenditur; sed quia majestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit, ut super instabile, atque inane stabilis perseveret.* Serm. vero 12. in psal. 118. n. 20. *Quomodo fundaverit terram, Scriptura nos docuit, dicente Propheta:* Deus sapientia fundavit terram, &c. *Terra ergo tamquam fundamentum est, in qua consistimus, licet ipsam in hemicyclo* (*a*) *cæli esse, & is, qui foris est, sermo concelebret, & Scriptura significare videatur dicente Job*, suspendens terram in nihilo. *Includitur ergo orbe cælesti: & ideo sol noctibus non videtur: quia gyrando in inferiore invenitur orbis parte cælestis.* Quo in præclaro testimonio illud præsertim animadvertas velim, S. Doctorem nedum systema cælorum, ac terræ diserte adstruere e regione oppositum systemati Cosmæ Ægyptii; verum etiam illud proponere veluti Philosophorum omnium consensione probatum, & Scripturarum authoritate munitum.

Quænam fuerit de hoc argumento S. Hieronymi sententia abunde liquet, tum ex iis, quæ supra jam tetigi, tum *ex comment. in cap. 2. Jonæ, & in cap. 3. Epist. ad Ephes.*, tum vel maxime quod in *cap. 3* ejusdem Epist. opinationem, quam postea Cosmas defendit, veluti delirium habitum in Ecclesia testetur. En ejus verba: *Est in Ecclesia stultiloquium, si quis cælum putet fornicis more curvatum, Esajæ, quem non intelligit, sermone deceptus.*

Sed accedamus ad eximium Ecclesiæ Doctorem S. Augustinum, quem iis accensere veritus non est Montfauconius, qui Cosmæ opinioni præluserint. Equidem lubens assentior Antipodas non admisisse S. Patrem *in libro* præcipue *16. cap. 9. de Civit. Dei*. Num vero idcirco dicendum monstrosam amplexum esse Cosmæ sententiam? Quin immo illam rejecisse ex eodem qui objicitur loco colligere necessum est. Neque enim ea ratione negavit Antipodas, quod planam putarit superficiem terræ, & in extremo positam mundi confinio; sed quod persuasum haberet, vel eam partem, quæ nostræ opponitur, aquis undique coopertam, vel nulli unquam mortalium patuisse, aut patere illuc accessum ob oceanum vastissimum interjectum: præsertim vero quum de re tam memorabili nulla uspiam facta fuerit mentio sive in sacris, sive in prophanis historiis: atque adeo partem illam, licet inaccessam nobis, & imperviam vere existere censuit, atque ambiri circumfuso cælo. *Neque hoc*, scribit ille, *ulla historica cognitione didicisse se affirmant* (qui asserebant Antipodas): *sed quasi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa cæli terra suspensa sit, eundemque locum mundus habeat & infimum, & medium: & ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse. Nec attendunt, etiamsi figura conglobata, & rotunda mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur; non tamen esse consequens, ut etiam ab* illa

(*a*) Alii legunt, *in meditullio*: at sensus idem est. Nam, ut scite observant Monachi Editores, eo spectat S. Patris oratio, ut ostendat terram, *in qua consistimus*, hoc est Hemisphærium nostrum mediæ tantum parti respondere cælestis orbis, adeoque solem, ubi ad aliam transierit, cerni a nobis non posse.

illa parte nuda sit terra. Deinde etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse est, ut homines haberet . . . nimisque absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem oceani immensitate trajecta navigasse, & pervenire potuisse. Ex quibus nemo non perspicit, quænam sit de hac quæstione Augustini mens, nimirum non Antipodas quidem illum negasse ea ratione, quod sphæricam non putaret figuram cælorum, ac terræ, sed aliis de causis, quæ communi, jamque certo Systemati Mundi non adversantur. Hanc vero mentem suam pluribus etiam aliis in locis Augustinus aperuit, ex quibus consulendi in primis sunt libri *de Genesi ad litteram*, ubi de hac re fuse disseruit.

A reliquis Patribus proferendis abstineo, ne sim prolixior. Nam monuisse sat est, nullum afferri posse, qui in re præcipua, qua de agimus, non assenserit, si de his saltem sermo, quorum aliqua sit apud sapientes viros authoritas. Duo quidem ex his objici solent, Venerabilis Beda, & S. Joannes Damascenus: sed plane immerito, nec sine ipsorum injuria. Quoad Bedam siquidem attinet, quem Cosmæ faventem inducit Montfauconius, loco nullo designato, mentem suam tanta perspicuitate manifestat *lib. 4. de Elemen. philosoph.* ut nullum prorsus relinquat dubitationi locum. *Est ergo*, docet, *terra elementum in medio mundi positum, atque adeo infimum. Mundus nempe ad similitudinem Ovi dispositus est. Namque terra est in medio, ut meditullium in Ovo . . . . Hac terra in medio mundi sic posita, & inde omnia recipiens pondera &c.* Simillima habet in *Tract. de Mundi constit.* & in *lib. de natura rerum*, ubi etiam figuram terræ globosam, atque rotundam ab ipso delineatam invenies.

Quoad vero S. Joannem Damascenum plane mirari subit ab eruditissimo viro Muratorio in eorum censu reponi, qui cælum habuere hemisphæricum. Agit de hoc *lib. 2. de Fide Orthodoxa*, atque ita scribit Cap. 5.: *Omnes qui rotundum cælum esse censuerunt, æquo intervallo ipsum tam a superioribus, quam ab obliquis, & inferioribus partibus terrà abesse, & distare adstruunt. Ab inferioribus autem, obliquisque partibus, dico, quantum ad sensus nostri judicium attinet. Nam alioquin, ut ex dictis sequitur, cælum undique superiorem locum terra inferiorem obtinet.* Ubi vides Damascenum ita aliorum de rotunditate cæli referre sententiam, ut ab ea nullatenus ipse dissentiat, quin etiam approbet, quemadmodum inter alios observat Clarissimus Editor operum ejusdem Michael Lequienius. At fortassis Damasceni mens luculentius emicat ex alio loco, qui libro eodem deinceps legitur: *Nonnullis*, inquit, *terram esse rotundam placet: aliis cono similem. Multum certe cælo minor est in ipsius centro instar mundi appensa.* Abnuit scilicet S. Pater in alterutram sententiam concedere, sive quæ terram rotundam asserebat, sive quæ cono similem: in centro mundi tamen *appensam* esse pro comperto habet, adeoque cælum hemisphæricum nullo modo censuit.

Ex his ergo habemus imprimis, unde abnormem redarguamus Swindenii confidentiam, qua toti primitivæ Ecclesiæ monstrosi erroris ab ipsa ultro suscepti, & in omnes subinde Christianos propagati notam impegit. Habemus etiam, unde merito conqueramur tum de Bernardo Montfauconio, qui *plerisque omnibus Ecclesiæ Patribus* perridiculam tribuit Cosmæ Ægyptii opinationem; tum de Augustino Calmeto, qui *communissimam apud veteres* illam fuisse scripturivit: quod profecto judicium de Majoribus nostris minime pronuntiassent, si ipsorum scripta consuluissent, aut saltem attentiore studio perpendissent.

Verum manus e tabula removenda non est, quin aliquid prius animadvertamus de celebri responso Zachariæ Papæ, quod forsan doctrinæ nostræ non nemo opposuerit. Legitur illud in *Epistola* 10. ejusdem ad Bonifacium Moguntinum, in qua damnasse videtur Virgilium quemdam, quod affirmaverit *alium mundum, & alios homines sub terra esse, ejusque doctrinam appellasse perversam, pugnantemque contra Dominum,*

num, & animam suam. Qua de re illud præmonendum duco, nihil ex hoc facto extundi posse adversus ea, quæ hucusque constabilita sunt. Aliam quippe quæstionem spectat, num scilicet apud veteres ea fuerit probata sententia, quæ Antipodas admittebat, de qua plura in alterutram partem disputari valent. Tum deinde neque hanc damnasse contendo Zachariam, prout aliqui existimant, præsertim ex heterodoxis, qui propterea Pontificem licentius mordent: quod ostendere haud difficile est. Quamquam enim historia illa multa sit obvoluta caligine, ut ipse Muratorius advertit: hæc tamen satis videntur esse comperta. Certum imprimis illud est S. Bonifacium apud Romanum Pontificem accusare Virgilium Presbyterum, quod doceret, *nedum alium mundum, & alios homines sub terra esse*, sed & *alio sole* eos illuminari, & *alia luna*. Certum iisdem est errorem hunc a summo Pontifice Zacharia improbatum fuisse, ut constat ex Epistola ad eumdem Bonifacium, cujus initium est, *Sacris liminibus*. Hæc namque inter alia scribit: *De perversa autem doctrina, quam contra Dominum, & animam suam* (Virgilius) *locutus est, quod scilicet alius Mundus, & alii homines sub terra sint, aliusque Sol, & Luna, si convictus fuerit ita confiteri, hunc accito Concilio ab Ecclesia pelle Sacerdotii honore privatum. Sed & nos scribentes prædicto Duci* (*Otiloni*) *evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, ut nobis præsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis Decretis condemnetur &c.* Qua in caussa ita exposita nihil rectius, atque prudentius constitui poterat.

Itaque rem ita contigisse credibile admodum est, ut observat etiam Velserus *lib. 5. rerum Boic.* ad annum 746. Virgilius adstruebat Antipodas, adeoque & rotunditatem terræ: ex quo nonnulli imperitiores ansam arripuere existimandi novum alium Mundum, novos homines ab Adamo nequaquam progenitos, alium solem, aliam lunam statuere. Quidam autem maligni homines odia serere volentes inter Bonifacium, & Virgilium, hunc detulere ad S. Episcopum, accusaruntque de erronea doctrina. Bonifacius, re minus forsitan explorata Virgilium hujusce erroris coarguit apud Zachariam Pontificem, qui prudentissime rescripsit caussam hanc examini subjiciendam in aliquo Concilio, quam etiam cogniturus ipse ad tribunal suum evocavit. At vero quum Virgilius nec depositus, nec damnatus fuerit, (neque enim id uspiam memoriæ proditum est) sive ab aliquo Concilio, sive a Romano Pontifice, quin immo satis constet ipsum, Salisburgensi Episcopatu auctum, virum extitisse doctrina, & sanctitate clarum (a), aliud nihil nobis inferre fas est, sententiam ejusdem nec a S. Bonifacio, nec a Zacharia creditam fuisse cum Dogmatis orthodoxæ fidei pugnantem. Consule præter laudatum Velserum, Baronium ad annum 748. T. 6 Antiq. Lectionum Canilii, ubi extat Virgilii vita virtutibus, & miraculis conspicua.

(a) P. Le Cointe in Annal. Eccles. Fran. ad an. 748. n. 52., ut refert Natalis Alexander Sect. 8. C. 1., Virgilium, cui fuerunt cum Bonifacio simultates, ab eo distinguit, qui Salisburgensis Episcopus fuit, & inter Cælites conscriptus. Idem etiam sentit Pagius ad an. 746. At eundem plane fuisse præter citatos pluribus adductis momentis ostendit P. R. fascic. 22. Ephemer. litter., quæ Halæ Magdeburgicæ titulo Novæ Bibliothecæ evulgantur, ut refert Scriptor Rerum Moguntiarum Tom. 1. pag. 313.

CAPUT IV.

Præcipuum, ut jactat, vulgaris sententiæ fundamentum aggreditur Swindenius ex Christi ad Inferos descensione *desumptum, cæteris omnibus prætermissis. Quam dubia fide Scripturarum textus attigerit. Loci Apostoli ad Ephesios memorantis* inferiores partes terræ, *in quas Christus descendit, germanus sensus vindicatus, est illustratus plurimis Sanctorum Patrum testimoniis.*

SAtis omnibus constare arbitror perperam a Swindenio primam, atque præcipuam originem invectæ inter Christianos, propagatæque de subterranea Inferorum sede sententiæ in præconceptum referri de Mundi systemate errorem. Ultra igitur progrediamur, & sequamur hominem alia ex arbitrio comminiscentem, ut planiorem hypothesi suæ viam paret.

Quum diffiteri minime potuerit alia etiam a Christianis, & Ecclesiæ Patribus adhibita ad illam confirmandam argumenta, unum illud selegit præ cæteris, quod vocat *præcipuum*, atque *magnum*; „ Hoc, inquit, ductum erat ex „ descensione Christi ad Inferos, quam „ tribus hisce Scripturarum textibus „ adstruebant, scilicet *Psal.* 16. dicen„ tis: *quoniam non derelinques animam* „ *meam in inferno:* Christi Domini „ apud Matth. c. 12. *sicut fuit Jonas in* „ *ventre ceti tribus diebus, & tribus* „ *noctibus; sic erit Filius hominis tri*„ *bus diebus, & tribus noctibus in cor*„ *de terræ;* ac tandem Apostoli scri„ bentis ad Ephesios c. 4., *ascendens* „ *Christus in altum captivam duxit ca*„ *ptivitatem . . . . Quod autem ascen*„ *dit, quid est, nisi quia & descendit* „ *primum in inferiores partes terræ?* „

Hic paululum sistamus oportet, ut advertam, etiam hoc loco imperitis Swindenium imponere oratione sua. Quicumque ejus verba legit dumtaxat, neque sit in Scripturarum, & Patrum lectione versatus, non alia sibi facile persuaserit occurrere in sacris libris momenta, nec aliis adductos Ecclesiæ Patres, ut Inferos intra terræ viscera collocarent, nisi unico illo fidei Christianæ dogmate de Christi ad Inferos descensione, & quidem illis tantum, quæ profert, testimoniis innixo. At enim vero vel fallitur ipse, vel fallit. Longe etenim plura sunt, quibus hæret vulgata sententia, nec eo solo, quod ex descensu Christi ad Inferos ducitur, argumento permoti sunt ad eam asserendam Patres Ecclesiæ: quod & apertum est ex iis, quæ jam adnotavimus Cap. 2. & apertius multo fiet in secunda hujus Operis Parte.

Verum qua tandem via Swindenius hoc unico, quod attigit, se se expedit argumento? Tres ille, quas memoravi, producit in Catholici Dogmatis confirmationem Scripturæ authoritates. Sed priores duas, ac si nihil iis inesset ponderis, & momenti, intactas relinquit, studiumque suum omne confert, ut tertiam elevet ex Apostoli verbis ad Ephesios depromptam: atque ad elidendam hujusce vim, non alios affert Scripturarum textus, non Patrum seriem contexit, qui alienam a vulgari interpretationem adhibuerint. Soli pro Scripturis atque Patribus abunde Swindenio fuere tres recentes ex Protestantium grege Scriptores, Pearsonius, Hammondus, & Hemingius, qui ea interpretati sunt Apostoli verba, non de internis quidem partibus, sed de ipsa superficie terræ, in quam descendit Divinum Verbum, dum carnem nostram assumpsit, aut si mavis, de sepulcro in quo corpus ejus conditum fuit, quodque Judæorum more, non intra, sed supra terram extructum erat.

Sed nemo est, qui non videat, quam levi Swindenius muniatur præsidio, ut vel hujusce Apostolici textus, quem solum aggreditur, pondus elevet. Non enim, ut celebriores etiam animadverterunt ex Protestantibus ipsis Interpretes Scripturæ, quos inter Joannes Drusius, dixit Apostolus Filium Dei descendisse in inferiores partes mundi, sed ter-

terra εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς: *inferiores* autem *partes terræ* non aliæ proprie sunt, nec apte possunt intelligi, nisi quæ intra tellurem ipsam existunt: veluti si dicas *descendisse te in inferiores partes domus*, nemo unus intellexerit, te domum dumtaxat ingressum esse, verum & infima penetrasse domus cubicula, aut conceptacula profundiora. Atque hunc quoque sensum definire videntur tum quæ antecedunt, tum quæ sequuntur, textus Apostolici verba. Nam quum prius Paulus dixisset Christum cælos ascendentem *captivam duxisse captivitatem*, satis aperte Sanctorum animas significavit ex Inferni captivitate reductas, in qua detentæ hactenus fuerant. Cum vero subjecit *descendisse in inferiores partes terræ, ut impleret omnia*, quid aliud intelligi voluit nisi ad Inferos descendisse, qui in terram jam antea descenderat, ut reali præsentia partes omnes inviseret regni sui; quod tripartitum est juxta illud Apostoli ejusdem ad Philippenses, *in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*.

His accedit, veteres Ecclesiæ Patres, qui novitiis a Swindenio allatis expositoribus præferendi plane sunt, hoc sensu perpetuo intellexisse Apostoli textum. Horum quum multa colligi a me possint testimonia, tum vero paucis ad confirmandum utemur. S. Irenæus lib. 5. con. Hæref. Cap. 31. *Tribus*, inquit, *diebus conversatus est Dominus, ubi erant mortui: quemadmodum Propheta ait: recordatus est Dominus sanctorum mortuorum suorum . . . . & descendit ad eos extrahere, & liberare eos, &c. Sed & Apostolus ait: ascendit autem quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ, &c.*

Origenes T. 2. Edit. Huet. p. 282. *Venit Servator quærere, & sanare, quod perierat: venit eos translaturus ad superna, qui inferne erant . . . . Quin etiam ipse est, qui descendit in inferiores partes terræ . . . . Jam quasi differant inter se loca, quæ inferne sunt, superlative dicitur*: posuerunt me in lacu inferiori: *& illud*: qui descendit ad infimas partes terræ, hic etiam est, qui ascendit, &c.

Tertullianus lib. de anim. *Christus huic quoque legi de transitu ad inferos satisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus, nec antea ascendit in sublimia cælorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret*.


Eusebius Cæsariensis in Psal. 62. *Impii, & peccatores in inferiora terræ descendent: quæ commemorans Apostolus dicebat, in inferiores partes terræ qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Etenim Servator, & Dominus noster usque ad infima terræ descendit, ut impleret omnia . . . . Sed ille quidem ad eos, qui istic habitabant, descendit, ut animas justorum ibidem jamdiu detentas libertate donaret, &c.*

S. Hilarius lib. 10. de Trin. n. 65. *Si itaque hæc omnia Christus unus est: neque alius est Christus mortuus, alius sepultus, aut alius descendens ad inferna, & alius ascendens in Cælum, secundum illud Apostoli: ascendit autem quid est, nisi qui descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleat omnia. Numquid ambigitur, quia Jesus Christus homo ex mortuis resurgens, super omnes cælos ascendens a dextris Dei sit? Numquid descendisse ad Inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, dicetur?* En quomodo S. Hilarius utramque disertissime excludat Neotericorum, queis se protegit Swindenius, interpretationem, tamquam a Christianis tunc temporis omnibus repudiatam, de cujus falsitate apud ipsos ne ambigendi quidem locus relictus est.

S. Ambrosius ita differit in eundem Apostoli textum: *Expoliavit* (Christus Dominus) *Inferos, cum captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut captos peccatis in conditione tenebat, abstulit consentientes sibi, & ascendens inde in cælum induxit . . . . Quod autem ascendit, quid est, nisi quia etiam descendit prius in inferiora terræ? Verum est, quod ideo descendit, ut ascenderet, & non sicut homines, qui ad hoc descenderunt ut illic remanerent. Ex sententia enim tenebantur apud Inferos: quæ sententia Salvatorem tenere non poterat.*

S. Hieronymus in Cap. 4. Epist. ad Ephes.: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ?* hæc scribit appositissime una ac luculentissime: *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster, Salvatorque descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret.* Et in Cap. 1. Lucæ: *Vide magnitudinem Salvatoris .... Ascende in Cælum, & vide eum quomodo cælestia repleverit. Descende cogitatione in abyssos, & videbis eum etiam illuc descendisse: Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit, ut impleret omnia.* Reliquos prætereo Ecclesiæ Patres, cui namque hi satis haud sunt, nec plures sufficient.

Ex his ergo meridiana luce clarius est Swindenium ne locum quidem hunc Apostoli, quem cæteris prætermissis, aggressus est, nullo modo infirmasse, nedum nobis penitus eripuisse, ut inaniter sibi adblanditur: atque adeo, tametsi alia deessent Scripturarum momenta, quæ alibi sunt magna copia proferenda, vel hoc solo textu satis firmam consistere veritatem vulgaris sententiæ de subterraneis Inferorum sedibus.



C A-

Caput V.

Sententia de subterranea Inferorum sede haud inter plane adiaphoras Christianæ fidei opiniones referenda: quamquam de ea nullum prodierit Ecclesiæ decretum. Commentitia est, quam Swindenius apud doctissimos viros Catholicæ Communionis effingit, dissensio. An, & quo pacto ad doctrinam fidei illa pertineat, clarissimorum Theologorum suffragiis decernitur. Calumnia ab Authore afficta S. Thomæ Aquinati revincitur, ejus doctrina proposita.

DE medio penitus sublato, ut visum est Swindenio, quod ex Litterarum sacrarum authoritate ducebatur, vulgaris sententiæ fundamento, ovans, ac triumphans concludit Anglus Theologus, atque altius inclamat, sententiam illam de subterranea Inferni sede meram esse opinionem hominum, de qua, ut in cæteris, sentire cuiquam liceat, quidquid lubet; citra piaculum, aut temeritatis notam, eoque vel maxime, quod nec constanti Patrum traditione firmetur, nec ullum adhuc prodierit de re hac decretum Ecclesiæ: quin potius, inquit, & ipsi Communionis Romanę Theologi, quos inter laudat Sanctum Thomam Aquinatem, satis agnoscunt eam non ita ad fidei doctrinam pertinere, ut ab ipsa recedere nefas sit, aut aliam persequi, quæ magis arriserit, aut accommodatior visa fuerit. Id vero quam falso a Swindenio affirmetur, pretium operis est paucis exponere.

Principio lubens assentior nullum hactenus editum ab Ecclesia decretum, quo quæstionem de Inferni sede definierit, vulgatamque sententiam diserte, atque expresse firmaverit. Quid vero? Quam multa sunt, quæ ad fidei doctrinam pertinere creduntur, de quibus tamen nullum prodivit Ecclesiæ decretum. Nonne Swindenius ipse toto capite quarto libelli sui probat, nervisque omnibus contendit sententiam de reali, ac materiali igne Inferni Doctrinam fidei spectare, neque referendam esse inter adiaphoras opiniones, adeo ut plane impudentes, ac temerarios putet Novatores aliquos, qui ignem illum spiritualem ac metaphoricum arbitrantur? Neque tamen decretum ullum Ecclesiæ aut profert, aut proferre valet, quo ea quæstio finita fuerit, & libertas aliter opinandi Theologis adempta. Quî igitur suadeat sibi Swindenius se posse effugere temeritatis notam, dum in sententiam audacter insurgit, quæ, ut ut careat definitivo Ecclesiæ decreto, pari nihilominus fulcitur fundamento Scripturarum, atque Patrum, eamque veluti popularem errorem infrunito studio traducit?

At fallit etiam imperitos Doctor Anglus, dum confidentissime obtrudit, non ita de subterranea Inferni sede doctrinam constantem esse in Ecclesia ipsa Romana, ut ab ea non desciverint Doctissimi viri, atque alias hypotheses consectarentur. Quinam, amabo, sunt hi Communionis Romanæ viri clarissimi, qui in aliam a pervulgata sententiam iverint? Nam quamquam ego plures repererim haud inter se plane consentientes quoad situm definitum terrestris globi, in quo constituendus sit damnatorum carcer; neminem tamen invenire licuit, qui non intra telluris viscera, aut ingentem cavitatem aliquam collocaverit. Quin & Theologi, quos legi, omnes, in hoc suffragiis concordibus assentiuntur, ut communem sententiam haud existiment repudiari a Catholico viro posse absque aliquo orthodoxæ doctrinæ præjudicio. Ex multis quos afferre fas esset, unum, vel alterum audire non pigeat.

Andreas Duvalius *de quatuor novissimis* T. I. Theolog. circa finem, ubi de Inferni sedibus sermonem habet, ita fidem spectare docet sententiam de carcere damnatorum subterraneo, ut citra summam temeritatem aliter opinari non liceat: idque probat tum communi fidelium sensu, tum pluribus Scripturarum, novi, & veteris testamenti textibus. Augustinus de Rubeis *in 4. distinct.* 50. ita sapienter disserit: „ Quamquam nullibi

C 2 „ divi-

„ divina Scriptura, vel generalibus „ Conciliis aperte, & expresse propositum sit fidelibus tamquam fidei dogma, Inferos sub terra esse, quomodo „ multa fidei decreta proposita sunt... „ eaque de causa ad fidem hoc modo „ non spectat, videlicet, ut ajunt, *primario*. Quod tamen quæcumque sacris litteris continentur, etsi ea præcipua fidei decreta non censeantur, „ revocari in dubium non possint, nisi „ quid inde consequatur fidei nostræ „ decretis repugnans; hæc secundario, „ & quasi indirecte, revocantur ad fidem, non equidem quod eis adversari errore careat; verum quod nobis „ ab Ecclesia haud proponantur tamquam fidei mysteria ad credendum... „ Hoc ergo posteriori modo videtur ad „ fidei dogma pertinere Inferos sub terra esse „. Quod subinde late probat.

Haud absimilia tradit egregius imprimis Theologus Dominicus Soto *in* 4. *distinct.* 45. inquiens: „ Infernum opinari non esse sub terra, plusquam temerarium est, & hæresi valde affine „. Concinit Franciscus Sylvius in q. 70. supplem. S. Th. art. 7. ubi postquam subtus terram esse asseruit, *hæc doctrina*, subdit, *tametsi non sit fidei*, *usque adeo tamen certa est*, *ut contrarium temeritate non careat*. Atque hanc, ut minus, extremæ temeritatis notam contra dicenti opinioni cæteri quique inurunt de Schola Theologi, qui de hoc argumento tractarunt.

Sed numquid ab his dissentit Theologorum Princeps S. Thomas Aquinas? Hoc equidem, ut jam innui, exerte affirmat Swindenius cap. 8. his verbis: „ Thomas Aquinas inter alios nedum „ in hanc hypothesim (de Inferis subterraneis) inconsulto, ac veluti obtorto collo se pertrahi minime passus „ est: quin etiam illam improbavit vehementer, declaravitque se nedum „ ignorare prorsus ubi locus Inferni sit, „ verum etiam sibi persuasum esse a „ nemine mortalium posse cognosci citra expressam, qua certe caremus, „ Dei revelationem „. Quis tanto viro fasces haud sponte submittat? Quis eximio Doctori ita loquenti temeritatis notam impinget?

Hæc ego cum in Swindenii libello legerem, magna me sane cepit admiratio: at longe majore correptus sum, dum consultis S. Thomæ locis, nihil omnino eorum deprehendi, quæ tanta fiducia publicæ luci Author mandavit: quin immo reperi, quod vel summæ imperitiæ, vel sublestæ fidei apertissime revincatur. En totius articuli septimi (*a*) S. Doctoris synopsim, ex qua evidens est tum ne verbo quidem communem improbasse sententiam, tum potius conceptissimis verbis eamdem approbasse, & convenientiorem judicasse cæteris omnibus; quæ fuerant a quibusdam excogitatæ, earumque fundamenta penitus evertisse. Titulus articuli hujusmodi est: *utrum ignis Inferni sit sub terra?* Qua in quæstione aliqua primum de more sibi objicit argumenta, quorum alterum, & tertium eadem prorsus sunt, quibus maximopere usus Swindenius est ad subterraneam Inferorum sedem impugnandam. Deinde plura contra profert, quæ Infernum probant, convincuntque esse sub terra, 1. scilicet celeberrimum Isajæ textum ex cap. 14., *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui*; *&c.* 2. testimonium S. Gregorii Magni Dialog. 4. dicentis: *Quid obstet non video, quod Infernus esse sub terra credatur*. 3. verba Glossæ in illud Jonæ cap. 2.: *Projecisti me in corde maris*; idest, *in inferno*, *pro quo dicitur in Evangelio Matth.* 12. *in corde terræ*: *quia sicut cor est in medio animalis*, *ita & Infernus in medio terræ perhibetur esse*. Quibus propositis in Respon. ad prim. inducit S. Augustinum ajentem, *se nescire*, *in qua parte mundi sit infernus*: quæ verba de determinata terræ parte accipienda esse, ex iis, quæ subinde ex eodem Augustino promit S. Thomas, perspicuum affatim est. Affert enim celebrem ejus locum ex libro Retractationum, ubi

(*a*) Supplem. q. 97.

ubi ait: *Mihi videor dicere debuisse magis, quod sub terris sint Inferi, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur, sive credantur*. Refert deinceps jam prælaudatum S. Gregorium Magnum, qui probabiliorem affirmat sententiam de Inferis subterraneis, eamque duplici momento roborat, altero quidem ex ipsius nominis ratione deprompto: altero autem ducto ex verbis Apocalypsis cap. 5.: *Nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum*. Geminam quoque rei hujusce convenientiam ab Augustino jam traditam non prætermittit. Tum vero memorat veterum quorumdam Philosophorum placita, quorum aliqui Infernum locabant *supra terræ superficiem ex parte nobis opposita*, cui sententiæ adhæsisse videtur Isidorus, quem tamen exponi facile posse contendit: demumque ipse concludit his verbis: *Convenientius his, quæ in Scriptura dicuntur, est, ut sub terra Infernus esse dicatur*. Hinc vero quatuor, quæ sibi objecerat, argumenta dissolvit, ostenditque præ aliis, ignem posse subsistere in terræ visceribus, maximæque efficaciæ futurum: *Quia*, inquit, *calor ejus erit undique congregatus propter frigus terræ undique ipsum circumstans: ac intra terram tantam concavitatem conservari divina virtute, quæ damnatorum omnium corpora capere possit*: quæ sunt eadem argumenta a Swindenio adhibita, ac tantopere jactata. Hæc itaque tota est articuli S. Thomæ doctrina compendio collecta de Inferorum loco. Abstinet se ille quidem, ut sæpissime etiam in aliis, a censura adversariæ doctrinæ. At numquid in toto articulo vola, aut vestigium rejectæ a S. Doctore sententiæ de situ Inferni subterraneo, quemadmodum eidem fidenter imponit Theologus Anglus? An non potius illam disertissime adstruit, atque confirmat? Ubi ergo bona Authoris fides? Ubi sinceritas?

At ne quis fortasse suspicetur locum alium S. Thomæ reperisse Swindenium, cætera percurramus ejusdem opera, in quibus de eodem argumento sermonem habet. Duo porro hæc sunt, nec tertium invenire licuit: opusc. namque 10. art. 31. & opusc. 13. art. 24. Priore loco inquirit, *an Infernus sit in centro, vel circa centrum terræ?* Cui quæstioni respondet: *Dicendum videtur, quod locus Inferni sit infra terram. Unde Augustinus in lib. Retract. dicit: de Infernis magis, ut videtur, dicere debuissem, quod sub terris sint, &c. Ubi tamen sit Infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere*. Atque eamdem quæstionem instaurat altero loco laudato, eamdemque adhibet responsionem. Quare S. Doctor liberum quidem cuilibet esse censet infernum statuere vel circa terræ centrum, vel in aliis terræ recessibus. At nedum consentit intra terram ipsam locandum esse; sed & id ad doctrinam fidei pertinere satis aperte significat: adeoque nihil est, quo Swindenius vel fidem, vel saltem incogitantiam suam tueri valeat in afferenda S. Thomæ Authoritate.

C A-

CAPUT VI.

Primum Swindenii argumentum adversus vulgarem de Sede Inferni sententiam, depromptum ex repugnantia, quam fingit, latentis ignis intra viscera terræ. Excutiuntur, & discutiuntur, quæ fusius opponit ille, sive de quantitate gehennalis ignis, sive de necessitate illabentis aëris ad ejus conservationem, sive de violentia igni continenter illata, sicut & alia incommoda, quæ inde secutura comminiscitur. Nullius roboris esse convincitur argumentum ex iis etiam, quæ tandem Swindenius confessus est.

Sublatis jam de medio omnibus, ut putat Swindenius, quæ opponi sibi poterant sive ex Sacris litteris, sive ex traditione Ecclesiæ, impedimentis, viribus resumptis recta adoritur vulgarem de situ Inferni sententiam, sibique probandum sumit, ne probabile quidem esse, si spectetur ratio, damnatorum ignem existere vel in centro terræ, vel in aliqua terrestris orbis parte. Primum porro argumentum arcessit ex ignis natura, cui hypothesim illam prorsus adversari pertendit. „ Nemo nescit, inquit Cap. „ V. duo omnino desiderari ad naturam, & existentiam ignis: primum est „ materia oleosa, atque sulphurea, qua „ nutritur, & conservatur: alterum materia combustibilis, ac nitrosa, quam „ mutuetur ab affuso aere: quæ si desint, diu subsistere nequaquam valet. „ Siquidem cum ignis corpus tenuius „ sit, ac subtile, partibusque constet „ cupido, ac vehementi motu agitatis, „ si materia ad proprietatem hanc suscipiendam idonea, vel consumpta „ fuerit, vel amota sensim debilitetur, „ necesse est, ut elanguescat, ac tandem perniciessimo cessante particularum „ motu penitus extinguatur: uno verbo „ deficit ignis, ac perit, sive exhausta „ materia ad comburendum apta, sive „ allabentis aeris communicatione præclusa „. Ex his autem suum conficit Swindenius argumentum, quod putat validissimum adversus subterranei Inferni opinionem. „ Nam neque, ait, „ intra telluris viscera tanta concipi materia potest oleaginosa, atque sulphurea, quæ immensæ sufficiat gehennalis ignis fornaci constituendæ, nec „ novo continenter ingesto pabulo indigeas. Sed neque, si tantus etiam po„ natur ignis, diu posset conservari ob „ interclusum aeris communicationi aditum, qui durissimam terræ molem „ subingredi, aut penetrare minime potest; Aut si forte in telluris superficie „ rimas aliquas effingas, unde igni necessarius illabatur aer, illuc etiam illaberetur aqua, cujus, ut ex orbis „ terraquei compositione constat, tanta „ quantitas est, ut ad ignem quemcumque intra terræ viscera latitantem penitus obruendum abunde sit „. Atque hæc magna quidem verborum copia Swindenius exaggerat, ex quibus tamen nihil aliud extundas.

Nullus dubito, quin Lectores omnes haud plane imperiti vehementer succenseant Theologo nostro, quod futili hoc utatur argumento ad communem de igne Inferni subterraneo sententiam subruendam. Plura mihi observanda forent ex iis, quæ disserit ille de ignis natura, actione, compositione, atque orbis terraquei magnitudine: neque enim, quantum ex verbis ejus conjectari licet, legitimam horum notionem satis videtur habuisse perspectam. Cæterum iis prætermissis, de quibus fusior infra sermo erit, paululum excutiamus a Swindenio elicitas principiorum suorum consecutiones. Et primo quidem si illud constituamus, ut constituere certe debemus, Deum verum, ac materialem ignem ad rebelles hostes suos puniendos destinasse, quidni tantam abdere potuit intra penitiora viscera terræ oleosæ, atque sulphureæ materiæ copiam, quanta sat esset amburendis reprobis omnibus, quorum profecto numerum novit? a Terraquei globi peripheria, sive magnitudo ad viginti duo, vel, ut aliis placet, viginti tria circiter milliariorum italico-

rum

rum millia protenditur, atque adeo ejus Diameter supra septem millia milliariorum est. Totum hunc diametrum in quadraginta partes divide, unamque ex iis dumtaxat deputatam intelligas continendæ materiæ oleosæ, ac sulphureæ, arduumque tibi erit consequi mente latentem intra penetralia terræ damnatorum carcerem sive supplicium? An tanta materiæ copia in ea modica cavitate conclusa, incredibilis tibi videtur? At considera longe majorem esse ejusdem oleaginosæ, ac sulphureæ materiæ quantitatem, quæ prope extimam delitescit terræ superficiem, caloremque eximium subministrat, atque interdum etiam erumpit in flammas. Benedictus Averanus, scriptor in primis gravis, & eruditus de re hac sermonem habens in *Anthologia Differt.* 72, sic ait: „ In „ terra quanta vis cernitur interni, „ quanta extrinsecus accedentis caloris! „ Declarant id plane, quæ sinu matris „ foventur, aluntur, & educantur: „ nec ulla est tam frigida tempestas, „ qua nihil a terra parente generetur, „ nihil nutriatur. Declarant metalla, „ quæ in ipsis prope terræ visceribus, „ & in inanium sede procreantur. Declarant ignium tot locis existentium „ miracula. Declarant fontium calidorum ex imo erumpentium scaturigines. Theophrastus ingenti terræ motu „ vim aquarum errupisse, & in iis pisces conspectos esse tradit. Ex quo „ intelligi potuit, & in ipsis terræ latebris, intimisque recessibus esse calorem, qui sufficiat animantibus procreandis, & conservandis, vitæque „ impertiendæ, & sustentandæ „. Præterea nonne plurimos esse constat in orbe terrarum Vulcanos, sive montes ignivomos, qui ingentes flammarum globos identidem eructant? Habemus Ætnam in Sicilia, Vesuvium in Campania, Heclam in Islandia, Balatam in Sumatra, Jonapin in Insulis Bandanis. Alios habemus in Java, in Fandaia, in Dama, in Tidor, in Japponia, in Insulis Philippinis, Moluchis, Azoribus, & Arcipelagi S. Lazari adeo ut vix unum ex his invenias absque monte-ignivomo. Quid dicam de Vulcanis, qui sunt in Africa, & in America tum septentrionali, tum meridionali, iisque præsertim, qui se produnt in jugo Peruviano, vulgo *Cordilleres*, quorum non desunt, qui flammas continenter emittant? Consuli de his possunt Kircherus, Valmontius, Varenius, aliique, qui montes hujusmodi in externa superficie terræ spectabiles ad quadringentos, & quingentos enumerant; atque ex his terram plenam ignibus esse satis demonstrari docent. Quænam porro alia tot ignium materia, nisi bituminosa, sive oleosa, atque sulphurea, intra cavitates terræ conclusa, quæ dum intestino partium motu agitatur, ea, quæ conspicimus, phænomena procreat? Si igitur ad orbis terrestris, & incolarum commoda, atque utilitates tam ingentem igneæ materiæ copiam prope ipsam telluris superficiem conclusit supremus Author naturæ Deus; cur incredibile cuiquam videri potest, supremum quoque divinæ justitiæ vindicem Deum ad impiorum punitionem longe sane minorem materiæ ejusdem quantitatem in profundiore conclusisse terræ sinu?

Atque hinc etiam constat plusquam inane esse quod Swindenius adjecit, debuisse scilicet ex tam immensa gehennalis ignis fornace, quæ intra terram existeret, terram ipsam jam totam penitus esse consumptam, atque in cineres redactam. Hæ plane nugæ sunt eæque putidissimæ. Etenim si tot per terrarum orbem ignes diffusi longe nobis proximiores, ac vix milliare unum a superficie distantes, tantam cladem non inferunt, quin immo neque alterationem aliquam sensibilem in ipsis montibus, locisve interiori igni subjectis, aut contiguis, hactenus intulisse novimus, nonne delirium est id cogitare de igne inferni magna plurium milliarium intercapedine a superficie terræ sejuncto, & claustris solidissimis circumsepto?

At vero Swindenium Swindenio ipso revincamus, oportet, sive potius aberrationes, in quas turpissime lapsus est, ut hoc suum argumentum efferret magis, atque constabiliret, redarguamus. Confide-

siderat ille eodem Cap. V. subterraneos ignes, qui e montibus, aliisque terræ partibus erumpunt, seque facile assensurum profitetur eorum Philosophorum sententiæ, quæ *Archæum* sive centralem ignem constituit in orbe terraqueo, *si plurimi forent montes ignem vomentes, si in diversis globi partibus interspersi, si in polaribus circulis essent, sicuti versus æquatorem, si demum puras flammas, easque perpetim emitterent. At cum horum montium numerus exiguus admodum sit, celebrioresque prostent prope Zonam torridam, nec flammas semper eructent, nihil ex his aliud colligere possumus, sed neque debemus, nisi peculiares esse quosdam ignes, a solaribus radiis, ut est verosimilius, accensos, & accidentariis caussis, fomentisque enutritos*.

Quis non miretur vanis hisce, & ex arbitrio confictis conjecturis, deserere potuisse Swindenium sententiam, quam, ut ait Thomas ipse Burnetus (*a*), *testatur omnis antiquitas, Romana, Græca, Barbara, latere nempe in centralibus partibus terræ ignis inextinguibilis thesaurum*? Primum namque falso asserit ille paucos esse in terrestri globo ignivomos montes, sive, ut ait, sex dumtaxat, aut octo, cum, ut jam diximus, ad quadringentos, & quingentos enumerentur a peritissimis viris. Falsum itidem est celebriores hosce vulcanos prope Zonam torridam esse, nullumque flammas constanter emittere, idque ex iis, quæ notata sunt exploratissimum est. A vero quoque abhorret quam maxime internos montium, aliarumque partium terrestrium ignes accendi a radiis solaribus, qui, ut observatione compertum est, ne tempore quidem æstivo terram vi sua pervadunt ad decem, sive ut alii ad quindecim profunditatis pedes. Sed turpes hasce hallucinationes Swindenio ultro condonamus, ut illud tantummodo considerandum Lectorum oculis subjiciamus, quod sponte ipse profitetur, admitti nempe tunc posse, ac debere in globo terraqueo centralem ignem, cujus veluti ostia quædam, aut spiracula forent ignivomi montes, si ea confluerent omnia, quæ ex pingui errore tamquam falsa traducit, ac peritissimi viri ut certa demonstrant. In hac enim hypothesi a Swindenio quæramus, num tanta ignis copia, quem saltem possibilem esse eodem loco satis manifeste consentit, tellurem omnem jam a multis sæculis absumpsisset, & in cinerem redegisset? Id asserere profecto nequit quin idem possibile simul, & impossibile judicet. Igitur si consistere potest extimæ telluris integritas cum tanta ignis quantitate superficiei ejusdem ferme inhærentis; nonne stultum est cogitare integritatem eamdem terræ haud posse subsistere cum Inferorum igne, qui in intimiore latet, ac remotissimo terræ recessu? Sed aliam argumenti propositi partem paululum circumspiciamus.

Ignis, inquit Swindenius, continua indiget affusione aeris, quo excitetur, foveatur, & conservetur. Nullum autem conspicere licet in igne Inferni aeris affusi fomentum, ubi rima nulla, vel aditus patet ob immensam soliditatem terræ interpositam. Bene, & optume. Verum illud nobis primum edisserat Author, num saltem divina virtute novi aeris illabentis defectus suppleri valeat? Propheta certe Isajas Deum nobis exhibet gehennalis ignis fornacem succendentem, suoque halitu foventem, atque conservantem. *Præparata est*, inquit, cap. 30. *ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam*. Præformasse Prophetam hac locutione imaginem Damnatorum fornacis, concors est Sanctorum Patrum, Sacrorumque Expositorum sententia, nosque alibi fuse probavimus (*b*). Ignem ibi inextinctum durare, æternumque duraturum satis aperte significatur. At quamnam Isajas assignat perpetuæ hujusce durationis caussam? Non aliam, nisi Do-

(*a*) In Theor. Tellur. lib. 4. c. 10.
(*b*) Lib. 2. de fut. Imp. statu Cap. 8, & 10.

Domini flatum, sive omnipotentem Dei voluntatem, quæ damnatos horribili illo justitiæ suæ instrumento in omnem æternitatem punire decrevit, ac punire valet, quin opus habeat novi sibi perenniter succedentis fomenti ad ignem excitandum, conservandumque ministerio. Hinc de futura impii hominis animadversione loquens Sanctus Job *Cap.* 20. scribit: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*, sive ut in hebraïco textu, *qui flatu non excitatur*, aut, ut alii legunt, *qui sufflatione opus non habet*. Quibus verbis, ut advertunt Sacri interpretes, indicatur discrimen ignis nostri usualis ab eo, quem accendit divina justitia ad impios in futura vita puniendos: quod iste scilicet nec egeat *insufflatione*, nec additamento novæ materiæ, nec demum aeris excitantis appulsu: sed semel accensus a Deo semper ardeat, nec extinguatur unquam, Deo ipso illum conservante, ac tum aeris, tum alterius cujusque fomenti, aut nutrimenti supplente defectum.

Quod si hæc tandem intellectu difficilia Swindenio videantur, meminerit oportet eorum, quæ scripsit *Cap.* 4. adversum illos, qui ignem Inferni icirco metaphorice explicandum putant, quod percipere nullo modo valeant materialem ignem diu posse subsistere. Quid enim contra ipse reposuit ad illos revincendos? En responsum: *Quamquam explicare haud nobis liceat, quo fieri modo possit, ut materialis ignis æternum duret; numquid propterea consequens erit durare minime posse, ne virtute quidem omnipotentis Dei? Quis desipiat adeo, ut infinitam potentiam Dei intra naturæ terminos circumscribere velit, aut eam dimetiri juxta intellectus nostri ideas angustas, atque imbecilles?* Hæc sane verba in caput Swindenii recidunt, suumque penitus infringunt, & conterunt argumentum. Quamquam enim & appulsus succedentis aeris, & novæ identidem ingestæ materiæ accessio ad ignem fovendum, conservandumque juxta præstitutas naturæ leges, necessaria sint, aut esse judicentur: non ideo sibi potestatem ademit omnipotens Deus, ut etiam absque hisce adminiculis incolumem servet gehennalem ignem. Quandoquidem & post extremi judicii diem, nova rerum naturis imposita lege, Damnatorum corpora ita in medio igne ferventissimo servabit, ut acerrime semper urantur, atque crucientur, quin unquam tamen dissolvantur, aut consumantur.

Verum & illud hic adnotare lubet aeris illabentis appulsum necessarium quidem censeri a Philosophis, sed non omnino ad ignem conservandum, sed ad flammam potius ex ignitis corporibus excutiendam, atque alendam. Ignem namque & verum, & intensissimum intelligimus, quum intestino motu, ac perturbato, vel quovis alio nomine appelles, materiæ partes vehementissime abripiuntur, & expanduntur. Sed ad flammam ulterius excitandam necesse est, ut subtiliores ejusdem particulæ a crassioribus, atque fixis exsolutæ tumultuario quodam impetu exiliant: id quod appulsu aeris perficitur, aut saltem promovetur. Porro Inferni ignem non in flammas erumpere, sed instar eliquati plumbi, alteriusve metalli inardescere credibilius est, ac frequentius tradunt Sancti Ecclesiæ Patres, ex quibus Lactantius ita de illo appositissime loquitur lib. 7. Divin. Instit. Cap. 20. *Ignis sempiterni natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria utimur, qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum; sed est purus ac liquidus, ac in aquæ modum fluidus. Nec enim vi aliqua sursum versus urgetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cælestem naturam cum trepidatione mobili subvolare* &c.

Illud vero, quod Swindenius subjicit de perpetua igni illata violentia, si in subterraneo specu contra naturam suam jugiter detineretur, nec seria dignum refutatione est. Quid enim violentum, aut contra naturam fingitur, quod ab Authore naturæ est, qui leges, & inclinationes naturales creaturis omnibus præstituit, disponitque omnia juxta con-

filium voluntatis suæ? Sed fac etiam Inferorum ignem detineri in statu violento, num propterea ita haud poterit detineri, quemadmodum jam a mundi initio ignes plurimi sunt in tot terræ finibus, & cavitatibus, ut experientia docet, & major, ac melior confirmat Philosophorum pars?

Omnem denique vincit ineptiam, quod ad cumulum addit Swindenius ex Idea terrestris orbis, quam nobis exhibent Sacræ litteræ. Etenim, inquit ille, dum eas evolvimus, aliud nihil nobis occurrit de globi hujusce constitutione, præter terram & aquam, adeo ut hæ solæ partes, quibus constat, memorentur, non autem ignis, & aer. Porro divinæ Scripturæ etiam de igne mentionem aliquam fecissent, si tanta ipsius copia intra terræ viscera delitesceret, quanta concedenda plane est ad damnatorum supplicium. At quis argumentum hujusmodi non contemnat, aut potius non irrideat? Ex quo in primis, si quidpiam probaret, illud conficeretur, nec certe Solem, prout ipse contendit, igneam esse fornacem, quam Deus reprobis puniendis accenderit. Nusquam enim Scriptura, quæ de Sole loquitur tam frequenter, ejusque ministeria, & officia describit, hujusce meminit ne verbo quidem. Deinde ubi extat, quæso, in libris sacris accurata illa, quam Swindenius præsumit, creatarum rerum descriptio?

Ubi terrestris globi theoria delineata, inque omnes partes suas etiam intimiores distributa? Equidem in libro Genesis rerum omnium creationem a Deo peractam sacer textus enarrat; sed non nisi ea peculiariter commemorat, quæ sunt magis in propatulo, atque ad rudis, hebetisque populi captum, & ingenium temperata. In libris reliquis eadem interdum obiter & cursim attingit, ut pro instituto suo nos ad fidem, pietatem, atque charitatem erudiat, ac provocet. Nullibi vero exactam, distinctamque offendas rerum hujusmodi descriptionem, sive picturam. Demum, quod caput est, falso a Swindenio pro certo sumitur nullam sacras litteras unquam fecisse de igne Inferni subterraneo mentionem. Cum enim vero, ac materiali igne puniri reprobos sæpissime affirment, ut Swindenius ipse non ambigit, eadem Scripturarum loca, quæ in altera hujus Dissertationis parte affatim proferemus ad probationem subterranei damnatorum carceris, invicte quoque probant ignem illum sub terra conclusum, quo tamquam instrumento ad plectendos impios utitur divina justitia.

Atque hæc sunt omnia, quæ ex primo capite opponit, momenta Theologus Anglus adversus vulgarem de situ Inferni sententiam, inepta plane, ac indigna confutatione. Verum & illud est, quod mirere quam maxime in hoc Authore, qui postquam in argumento suo extruendo, muniendoque tamdiu laboravit, viresque exhausit ingenii sui, eidem tandem vim omnem adimit, ac palam prodit nullam ipsius habendam esse rationem. Siquidem ita scribit ille *cap.* 8. *pag.* 133. eorum hercle oblitus, quæ antedixerat magno apparatu verborum: „ Si in eloquiis divinis talem notionem haberemus de Spiritibus ad „ Inferna detrusis (ut nullis scilicet „ opus esset dimensionibus ad eos continendos); tunc (N. B.) non aliunde quærenda foret sedes Inferni, quam „ in ipsa tellure. Quoniam hac in hypothesi sat spatii suppeteret intra terram pro capiundis Damnatis omnibus „. Hæc ille. Quis ergo ex hoc statim non colligat flocci pendere Swindenium, quod hactenus tanto studio, ac molimine construerat, argumentum? Etenim, si in illa hypothesi non alibi, quam intra tellurem, quærenda esset sedes Inferni, si sola spatii carentia, ipso Judice, impedimento est, ne damnatorum carcerem constituamus in terris; quid jam prosunt Swindenio argumentum suum, atque omnes animadversiones, quas ad roborandum illud hucusque congessit? Cur studio ac labore tam improbo connisus est, ut gehennalem ignem semoveret a visceribus terræ? Namque spatio, ut lubens assentitur, invento, nihil est prorsus quod

nos

nos a vulgari sententia consectanda prohibeat: unde & intra penetralia terræ consistere valet ignita materia, quin superficiem absumat; & citra perennem affluxum aeris subterraneus ignis conservatur, & alitur, & nulla eidem igni infertur violentia: ac demum globus iste terraqueus haud refugit ignis consortium, nec quidpiam obest Scripturarum de hoc interno igne silentium: verbo, nihil omnino valet argumentum Swindenii, nec nisi ad fucum imperitis faciendum inductum est. Ad aliud itaque, quod ex defectu terrestris spatii pro continendis damnatis promit, discutiendum accedamus.



CAPUT VII.

Alterum illudque præcipuum Swindenii adversus vulgarem sententiam argumentum ex defectu spatii subterranei ductum ad capiendos damnatos omnes. Quam incerto fundamento illud superstruat. Theologorum quorumdam opiniones expositæ de spatio Inferni. Quid aliqui senserint de amplitudine ejus ad capiendos reprobos necessaria. Frustra Swindenius exaggerat multitudinem Dæmonum. Animadversiones quibus argumentum futile esse demonstratur. Hypothesis ingeniosa Henrici Mori irrito conatu ab Authore impugnata.

PRæcipuum, ne dixerim unicum, argumentum, quo ad refellendam vulgarem de situ Inferni sententiam Swindenius utitur, ex amplitudine spatii deducit, quæ ad reprobos omnes sive cacodæmones, sive homines impios continendos, necessaria est, quamque intra viscera terræ concipere non modo difficile, sed & impossibile judicat. Hoc exponit ille fusissime ac pro viribus urget *Cap.* 8: hoc etiam, reliquis prætermissis, passim opponit in Opere suo, ac veluti Gorgonis caput ostentat, ut aspectu ipso timorem incutiat, cogatque alio confugere ad quærendam damnatorum sedem: Quare veniam mihi dabunt Lectores humanissimi, si in spectro hoc discutiendo, penitusque dissipando paulo amplius immorabor, pluraque hinc, atque inde conquiram, ut illud inane prorsus, ac futilissimum terriculamentum quaquaversum ostendam: eo vel maxime, quod intelligam esse nonnullos, qui hocce argumento se non leviter commoveri sinant, ac, (si Swindenio fides,) non desint aliqui, qui secum consenserint, haud excogitari, vel fingi posse in hac tellure tantumdem spatii, quod infinitum propemodum damnatorum numerum sinu suo complectatur.

Versat ille ex instituto hoc argumentum Cap. laud., multaque infarcit, quæ ad rem nihil attinent, ac plane nugatoria. Considerat primo exiguam terræ molem, quæ cum totius Universi magnitudine comparata juxta Prophetam Isaiam, *est, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, ac pulvis exiguus*: additque *jam ab Astronomis demonstratum minorem quamlibet ex inerrantibus stellis totam terram magnitudine sua longe superare ob immensam, quæ intercedit, a stellarum orbe distantiam, adeo ut si terram quispiam illinc prospiceret, nihilum prope videretur*. Tum vero colligit *minoris multo amplitudinis esse minimam terræ partem*, quæ plectendis damnatis deputatur. Næ peregrinam eruditionem!

Hinc gressum faciens in observationibus suis Theologus noster animadvertit ex libro Apocalypseos „ vacuum magnum factum esse in cælo ex Angelorum ruina. Unde juxta S. Augustini, aliorumque doctissimorum Patrum sententiam, Angelorum desertæ sedes ex divina ordinatione supplendæ, ac instaurandæ sunt ab hominibus, qui in libro vitæ sunt conscripti, *ne suprema illa civitas* (verba sunt Augustini lib. 22. de Civit. Dei) *fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur*. Si ergo, inquit Swindenius, Angeli, qui ceciderunt, tam magnam reliquere vacuitatem in immensis cælorum spatiis, qui fieri potest, ut eorum innumera multitudo intra minimam concludatur terrestris globi partem?„ Audistin robustissimam argumentationem? Neque forsan suspicere in ea Swindenium opinione esse, quæ corporatos Angelos ponit: materiæ namque omnis expertes profitetur. At nihilosecius, quamquam inextensi *tam ingens vacuum*, si ipsum audimus, lapsu suo *reliquerunt in cælo*, ut tanta, quæ illos capiat, amplitudo intra terræ cavitates ne percipi quidem animo valeat. „ Quod si, pergit Author, tam ingenti Angelorum rebellium multitudini, numerum adjiciamus præterea damnatorum hominum, tum vero multo incredibi-

„ lior

,, lior hypothesis constituta est. Nam ,, in eodem libro Apocalypsis testatur ,, S. Joannes, *Se vidisse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat* ,, *ex omnibus gentibus & populis, & linguis stantes ante thronum* sempiter- ,, na beatitudine fruituram. Quapro- ,, pter si tanta in cælo est electorum ,, frequentia, ut dinumerari haudqua- ,, quam valeat, quid sentiendum nobis ,, erit de multitudine damnatorum, quæ ,, dubio procul longius excedit electo- ,, rum numerum, Christo ipso attestan- ,, te *Latam, & spatiosam viam esse,* ,, *quæ ducit ad perditionem, multosque* ,, *ingredi per eam:* contra vero, *angu-* ,, *stam portam, & arctam viam esse,* ,, *quæ ducit ad vitam, & paucos qui* ,, *eam inveniant.* ,, Ex quibus colligit non effugere nimiæ præsumtionis, ac temeritatis notam, qui in hac tellure dimensiones Inferni circumscribunt, ac numerum definire moliuntur tum malorum spirituum, tum reproborum hominum: rem quippe aggrediuntur prorsus impossibilem, & quæ nulla definiri ratione, aut verisimilitudine potest.

His porro constitutis principiis, ad examen Swindenius vocat hypothesim *Drexelii, qui part.* 2. *C.* 8. *de Damnatorum carcere, & rogo*, ad centum mille milliones coarctat hominum reproborum numerum; spatium autem Inferni pro iis continendis ad milliare quadratum germanicum: eamque non refutatione, sed potius commiseratione dignam existimat. *Heus tu*, inquit, *quam arctam ponis, nimiumque angustam cavitatis infernæ mensuram! Quam exiguum damnandorum hominum numerum, habito ad electorum paucitatem respectu, quorum tamen nulla iniri supputatio valet!* Hinc in medium profert historiam *Tamerlani*, hominum millione adversus Bajazetum decertantis, aliaque cursim attingit, quibus amplissimam ostendat esse damnatorum multitudinem. Atque hæc sunt paucis a Swindenio momenta collecta, queis argumentum suum undequaque muniat, atque confirmet.

Nemo, ut opinor, futurus est, qui non clare perspiciat quam multa hic Swindenius congerat vel plane inutilia, vel ad rem, qua de agimus, minime pertinentia. Quid enim interest punctum ferme terram esse cum Universi magnitudine comparatam? Quisnam hoc in disputationem adduxit unquam? Aut quodnam inde consequitur emolumentum causæ suæ? Num propterea in hoc *puncto*, quod matematicum certe non est, sed milliaribus constat italicis supra mille milliariorum viginti duo, reprobi omnes concludi neutiquam poterunt? Quid in favorem præconceptæ sententiæ suæ extundere valet, sive ex Astronomorum principiis, quibus demonstrant minimam inerrantium Stellarum esse terrestri globo majorem: sive ex subjectis Scripturarum testimoniis de Angelis, quæ *stellæ* nominantur, ac de *magno vacuo* ex Angelorum lapsu in cælis relicto, quod oppido crasse nimium intelligit; sive demum ex ingenti militum acie a Tamerlano adversus Bajazetum instructa? Mittamus itaque hæc omnia, quæ, ut cum Poeta Hispano loquar (*a*)

Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis:

& in arcem difficultatis si qua est, invadamus.

In primis, dum Swindenius Authores quosdam nimiæ præsumptionis, ac non ferendæ temeritatis reos postulat, quod spatium Inferni quadantenus definire se posse crediderint; vereor sane, ne æquiore titulo præsumptionis, ac temeritatis postulandus ipse sit, quod tam præfidenter affirmet adversus Patrum omnium, Doctorumque consensum, tantumdem spatii minime intra terram suppetere posse, quantum pro capiendis damnatis omnibus necesse foret; neque enim rationem aliquam apodicticam profert, quin neque probabilem, qua id non esse possibile evincat, aut quoquo tandem modo persuadeat: sed mera imaginatione sua nititur, ac movetur. Ut plausibilem aliquam afferret probationem, compertus ipsi primum, exploratus-

(*a*) Martialis lib. 14. Epig. 1.

ratusque esse debuisset reproborum numerus, ac volumen, spatiumque quod occupare omnes oporteat, cumque ambitu conferre terrestris globi; atque inde supputatione instituta, ostendere par illud non esse ingenti Spirituum, corporumque acervo continendo. At vero cum plane ignotus sit reproborum numerus atque volumen, argumentum, quod conficit Swindenius, ut incerta suppositione nixum, nullius, ant certe exigui ponderis æstimandum est.

Propterea S. Thomas Aquinas, ac Theologi ferme omnes, qui hujusmodi jam objecere sibi argumentum, dimissa exactiore indagine de damnatorum numero, deque scrobis gehennalis amplitudine, rem hanc docuerunt ad divinam esse Providentiam referendam, quæ, cum satis perspicue declaraverit, ut alibi notum fiet, intra terram existere sempiternam Impiorum sedem; ita tantum inibi spatii reliquisse credendum est, quantum damnatis omnibus, quorum numerum apprime novit, continendis sufficeret. Ex his audire non pigeat Augustinum Rubeum, qui *lib.* 4. *dist.* 50. ita sua refert, & aliorum placita. „ Si „ quis, inquit, quærat, quomodo tot „ corpora in concavitatibus terræ, & „ voraginibus centri post diem judicii „ stare poterunt? Nil aliud respondebo, nisi quod Scriptura ait, quod „ *tria sunt insaturabilia, infernus, os „ vulvæ, & terra &c.* Quare si Infer„ nus ita est a Deo creatus, ut insatu„ rabilis existat, cur nos dubitabimus „ de capacitate ejus? Reliqua, quæ ad „ hanc rem adduci solent, revera po„ tius imaginationes, quam rationes „ reales adinveniuntur. Propterea D. „ Bonaventura de hac re sermonem ha„ bens sic ait „: *Si autem quæras imaginationem, qualiter capiatur istud, quod tanta hominum multitudo sub terra sit, dici potest, quod omnes homines, qui nunc sunt, vix caperent millesimam partem terræ si simul essent. Si ergo omnes homines, qui fuerunt ab initio usque ad finem, vix excedunt homines, qui nunc sunt, in millesima proportione, omnes homines vix occuparent superficiem terræ. Si ergo concavitas est majoris capacitatis, quam sit superficies; multo magis poterunt capi in concavitatibus terræ.* „ Sed mera, subjicit Rubeus, ima„ ginatio est hæc. Nam quis agnovit „ omnes homines, qui fuerunt ab ini„ tio, & erunt usque in finem, vix „ excedere homines, qui nunc sunt, in „ millesima proportione? Quis scit, „ quando Mundus finem sit habiturus, „ ut sic computare valeat? At D. Tho„ mas in addit. q. 97. art. 7., omissa „ imaginatione, melius respondet, In„ fernum inter *tria insaturabilia* posi„ tum esse, nec esse inconveniens in„ ter viscera terræ tantam concavitatem „ conservari divina virtute, quæ da„ mnatorum omnia corpora capere pos„ sit. Et hæc est vera responsio. Deus „ enim ab æterno præsciens numerum „ damnatorum, in tempore creans ter„ ram, & Infernum sub terra, tot con„ cavitates, & voragines in ea, & præ„ sertim in ejus centro conservavit, „ quæ ad tot capienda corpora idoneæ „ futuræ essent „. Hæc ille, quæ sat esse possent ad Swindenianum argumentum penitus dissipandum.

Alii nihilominus Theologi D. Bonaventuræ methodum persecuti gehennalis voraginis capacitatem pervestigare conati sunt. Hos inter Drexelius a Swindenio laudatus ita ratiocinari posse sibi visus est loco citato de *Damnatorum carcere, & rogo*: Si addictos æternæ morti trigesies, aut centum mille milliones hominum fingas: flammeus autem carcer secundum omnem altitudinis, latitudinis, & longitudinis dimensionem ad unum milliare germanicum extendatur, sat spatii habebis omnino ad prodigiosum illum damnatorum numerum complectendum. *Carceri conveniunt angustiæ. Pars libertatis est laxe habitare. Atqui grex damnatorum, canes illi, ac porci, in arcto habitabunt, eruntque sicut uvæ in torculari, aut salsæ haleces in orca, aut sicut lateres in fornacis calcaria, aut sicut ligna in rogo, aut sicut prunæ in ignitabulo, aut sicut oves jugulatæ in macello, arcte scilicet, & compresse vincientur &c.*

Gemina docet P. Valentia, probatque juxta mathesim leucarum unam commu-

munem germanicam, sive quatuor milliaria Italica æque in longum, latum & profundum extensa supra octingentos mille milliones corporum capere posse, si corpori cuilibet sex quadrati pedes concedantur: atque adeo ad continendos damnatos omnes sufficere abunde putat: eademque est P. Leonardi Lessii sententia. Sebastianus autem Munsterus *lib.* 1. *Cosm. C.* 6. duo, vel etiam tria milliaria germanica quadrata tartareæ cavitati largienda decernit, quæ quidem, ut merito observat, nihilum ferme sunt cum toto terrestri globo collata.

His longe amplius extendunt damnatorum carcerem Ribera, Cornelius a Lapide, ac Tirinus, tametsi id minime necessarium fortassis existiment. Sibi nimirum suadent Inferni spatium non obscure a S. Joanne indicatum in Apocalypsi C. 14. com. 20. ubi legitur: *Misit Angelus falcem suam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ magni Dei magnum: & calcatus est lacus extra civitatem: & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta*, quæ ducenta sunt Italica milliaria. Locus quippe Inferni, inquiunt illi Doctores, satis aperte designatur prioribus verbis, *Misit in lacum iræ Dei magnum*: neque enim alteri congrue aptari posse videtur. Quare & sequentia similiter explicare par est, iisque capacitatem Gehennæ circumscribere.

Hos omnes profecto *præsumptionis*, *ac non ferendæ temeritatis* damnabit Swindenius, quod *definire studuerint dimensiones Inferni, ac reproborum numerum, quæ definiri nullatenus valent*, eo præsertim, quod de reprobis hominibus, sive de ipsorum corporibus recensendis solliciti, nullam rationem habuerint multitudinis propemodum infinitæ malorum Spirituum, qui & eodem carcere concludendi sunt, & eodem igne torquendi. Verum quamquam adductas Theologorum hypotheses nunc in medio relinquam, nec unam alteri præferam; jure tamen ac merito ab iis dumtaxat cogitatum arbitror de spatio continendis corporibus necessario, & Cacodæmonum multitudinem fuisse neglectam. Cum enim Dæmones juxta communem Theologorum doctrinam, Spirituales substantiæ sint, nulla concretæ materia, nulla affectæ dimensiva quantitate; spatio locali non indigent, ut puniri, & excruciari divinitus possint; crassæque nimis, ac pœne dixerim, insanæ mentis est tantumdem loci constituere continendis Spiritibus, quantum corporibus necesse asseritur, quum extra dubium omne sit plures ac plures Spiritus etiam in modico, ac modicissimo spatio posse consistere, sive per operationem, sive per detentionem, sive alio modo hoc intelligas (*a*). Nonne apud Sanctos Evangelistas Marcum, & Lucam legimus in unius hominis corpore Dæmonum legionem, sive magnam multitudinem extitisse (*b*), ut alia exempla prætercam? Si igitur tot in uno, eodemque corpore Dæmones esse potuerunt, cur etiam plurimi in eodem vel exiguo spatio torquendi divina virtute detineri non poterunt? Verum quid pluribus opus est? Quum Swindenius ipse post tot conatus in amplificando rebellium Angelorum numero, locique subterranei ad eos capiendos impare spatio, tandem agnovisse videtur argumenti sui futilitatem. Cum enim Cap. 8. laudatam sibi objecisset Theologorum doctri-

(*a*) Præstat hic subjicere doctrinam S. Thomæ Aquinatis, quem in honore habet Swindenius ipse: „ Angelo, inquit p. p. q. 52. a. 1., convenit esse in loco: equivoce tamen dici-„ tur Angelus esse in loco, & corpus. Corpus enim est in loco per hoc, quod applicatur loco „ secundum contactum dimensivæ quantitatis, quæ quidem in Angelis non est . . . . . & secun-„ dum hoc patet, quod non oportet dicere, quod Angelus commensuretur loco, vel quod ha-„ beat situm in continuo: hoc enim convenit corpori locato, prout est quantum quantitate „ dimensiva. Et similiter etiam non oportet propter hoc quod contineatur a loco „.

(*b*) Marci Cap. 5. *Et interrogabat eum* (Christus Dominus) *quod tibi nomen est? Et dixit ei: Legio mihi nomen est: quia multi sumus*: sive, ut apud Lucam Cap. 8. *quia intraverunt dæmonia multa in eo*.

ctrinam, ac veluti incertam traduxisset, postremo Lectorem observandum censuit, ut sedulo animadverteret argumentum a se confectum non tam ex Dæmonum multitudine expendendum esse, quam potius, & quidem damnatorum hominum, quos certum est post extremum judicii diem cum corporibus suis projiciendos esse in Inferni voraginem.

Porro si corporum habenda imprimis ratio est, ut Inferni capacitas constituatur, duplici animadversione compertissimum sit, quamcumque fingas durationem mundi, sat spatii intra terram suppetere, ut omnia penitus demum contineat. Harum prior hæc est: quod scilicet omnium hominum corpora, sive quæ extitere hactenus, sive quæ sunt extitura ad usque supremi judicii diem, non alia materia constent, quam terrestri, & ex extima quidem sola terraquei orbis superficie ducta: adeoque tota quanta futura est humanorum corporum materies intra amplam aliquam terræ cavitatem potiori sane titulo poterit contineri.

Hæc animadversio firmari altera valet eidem nixa fundamento. Fide certissima instruimur futurum aliquando universale judicium mundi, in quo, teste Apostolo, convenire debent omnes, *ut referat* unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum. Non alio autem saltem reprobi convenient, nec alibi consistent supremi judicis audituri sententiam, quam in aliqua telluris hujusce parte, quæcumque ea demum sit, ut concordibus animis Theologi docent, freti Scripturarum, & Ecclesiæ Patrum authoritate. Quis ergo inficiari ausit intra vastissimas voragines terræ posse reprobos comprehendi, qui nec totam terræ superficiem sua mole replebunt? (*a*)

Quid vero dicendum, si Theologorum quorumdam sequamur haud improbabilem opinionem de statu terrestris hujusce globi futuro post extremi judicii diem? Sunt enim qui existimant non ingens admodum spatium a divina Providentia, atque justitia modo intra telluris penetralia deputatum esse excipiendis reproborum animabus, Dæmonibusque, quos jam ad Inferna detrusit: neque enim amplo loco opus est ad nudos spiritus continendos. At vero post mundi totius excidium, post universale judicium suprema Dei potestate dilatandam putant Inferorum voraginem, ut non modo spiritus, sed & innumera reproborum corpora sinu suo vastissimo complectatur. De hac sententia legi possunt Ricardus a Mediavilla *in 4. dist.* 44. *art.* 2. *q.* 2., & Antonius Rusca *lib.* 1. *cap.* 54. *de Infer.*

Longius progressus est nobilis inprimis, & eruditus ex Anglia Scriptor D. Henricus Morus, eamque hypothesim ingeniose excogitavit, atque proposuit *lib. 6. cap. 9. de Magno Divinit. Myst.* quum sive probes, sive improbes, cum absurdam, aut impossibilem demonstrare nequeas, refutando Swindeniano argumento peridonea credenda est. Observat ille terram, sicut & elementa cætera juxta Sacras Litteras in statum alium esse reducenda extremæ conflagrationis igne. Sic enim inter alios scribit S. Petrus Apostolus 2. C. 3. com. 10.: *Adveniet dies Domini, sicut fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa vero calore solventur: terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur.* Hanc autem exustionem terræ, quodve ex illa relictum fuerit, ita intelligi posse arbitratur, ut tota substantia fluida terrestris globi vi, & efficacitate ignis in vapores abeat, fumumque densissimum, qui faciem terræ, veluti obscurissima quadam nube, undequaque circumtegat, easque inducat *tenebras exteriores*, de quibus non semel in Evangelio mentio: substantia vero solida terræ ardentissimo igne quaquaversum corripiatur, atque ita intime penetretur, ut tota

(*a*) Juxta calculum geometricum si singulis hominibus singuli passus quadrati tribuantur, extima terræ superficies caperet homines, 148,608,100,000,000: qui hominum numerus nec fuit, nec futurum credibile est. Vide cursum Mathem. P. Scotti, Riccioljum, & alios.

ta plane in globum igneum convertatur, in quem damnati omnes, peracto finali judicio, projicientur ad sempiternum supplicium. Qua in hypothesi haud certe impossibili, penitus ruit Swindenii argumentum, nemoque jam est qui non intelligat sufficiens futurum spatium in terra ad improbos omnes tum Dæmones, tum homines continendos.

D. Swindenius, qui hac hypothesi argumentum, quo pueriliter exultat, dejectum omnino vidit, atque contritum, duo ipsi reponenda putavit. Cavillatur primum laudata Apostoli verba: *Terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur*, contenditque ea, si ad extremi judicii diem referantur, ut referri fatetur communi Interpretum sacrorum sententia, non quamlibet significare renovationem terræ, sed totale excidium, & omnimodam eversionem. Tum addit S. Petrum paulo ante dixisse: *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*. Ex quibus efficitur, inquit, jam tunc, quum hæc loqueretur, immo & jam ab ipso Angelorum lapsu, extitisse Inferni sedem: id quod cum hypothesi minime cohæret D. Mori, qui illam in fine Mundi dumtaxat futuram præsumit.

Sed hæc gerræ sunt, nugæque levissimæ, in quibus discutiendis opus non est, ut anxie laboremus. Petri Apostoli verba, sicut & aliorum locorum sacræ Scripturæ, non violenta quidem, sed admodum congrua explicatione intelliguntur de terra ultimæ conflagrationis igne exurenda, & in novum statum restituenda, non autem ita penitus destruenda, ut amplius non subsistat. Atque hoc sensu ea intellexerunt Ecclesiæ Patres, ac Theologi. Quoad subjectum attinet ejusdem S. Petri testimonium, quamquam illud permitteremus, quod abhorret a vero, sacrorum librorum textibus, Dæmones omnes jam ab initio Mundi deturbatos esse in Infernum, ibique conclusos, quodnam inde accederet Swindenianæ caussæ præsidium? Non enim hypothesis a Domino Moro constituta negat, aut negare nos cogit, omnem & amplam quidem intra telluris viscera cavitatem, in qua nunc detineantur nequissimi spiritus, quæ post extremum judicium dilatanda sit, ac amplificanda ad totum terrestrem globum, ut omnium etiam damnatorum corpora continere commode valeat. Viden quam solidis armis Swindenius utatur ad diruendam vulgarem de Inferni sede sententiam, suamque erigendam? Ipse nihilominus quasi laudatam hypothesim funditus confregisset, ac redegisset in nihilum, suamque caussam in tuto collocasset, promovissetque invictissimis argumentis, tota fiducia concludit, nedum haud ex illa probari sedem Inferni in hoc orbe terrestri constitutam, sed validissimum ex eadem etiam argumentum duci, quod ad ipsam alio quærendam compellat.

Dicito io Pæan, & io bis dicite Pæan.

CAPUT VIII.

Geometriae principiis Swindenii jam expositum argumentum penitus evertitur, atque in nihilum redigitur. Verisimilis numerus hominum faciem terrae inhabitantium juxta Vossium, & Ricciolium. Hypotheses quaedam constitutae. Theoremata certissima, queis demonstratur sat spatii inveniri intra terram ad capiendos damnatos omnes, sive Tartareus Carcer ad ducenta milliaria Italica cum aliquibus extendatur, sive etiam ad viginti, immo & ad quatuor dumtaxat cum aliis contrahatur.

Quamquam ea, quae notata sunt Capite superiore, abunde ostendant nihil esse penitus roboris, aut firmitatis in argumento, quod Swindenius prae ceteris urget, in eoque collocat praecipuum caussae suae praesidium adversus vulgarem de sede Inferni sententiam; praestat nihilominus, ad omnem, quem imperitis quibusdam ingerit, scrupulum eximendum, penitiores ejusdem fibras geometrico lumine perscrutari, ut splendidius appareat, nonnisi spectrum esse ridicularium, quod cordatum neminem, ne levissime quidem, movere queat. Produximus jam de hac re aliquorum Doctorum placita ad capacitatem Inferni definiendam, Drexelii, Valentiae, Lessii, qui vel unius milliaris germanici quadrati, sive cubici spatium sufficiens putant ad continendos damnatos: Munsteri, qui duo, vel tria milliaria itidem germanica necessaria censuit: ac demum Riberae, & Cornelii a Lapide, qui textui Apocalypseos innixi illud extendunt ad milliaria Germanica quinquaginta, sive Italica ducenta. Nemo est qui non videat Gehennalis cavitatis spatium nedum a prioribus Theologis, sed etiam a postremis constitutum, perexiguum admodum esse, si cum terrae diametro conferatur, quae juxta Recentiorum observationes septem circiter constat mille milliaribus Italicis. Itaque affirmo juxta geometrica principia ampliore spatio, quam ab iis constituitur, opus non esse pro sede Inferni, sed quamlibet ex tribus memoratis hypothesibus, atque vel ipsam priorem, quae est omnium minima, spatium suppeditare sufficiens damnatis omnibus continendis, quemcumque effingas animo verosimilem eorumdem numerum.

Positionem hanc ut solide aeque, ac luculenter, quoad fieri potest, evincam, praemittenda mihi notitia in primis est de verisimili hominum numero, qui juxta observationes factas a peritissimis viris, universam inhabitant faciem terrae. Alios inter, qui ad investigationem hujusmodi adjunxerunt animos, duo celebriores commemorantur, videlicet Isaacus Vossius, & Joannes Baptista Ricciolius. Prior in libro *Variarum observationum* Londini edito (*a*), accurato, ut sibi videtur, inito calculo definit Incolas Europae ad 30. circiter milliones. Quinque etenim milliones assignat Galliae; duos Hispaniae, duos item Italiae, insulisque conterminis Siciliae, Corsicae, & Sardiniae: duos Angliae, Scotiae, & Hiberniae: duos itidem Belgio; quinque Germaniae, Bohemiae, & Ungariae, unum Daniae, Norvegiae, Svetiae; unum cum dimidio Poloniae; tres Moscoviae, ac demum quinque regionibus omnibus subjectis Turcarum Tyranno in Europa. Plures concedit duabus aliis partibus mundi Africae, & Americae; attamen partes hasce nonnisi centum complecti censet Incolarum milliones. Triplo majorem numerum largitur Asiae; milliones scilicet tercentum. Ac tandem si ii quoque computentur homines, qui sunt, aut esse facile possunt in terra Australi, numerum omnium universum quin-

(*a*) De hoc mentio fit in Ephemeridibus Litteratorum (vulgo *Journal des sçavans*) ad annum 1685.

quingentos milliones non excedere conjectatur. Ita Vossius, cujus tamen calculus improbatur a multis, qui putant nimium liberalem fuisse quoad Asiam, parciorem vero, immo & parcissimum quoad Europam. Profecto ab omni veri specie longe est, duos tantum E. G. milliones esse incolarum Italiæ, & Insularum adjacentium, quum compertum omnino sit numerum illum expleri ferme decem dumtaxat, aut duodecim ex præcipuis ejusdem Civitatibus, si territoria præsertim addantur.

Felicioribus hac in re ad conjectandum ventis ductus videtur Author alter, nempe Joannes Baptista Ricciolius. Hic lib. 12. Suæ Geographiæ in Appendice, cui titulus, *De verisimili hominum numero superficiem terræ inhabitantium conjectura qualicunque conatu attentata*, ex notitiis hinc, atque inde sedulo comparatis, & observationibus accuratioribus factis talem calculum init. Primum quoad Europam spectat, ad undecim milliones revocat habitatores Italiæ: decem milliones adjudicat Hispaniæ, viginti Galliæ, tres Germaniæ inferiori, superiori vero undeviginti: Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ quatuor, decem Illyrico, Dalmatiæ, & Græciæ cum insulis adjacentibus: Sex Macedoniæ, Thraciæ, cum Mysia: Sex item Poloniæ, Lithuaniæ, & Pomeraniæ: octo Daniæ, Gothiæ, Svetiæ, Norvegiæ, Livoniæ, cæterisque regionibus septemtrionalibus: atque hinc cum reliquis Europæ Insulis colligit centum circiter milliones Incolarum. Excurrit subinde solertissimus Author per Africam, cui tametsi Europæ duplo majori non nisi centum milliones attribuit, ob immensas quæ sunt in ea solitudines, & deserta loca. Ad Asiam postmodum investigandam sese convertit, eique assignat milliones hominum circa quingentos. Ac demum novo Orbe peragrato, utrique Americæ ducentum milliones adscribit, centum vero Terræ Australi. Hinc collectis omnibus summis, numerum hominum hoc tempore faciem terræ inhabitantium reducit ad mille milliones. Atque isthæc computatio cæteris verosimilior videtur, aut certe probabile non est majorem esse incolarum universæ terræ multitudinem.

Porro si ea servetur in orbe toto proportio, quæ tum Bononiæ ab eodem Ricciolio, tum hic Venetiis, ubi scribimus, ex plurium annorum observatione facta est, compenseturque defectus alicubi locorum, cum excessu alibi contingente, consequitur quolibet sæculo quatuor circiter vicibus mutari habitatores terræ, adeoque quatuor etiam mille milliones hominum nasci, totidemque denasci, semper, ut dixi, aliquorum annorum defectus compensando aliorum excessibus. Hinc cum ab exordio Mundi ad usque tempora nostra secundum probabiliorem calculum, effluxerint sex mille circiter anni, sive sæcula sexaginta, numerus omnium hominum juxta hypothesim constitutam ascendit ad ducentum quadraginta mille milliones, vel, si ad decem mille annos mundi durationem protrahas, ad quadringenta millionum millia (a).

Hac præmissa notitia demus Swindenio, quod plane non est improbabile, traditurque a nonnullis Ecclesiæ Patribus, scilicet juxta decretum a Providentia divina præstitutum tot ex mortali progenie hominum assumendos ad æternam hæreditatem in Cælis, quot ex Angelorum choris ab initio Mundi per Superbiam prolapsi sunt in ærumnas sempiternas, ut desertas horum sedes impleant, ac instaurent: atque adeo reproborum omnium numerus numero respondeat omnium hominum, qui vel fuerunt, vel futuri sunt ad extremum usque diem in orbe terrarum, si decem

(a) Illud advertere placet, si existimetur etiam hominum multitudinem aliquando fuisse majorem, quam modo sit, ut nonnulli putant de temporibus Alexandri Magni, vel Imperatoris Augusti, non propterea augeamus oportet numerum constitutum hominum. Nam excessus si quis aliquandiu fuit, fat compensatur defectu, qui dubio procul extitit prioribus sæculis a mundo condito, ac subinde a diluvio poetico. Neque enim nisi post diutinum tempus ad numerum designatum excrevit multitudo hominum.

millium annorum ſpatium durationi mundi præfigas. Illud etiam Swindenio largiamur, quod ſane a veritate abeſt quam longiſſime, quemlibet ex malis ſpiritibus ſpatium idem occupare in Inferno, quod occupatur a quovis humano corpore. Nihil amplius a me quiſquam profecto exigat. Nihilominus dico, ac defendo perexiguum ſpatium, relate ad totum diametrum terræ ſatis eſſe ad reprobos omnes continendos, tametſi finis Mundi ad plura etiam ſæcula protrahatur, quam protractum iri credibile ſit: Idque probandum aggredior, aſſumptis tribus jam commemoratis hypotheſibus, ex quibus alias effingere cuiquam liceat: ac ab ea initium ſumam, quæ Apocalypſeos verbis innititur, ſedemque Inferni protendit ad ſtadia mille ſexcenta, ſive ducenta milliaria Italica.

Ut aſſumptum geometrice evincam, I. ponamus in interioribus partibus terræ (cujus diametrum, ut ſæpe jam diximus 7000 circiter milliaribus Italicis conſtare communiter perhibent Geographi) locum, ſive ſpatium ſphæricum, cujus diameter ducentis milliaribus Italicis æquipolleat: hunc autem locum a Deo præfinitum fuiſſe ad reprobos omnes, ſive homines corporatos, ſive cacodæmones continendos, adeo ut hi idem ſpatium impleant, quod humana corpora.

II. Ponamus ad humanum corpus commode recipiendum ſex pedum cubicorum ſpatium ſufficere.

III. Ponamus numerum hominum univerſam terræ faciem inhabitantem eſſe 1000,000,000, ſive mille milliones atque uno integro ſæculo naſci ac denaſci 4000,000,000, ſive quatuor mille milliones hominum, qui omnes in eam tartaream voraginem prolapſuri ſint.

His ita poſitis inquiritur, quot homines, ſive humana corpora locus ille contineat, aut continere valeat: atque ulterius ad quot ſæcula generationes hominum perducendæ ſint, ut eorum numerus ad hujuſmodi ſpatium occupandum ſufficiens exiſtimetur.

Admiſſo igitur (ex prima hypotheſi) diametrum ſphæræ, ſeu loci, de quo agitur, ad ducenta Italica milliaria extendi, majoris circuli peripheria (juxta Metii proportionem) erit 628. milliarium, omiſſis fractionibus, quæ ducta in Diametri quartam partem (ex prop. 5., & Coroll. 1. Theor. Archim. apud Tacq.) exhibebit milliaria 31400. pro tota Area majoris circuli: quæ ulterius quater ſumpta augebitur ad milliaria. 125,600, ac totam æquabit ſuperficiei ſphæricæ extenſionem: quæ (ex prop. 24. Theorem. Archim. apud Tacq.) areæ circuli majoris eſt quadrupla. Tum vero, ſi hanc totam ſphæricam ſuperficiem ducas in diametri partem ſextam (ex Schol. ad prop. 28. Theorem. Archim. apud Tacq.) productum erit milliarium cubicorum 4,186,666, (omiſſis fractionibus) pro ſoliditate ſphæræ.

Cum autem milliare cubicum Italicum pedibus cubicis æquipolleat 125,000, 000,000, ſi totam hujuſce ſphæræ ſoliditatem 4186666. ducas in 125,000, 000,000, pedibus cubicis 523,333,250, 000,000,000 æquari deprehendes.

Quoniam vero (ex 2. Hypotheſi) ſex pedes cubici ad humanum corpus recipiendum ſufficiunt, ſi modo inventum numerum pedum cubicorum dividas per ſex, quotiens (omiſſis fractionibus) erit 87,222,208,333,333,333, totidemque erunt homines, quos ſpatium ſphæricum jam conſtitutum continebit.

Poſtremo, quia (ex 3. hypotheſi) 4,000,000,000 hominum, quolibet fere ſæculo procreantur, ſi numerus hominum, ſcilicet 87,222,208,333,333,333 dividas per 4,000,000,000, quotiens (omiſſis fractionibus) erit 21,805,552 pro numero ſæculorum; mundus ſcilicet hic durare deberet millionibus ſæculorum viginti & uno, octingentis quinque millibus quingentis quinquaginta duobus, donec datus hominum numerus compleretur.

En igitur quam enormis ſit numerus; ſeu multitudo tum hominum, tum ſæculorum, quæ deſiderantur ad occupandum 200. milliariorum Italicorum ſpatium, quod ſane, ſi ad totius terræ magnitudinem comparetur, valde exiguum jure ac merito exiſtimandum eſt, cum ſit minor, quam una quælibet pars quinquies milleſima univerſæ terræ, ut poſ-

ſet

ſet facillime oſtendi. Sed quod magis fortaſſe mirere, conſiſtit adhuc numeri hominum, ac ſæculorum enormitas, licet diameter ſpatii gehennalis ad viginti dumtaxat coarctes Italica milliaria: quod ſic oſtendo.

Sphæra, cujus diameter eſt 200. milliarium ſit A. ejus diameter ſit B. Item alia Sphæra 20. milliarium ſit C. ejuſque diameter ſit D. Fiat B. D. E. F. ∴. Quoniam (ex prop. 18. lib. 12. Euclidis) Sphærarum proportio eſt triplicata proportionis diametrorum, erit B. F:: A. C ⊐ 523,333,250,000,000 pro numero pedum cubicorum minoris ſphæræ, & conſequenter ⊐ 87,222,208,*333,333* pro numero hominum continendorum: ac demum ⊐ 21,805. pro numero ſæculorum (omiſſis ubique fractionibus) quibus procreandi forent tot homines in ea continendi. Hæc autem Sphæra 20. milliarium millies minor eſt altera milliarium 200.

Tandem, eadem methodo progrediendo, ſi adhuc diminuas diametrum ad quatuor tantum milliaria, comperies ſphæræ ſoliditatem æquari pedibus cubicis 4,18*6*,*666*,000,000, & homines continere *697*,*777*,*666*,*666*, ac demum ſæcula 174, quæ deberent effluere, antequam tot homines gignantur.

Ex quibus omnibus evidentiſſimum eſt, nedum primam, & alteram, ſed & tertiam conſtitutam hypotheſim ſufficiens præbere ſpatium pro continendis reprobis omnibus, quamvis quoad occupationem loci, eamdem rationem habeas de Dæmonibus, ac de hominibus, ſive humanis corporibus, locumque etiam præſtituas igneæ materiæ, qua torquendi ſunt. Videat ergo Swindenius, quam perperam, & ab ipſo, & ab aliis, ut refert, judicatum fuerit, tantumdem ſpatii haud ſuppetere intra viſcera terræ, quantum pro recipiendis damnatis omnibus neceſſarium eſt.



CAPUT IX.

Ad examen vocatur novum a Swindenio invectum de Inferorum sede systema. Quidquid ille contra conetur, ut omnem abs se amoliatur invidiam, periculosum omnino est, Atheisque, ac impiis arma ministrat, quibus futuram pœnam pernegent, atque contemnant. Pauca quædam de recte rationis usu, quem plus nimio Swindenius exaggerat.

EVersis jam, penitusque contritis, ut quidem arbitror, argumentis, queis vulgarem de subterranea Inferorum sede sententiam impetere conatus est Theologus Anglus, ad novam excogitatam ab ipso opinationem discutiendam accedamus. Equidem nulla nos eo necessitas cogeret, ut ad laborem hunc capessendum adjungeremus animum: cum satis diserte fateatur Swindenius, semel invento intra viscera terræ idoneo spatio ad impios omnes continendos, frustra alibi quæri, collocarique damnatorum carcerem. Verum ut manifestius omnibus fiat, nullo hypothesim ab eo tam fidenter invectam gaudere probabilitatis colore, nullo solido fundamento fulciri, merumque somnium esse, & æstuantis imaginationis delirium, ejus examen paulo attentius aggrediamur.

Igitur quum Swindenius sub initium *Cap. 6.* libelli sui, ea omnia, quæ supra jam latius attulerat, paucis complexus esset, locumque Inferni non intra terram, sed alibi quærendum, veluti rem satis demonstratam præsumpsisset, novam suam in medium promit de hocce argumento sententiam, quam deprehendisse se jactat tum veritatibus divinitus revelatis, tum naturali rationi admodum consentaneam (*je trouvé être très convenable aux verités divinement revelées & à la raison &c.*)

Quoniam vero plurimorum animos statim commotum iri persensit sola systematis sui novitate proposita, velis primum, remisque adlaborat, ut omnem abs se depellat invidiam, occupatque pro viribus lectores suos, ne ad ejus aspectum subirascantur, quin potius ad ea, quæ se producturum pollicetur meditanda, omni affectu, & quovis præjudicio seposito accedant. Ex multis, quæ toto hoc Capite fuso calamo scribit in sui præsidium, atque tutelam pauca hæc habeto: „ Non ideo, inquit, „ opinio aliqua confestim abjicienda, „ quia nova, nec ab aliis antea sive „ proposita, sive probata. Utique fa- „ teor in rebus, quæ ab fidem perti- „ neant, periculosæ plenum aleæ opus „ esse, quidpiam invehere in Christia- „ nam doctrinam, quod vel ipsam præ- „ ferat novitatis speciem. At non ita „ plane se res habet in meræ specula- „ tionis objectis, si eo saltem demum „ illa non tendat, ut fidei veritates ener- „ vet, aut morum doctrinam corrum- „ pat. Revelatæ a Deo veritates haud „ absimiles reputandæ sunt *fructui veti- „ to arboris in medio Paradisi* positæ, „ quem ne tangere quidem fas erat: „ Simplices vero quarumlibet rerum opi- „ niones cæteris æquiparantur ejusdem „ Paradisi fructibus, quos nedum attin- „ gere, verum etiam pro arbitrio co- „ medere, liberum cuique fuerat: atque „ adeo illas pro genio & inquirere, & „ proponere, & sequi licet: & quam- „ quam dum de Religione res agitur, „ inutiles, fructuque vacuæ speculatio- „ nes redarguendæ merito sint; quæ- „ dam tamen dignæ censentur laude, „ studiumque nostrum debent accende- „ re. Revelatio quippe Dei non præ- „ cludit aditum rationi nostræ, cumque „ nos non bruta repererit, sed homi- „ nes, sese nostræ naturæ accommodat „. Hæc ille, qui subinde fusis habenis in laudes excurrit humanæ rationis, qua supra animantia reliqua altius assurgimus, eosque late commendat, veluti de Religione Christiana, civilique societate optime meritos, qui ad veritatem inquirendam, ac disciplinas tum sacras, tum profanas excolendas operam suam conferunt, ac pleraque alia ad usque ferme Capitis finem persequitur, ab insti-

tuto

tuto suo, mea quidem sententia, oppido aliena; ac tandem e longo diverticulo in viam regrediens ita concludit orationem suam: „ Nisi persuasissimum haberem plena unumquemque libertate „ potiri de rebus hisce theoreticam quæ- „ stionem instituere, quin sempiternam „ salutem meam, aliorumve periculo „ committerem, nihil me sane adduce- „ re potuisset, ut controversiam hanc „ de sede Inferni dirimendam suscipe- „ rem. Verum quia convictum me pla- „ ne sentio, nullum ex mea, ut ut re- „ cens invecta, opinione Religioni præ- „ judicium induci, quin potius eidem „ haud leve emolumentum afferri, eam „ in vulgus proferre minime dubita- „ vi „.

Verum quidquid Swindenius contra conetur, quidquid in sui defensionem afferat, atque præsidium; temeritatis, ut mitius loquar, ac præsumptionis notam frustra abs se depellere, ac removere contendit. Nonnulla de hac re superius jam animadversa sunt. Quæ nunc ad se purgandum obtrudit, paulum obiterque inspiciamus. *Non ideo*, inquit, *opinio aliqua rejicienda, quia nova, nec ab aliis antea probata*. Id ferri utique posset, si quidem disputatio foret de quæstione aliqua, quæ ad Philosophiam, Mathesim, Historiam, cæterasque profanas artes pertineret. Cum vero de re agatur, quæ ex Dei voluntate unice pendet, de qua sæpe in Sacris libris mentio est, & cum Religionis capitali dogmate intime connectitur, atque implicatur, quis, amabo, ferat, ac non abjiciendam statim putet opinionem, cujus nec vola, nec vestigium est in divinis litteris, & in tota retrò traditione Ecclesiæ; immo pugnat aperte cum communi Patrum sententia, & consensu fidelium omnium? Fatetur & ipse Swindenius *periculosæ aleæ plenum opus esse*, in rebus fidem, ac Religionem spectantibus quidpiam invehere, *quod vel ipsam præferat novitatis speciem*. Fatetur nefas esse veritates, quæ ex divina pendent revelatione, vel leviter attingere, aut pro arbitratu peculiari suo definire. Quid ultra necesse est, ut nimiæ temeritatis reus ipse postuletur, dum repudiato penitus Patrum, ac fidelium perenni sensu, frivolis quibusdam, ineptisque fretus conjecturis, inauditum hactenus commentum introducere in Ecclesiam nititur? Unde enim aut probat, aut probaverit unquam quæstionem *de sede Inferni* extra Religionis pomœria penitus divagari, nec ad fidei doctrinas ullatenus pertinere, aut cum iisdem implicitam esse? Num forte negaverit in sacris litteris mentionem sæpe fieri de loco Inferni, pluribus tum nominibus, tum proprietatibus, sive characteribus illum designari, ac veluti circumscribi? Quæ igitur continentur in sacris libris, nonne divinam spectant revelationem? An fortassis reponat haud satis certum, atque perspicuum esse earum locutionum germanum sensum? At, præterquamquod satis clarum, & apertum in loco demonstrabimus, nonne ad earumdem legitimum sensum definiendum abunde esse deberet perpetua, & constans Ecclesiæ, aut Christianæ gentis in ipsarum explicatione consensio, quemadmodum sufficere Swindenius ipse concedit in aliis id genus controversiis? Profecto cum hanc de situ Inferni quæstionem Theologus noster referre minime queat, aut inter mathematicas, aut inter philosophicas, sive historicas prophanas; ad Theologiam referat, oportet. In iis autem, quæ ad sacram hanc disciplinam attinent, in Sacrorum librorum intellectu maximi faciendum est totius antiquitatis judicium, quod firmissimum est veritatis argumentum, & ab opinionum novitate summopere cavendum, quæ numquam sine fidei, aut Christianæ doctrinæ præjudicio invehuntur.

At clamare pergit Theologus noster, elataque voce attestari summo se semper in pretio habuisse, & habere Scripturarum authoritatem, nihilque se prorsus adstruere, quod iisdem vel tantillum refragetur, immò quod non apprime consentiat, ac solo duci veritatis amore, studioque ad exponendam novam suam de Inferorum sede sententiam, quam illico repudiaret, si revelationi divinæ neutiquam consentaneam esse cognosceret. Pulcra sane verba, quæ sem-

semper in promptu habeat quilibet novator. Verum nihil minus cordi Swindenio fuisse Scripturæ authoritatem, studiumque veritatis, facile Lector quisque deprehendet ex ejus differendi ratione. Vix enim unum, aut alterum ex iis, quæ sententiæ communi suffragantur, Scripturæ testimonium, & perfunctorie quidem, expendit, cæteris omnino prætermissis: quædam vero in sui præsidium contorquet violentia summa, suamque causam imprimis committit levioribus quibusdam ratiunculis, & conjecturis, quæ neminem permovere possunt cordatum hominem. Si Scripturæ, & veritatis amator, & cultor, qualem se jactat, revera fuisset, pari utique diligentia pervestigasset, pari sinceritate exposuisset adversa sibi fundamenta, neque illa pene omnia inhonesta dissimulatione Lectorum oculis subduxisset. Alioquin, si hæc excusanda foret ratio differendi, vix ullum esset, etiam ex sacratioribus Religionis Christianæ dogmatibus, quod aliquibus Scripturæ verbis productis in medium, nonnullis etiam ab humanæ rationis penu depromptis argumentis, quivis impugnare, & concutere nequaquam possit, dissimulatisque, quæ contra obsistunt, commenta vel somnia sua veluti dogmata veri speciem habentia in vulgus imperitum efferre.

Verum pressius cum Swindenio conferamus manus, acceptisque, quæ ab ipso præstantur, armis, jugulum ejus appetamus. Assentitur ille animo quam lubenti, novitatem in rebus, etiam ad fidem non pertinentibus, vitandam summopere, si eo tendere demum possit, ut veritatibus fidei damnum aliquod inferat in aliorum mentibus, aut eamdem Atheorum, Scepticorumque dicteriis, ac ludibriis exponat. Eo porro tendere conatus suos omnes, quos exerit, in veteri *de sede Inferni* sententia evertenda, suaque novitia hypothesi construenda, non est probatu difficile. Nemo sane nescit inter Christianæ fidei veritates, nullam esse, qua commoveantur vehementius, & in qua adorienda majorem vim, studiumque impendant scelesti, & increduli homines, quam quæ futuram exhibet credendam impiorum animadversionem: Hæc scilicet, nimium quantum! excruciat animos vesanis appetitionibus, queis abripiuntur, servientes: adeoque nullam non consectantur viam, quæ se ipsis aperiat, nullam, quæ se offerat, opportunitatem non avidissime arripiunt, qua se molesto hoc timore, si fieri quidem posset, exsolvant, & veritatem omnium terribillimam vel in dubium adducant, vel etiam omnino respuant, atque contemnant. Cum itaque imbecilles plures, qui nuspiam desunt, inaudiunt a Swindenio, in errore versatos esse, quoad Inferni sedem, quotquot a primis Ecclesiæ sæculis extitere Christi fideles, novamque induci hypothesim, quæ suamet ipsa futilitate risum potius, quam approbationem meretur: nonne consequens est, ut, dum congruum nullum deprehendunt futuræ punitionis locum, de ipsa addubitare incipiant punitione malorum?

Quid autem dicturi sunt Athei, cæterique increduli homines? Quam certe opportunam se nactos occasionem existimabunt impie irridendi, ac subsannandi sacratissimum Religionis nostræ dogma, ex quo totius humanæ vitæ recte instituendæ ratio vel maxime pendet. Dum in aciem prodiisse conspiciunt Christianum Theologum, qui communi a tot retro sæculis jam receptæ sententiæ bellum indicens, eam veluti prorsus improbabilem, immo tamquam errorem manifestum traducere non veretur; ipse vero aliam ejus loco substituit, omni poetica fabula futiliorem: „ En, inquient illi, ut „ suspicor quidem, in cachinnos effusi, scriptorem inter Britannos, „ qui sedem Inferni ab eo loco ablegandam contendit, in quo hactenus extitisse creditum est, ac domicilium nostrum in Sole futurum „ constituit. Egregie admodum, ac „ valde commode nobis: non amplius scilicet in obscurissima cavitate terræ, sed in Astro splendidissimo futura est habitatio nostra. „ Vides, quam absona commenta „ excogitare cogantur, ut nos suppliciis

„ ciis sempiternis addicant. Quid ex „ iis Theologorum de Inferni loco dissidiis, atque figmentis, inferre nobis „ licet, nisi nusquam esse Infernum „ ipsum, cui damnandi tandem simus, „ pro quo nullum adhuc locum, nisi „ ineptum, & commentitium designare valuerunt? „. Ita illi profecto, nisi me fallit animus, atque utinam fallat.

Nonnulla quidem Swindenius profert *Cap. 6.*, ut incommodum hocce gravissimum a systemate suo amoliatur, sed quæ neminem de sententia dimoveant, aut ipsum a culpa liberent invectæ novitatis. Quod enim scribit, digladiari secum invicem Theologos pro assignando animadversionis futuræ loco, pluresque circumferri de eodem opiniones; adeoque timendum non esse, ne incertitudo rei augeatur ex novæ opinionis accessu; hoc, inquam, a veritate quammaxime abludit, ut alibi demonstratum est, atque suo ipsius testimonio manifestum fit. Namque, cum Swindenius consentiat omnes primitivæ Ecclesiæ fideles sedem Inferni subterraneam credidisse, eamque persuasionem immotam perstitisse sequioribus ejusdem Ecclesiæ sæculis, quid ad omnimodam ipsius firmitatem desideratur amplius? Neque sane inter Theologos, quoad summam rei, fuit unquam, aut est rixa aliqua, aut sententiarum varietas, nisi forte Theologis Christianis accensendos putet Pythagoram, Macrobium, Plutarchum, aliosque gentiles, qui vel in sphæra ignis, vel in abdito Lunæ sinu, vel in centro Martis, vel denique in caliginoso aere impiorum carcerem collocarunt.

Neque ponderis majoris est, quod subjicit Swindenius, ex diversis nempe hominum opinionibus quoad alicujus dogmatis qualitates, & circumstantias, minime concuti dogma ipsum, prout exemplis declarare pergit. Hoc siquidem neutiquam infringit vim positi argumenti, quod videlicet hypothesis a Swindenio constituta, tum imbecillis dubitandi, tum Atheis & Incredulis irridendi, præcipuum, maximique, si quod aliud, momenti dogma Religionis de futura impiorum pœna, ansam suppeditet. Cum enim pertendat adversus traditionem sæculorum omnium sedem Inferni in hac tellure non posse constitui, neque locum alium ipse designet, nisi absonum prorsus atque fictitium, a quo communis omnium sensus abhorret, perinde est ac si nullum omnino statuerit. Nullo porro Inferni loco designato, ipso Swindenio Judice, *Sacratissimum Christianæ Religionis mysterium contemptioni Atheorum, & Scepticorum exponitur, qui procul dubio ex quo nullus sit Inferni locus, nihil esse Infernum ipsum legitima, facilique consecutione colligerent* (a). Hinc subinferre Swindenio proclive fuerit, quam magnum sit *Emolumentum* illud, quod ex nova sua hypothesi Christianæ Religioni accedere garrit *ad revincendos Atheos obvio, ac sensibili argumento*. Utique *revincentur* Athei, & Increduli hypothesi, quam absurdi paradoxi, aut, ut summum, speciosi cujusdam somnii loco sunt habituri.

Quoad encomia, quæ pangit humanæ rationis Theologus Anglus, in quibus totum ferme sextum Caput insumit, illud dumtaxat animadvertamus oportet, rectæ rationis nomine sæpissime ab Heterodoxis obtrudi effrænem cogitandi, & quidvis opinandi libertatem, nedum in profanis disciplinis, sed in rebus etiam fidem, ac Religionem spectantibus. Laudamus & nos ingenii ac rationis usum: hunc non utilem modo, sed & necessarium credimus ad veram Religionem capessendam, ad fidei doctrinam illustrandam, & ab adversis erroribus, & conatibus vindicandam. At quemadmodum homini ratione prædito recta ipsa ratio immodicam haud largitur in agendo licentiam; ita & ipsa

F Reli-

(a) *Qui tireroient cette juste, & naturelle consequence, que puisque l'Enfer n'est en aucun endroit, il n'y en a point du tout.* pag. 15.

Religio Christi non patitur nimia abduci Christianum hominem, quocumque lubeat, opinandi libertate. Nos itaque, ut cum eximio viro loquamur, (*a*) humano ingenio eam libertatem, & usum rationis proponimus, quæ hominem deceat rationis rectæ, fideique Christianæ legibus addictum, adeo ut neque se coerceri sentiat finibus iniquis, nimiumque arctis compedibus: neque ultra metas a ratione, & fide sanctissima præstitutas, evagari sinatur: Nimia quippe opinandi licentia hæreses parit, fidem, ac rationem temere lædit, & *profanas* illas *vocum novitates* inducit, quas summopere *devitare* monet Apostolus Paulus in Epist. 1. *ad Tim.* An adversus hujusmodi æquissimas leges nova sua hypothesi peccaverit Author noster, ex his, quæ dicta sunt, facile quisquam intelligat.

(*a*) Ludovic. Ant. Muratorius lib. 1. de moder. ingen. cap. 12.



CA-

CAPUT X.

Ad crisim revocantur quæ ex sacris litteris in sui favorem profert Swindenius: Textus expenduntur, quibus ab Orbe terraqueo subterraneum ignem conatur excludere. Argumentum, quod promit ex quodam Apocalypseos loco, quam futile sit, ostenditur. Locus alius ejusdem divini libri cum systemate suo aperte pugnans opponitur.

AGE vero argumenta illa ad trutinam revocemus, quæ Swindenius magnifice jactat, quibusque novam hypothesim suam constabilire nervis omnibus adnititur. Si verbo dumtaxat attendas, quæ confidentissime venditat, facile credas innumera prope, eaque gravissima ipsum ex divina imprimis Scriptura protulisse momenta ad sententiam suam confirmandam, atque illustrandam, omnesque obices submovendos. Sæpe namque promittit in Inferni sede quærenda se sacris litteris quam religiose, constanterque adhæsurum, testaturque alta voce eam se deprehendisse veritatibus revelatis admodum consentaneam (*a*). Cæterum si totum libellum percurras a capite usque ad calcem, nihil offendes omnino, quod tanto hiatui respondeat, vixque paucos aliquos textus tandem invenies, quos non perpendendos, sed potius nihili faciendos, contemnendosque putaveris. Audi præcipuos, quos refert Cap. 5. ut ostendat ex libris sacris intra telluris viscera non ignem puniendis reprobis destinatum, sed aquam potius esse constituendam. „ Legimus, inquit, Exodi *cap.* 20. „ *com.* 4. Mosem ex ore Dei ita præ„ cepisse Israelitico populo: *Non facies* „ *tibi sculptile, neque omnem similitudi*„ *nem, quæ est in cælo desuper, & quæ* „ *in terra deorsum, neque eorum, quæ* „ *in aquis sub terra*. Psaltes quoque „ Regius *Psal.* 24. testatur Deum *fun*„ *dasse terram super maria, & super* „ *flumina eam stabilisse*. Jobi etiam „ *Cap.* 38. ubi de rerum creatione ser„ mo est: *Quis conclusit ostiis mare,* „ *quando erumpebat, quasi de vulva pro*„ *cedens?* Quod plane, ait, insinuare „ videtur mare erupisse e sinu terræ, „ antequam faciem ejus cooperiret. Vin„ clariora? Nonne S. Petrus 2. *Epist.* „ *cap.* 3. pronunciat: *Cæli erant prius,* „ *& terra de aqua, & per aquam con*„ *sistens Dei verbo?* Nonne Cap. 1. Ge„ nes. legimus: *In principio creavit* „ *Deus cælum & terram: terra autem* „ *erat inanis, & vacua, & tenebræ* „ *erant super faciem abyssi, & spiritus* „ *Domini ferebatur super aquas?* Vi„ den' in his textibus mentionem fieri „ de aquis, quæ sub terra sunt, & su„ per quas terra fundata est, & ex qui„ bus erupit: vel de aquarum abysso „ intra terram, & circum terram con„ sistente; nunquam vero de igne, cu„ jus immensa quantitas necesse foret „ in centro terræ ad Infernum implen„ dum „? Hæc ille ferme laudato loco.

Nemo, ut opinor, me non redarguet si tam leve, tam frivolum argumentum seria animadversione dignum putarem. Quid Swindeni, tantum defers relatis Scripturæ textibus, ut Infernum a terris amoveas, & in Sole collocare valeas? Totusne tibi terræ globus tum exterior, tum interior, ex terrena solum & aquea substantia constat, exclusо penitus igne? Itane vero, nec ignea tibi materia est, ex qua tot Vulcani supra jam memorati per omnem telluris partem in flammas erumpunt, tot subterranei ignes exæstuant, tot fontes, & aquæ insigni calore præditæ exundant? Duæ igitur, te Judice, substan-

(*a*) *Nous nous tiendrons serrés le plus près, qu il nous sera possible à la parole revelée,* &c. Cap. 4. in fine. *Je trouve être très convenable aux verités divinement revelées.* Cap. 6. Vide etiam Cap. 8. circa finem, aliaque loca.

tiæ terræ, & aquæ, nedum hujus amplissimæ molis superficiem, sed partes etiam omnes internas ad usque terræ centrum, juxta divinam revelationem, occupant omnino, ut sacris Scripturis minime consentiat, qui ex spatio septem circiter milliariorum decem aut quindecim tantum cubica milliaria secernat, puniendis igne damnatis deputata? At nonne Ecclesiæ Patribus, Scripturæque Expositoribus omnibus ultro assentientibus, a te producta testimonia intelligenda veniunt de partibus terræ conspicuis, nobisque proximioribus, non autem de penitioribus terræ latebris, de quibus nulla in iisdem mentio? Nullum hercle afferes Scripturæ Interpretem, qui imaginationi tuæ suffragium ferat. Namque omnes ita semper intellexere, ac intelligunt ea loca, ut iis designetur potentia ac sapientia Dei, quæ ita disposuit terram hanc, quam incolimus, & aquam, quæ eam quaquaversum ambit, ac circumfundit, ut necesse fuerat ad habitationem hominum, utilitates, & commoda. Quare chimærica prorsus tua conjectatio est, dum hisce textibus insinuari putas aquarum elemento spatia omnia occupari, atque repleri, quæ intra terræ superficiem concipis. At enim vero, quoad textum illum attinet, quem ex Exodo profers, vide quæso, mi Swindeni, ne tuis te armis conficias, tuumque systema destruas, dum conaris extruere. Quid enim significavit Deus, quum Israelitico populo præcepit, ne sibi *sculptile*, aut *similitudinem* ad colendum effingeret, non modo *eorum*, *quæ sunt in terra deorsum*, *vel in aquis sub terra*; *verum etiam*, *quæ sunt in Cælo desuper*? Solem profecto, lunam, ac stellas, ut liquidissime constat ex *Cap.* 4. Deuteron. ubi eodem præcepto imposito, statim subditur: *Ne forte elevatis oculis ad Cælum*, *videas Solem*, *&* *Lunam*, *& omnia astra Cæli*, *& errore deceptus adores ea*, *& colas* &c. Sol igitur, in quo Infernum ponis, Sacra ipsa Scriptura teste, *desuper* terram est. Quid ergo de tuo systemate, dum iccirco sedem Inferni collocas in Sole, quod in hypothesi Copernicana, quam amplecteris, Sol deorsum, sive infra nos sit, & in Mundi centro, atque adeo in ipso impiorum domicilium figendum contendis? Sed de hoc alibi fortasse te conveniam.

Non minus lepidum, ac festivum est argumentum aliud, quod ex Scriptura promit Swindenius, cui vel maxime causam ipse suam fidere videtur, ut ex Cap. XI. satis liquet. Sumitur illud ex textu *Cap. 16.* Apocalypseos, ubi hæc leguntur: *Et quartus Angelus effudit phialam suam in Solem*: *& datum est illi æstu affligere homines*, *& igni*: *& æstuaverunt homines æstu magno*, *& blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas*, *neque egerunt pænitentiam*, *ut darent illi gloriam*. Quid ex hoc textu Swindenius extundit? *In phiala* nimirum, ut ego quidem arbitror, ab Angelo *in Sole* effusa notatur ira Dei ultionem sumentis de hostibus suis, quorum characteres indigitantur, dum *æstuasse* dicuntur, *æstu magno*, *& blasphemasse nomen Dei*, *nec pænitentiam egisse de peccatis suis*. Cum igitur locum hujusce ultionis æternæ Solem esse Sanctus Evangelista commemoret, non aliunde, præter Solem, quærenda est sedes Inferni.

Pudet me, pigetque tam futilem objectionem seria animadversione perpendere. Mirum plane est in laudato Apocalypseos textu detexisse Swindenium futurum impiorum locum, ac supplicium: id quod cæterorum nemo ne suspicatus quidem est. *Sed non omnibus datum est adire Corinthum.* Cæteri quique tum Ecclesiæ Patres, tum Scripturarum Expositores plumbei nimium ingenii fuere, nec illuc acie sua pertingere valuerunt, quo oculatissimus Author noster feliciter penetravit. Illum tamen interim sciscitemur, ut scrupulos aliquos eximat, quos peregrina hæc interpretatio sua in aliorum mentibus facile excitaverit: primumque nobis edisserat, unde ex *phiala* ab Angelo *in Sole effusa*, conjiciat situm ibidem esse Inferni carcerem, ac futurum impiorum supplicium? An forte ex *æstu magno*, qui exinde procreatus est, & quo gentes vehementer *afflictæ* referuntur? Legitima sane consecu-

secutio: homines scilicet solis ardore excruciantur: ergo *in Sole sedes Inferni est*, quasi homines vehementi calore Solis excruciari non possint, nisi collocentur in sole. An forte contendat eo loci mentionem fieri de vindicta Dei reprobos in futura vita punientis? Sed iterum ipsum rogamus, unde ex Joannis textu id veri aliqua similitudine colligat: quum potius ex toto contextu aliud certe colligere oporteat? Siquidem in illo Capite Sanctus Evangelista septem plagas describit, quibus Deus vel percutiendos decreverat in hoc mundo persecutores Ecclesiæ, ac Tyrannos, qui Christifidelium Sanguinem effuderunt, vel percussurus est habitatores terræ Antichristi, & consummationis mundi tempore, prout alii frequentius exponunt. Certe & antecedentia verba, & consequentia haud aliter explicari, & intelligi commode possunt. Nam, ut cætera omittam, post laudatam a Swindenio sententiam statim subditur: *Et quintus Angelus effudit phialam super sedem Bestiæ: & factum est regnum ejus tenebrosum*: ac deinde: *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccavit aquam ejus, ut præpararet viam Regibus ab Ortu solis. Et vidi de ore Draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum* &c. Quis adeo bardus est, qui has, aliasve plagas considerans a S. Joanne memoratas, ad alios quam ad homines in hac mortali vita degentes referendas ominetur?

Sed & illud a Swindenio petimus laudatum Joannis textum objiciente, ut aliud Apocalypseos locum cum sua hypothesi, si quidem potest, conciliet. Capite namque 9. dicitur: *Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de Cælo cecidisse in terram: & data est ei clavis putei abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est Sol, & aer de fumo putei*. Nomine abyssi, sive putei abyssi significari damnatorum locum, tum ex aliis constat Scripturarum textibus, tum ex iis iisdem verbis, quibus a S. Joanne circumscribitur. Si igitur stella, sive Angelus, aut Satanas, cui clavis data est *putei* hujus *abyssi*, de Cælo in terram cecidisse perhibetur, cur non potius in hac ima tellure quærenda a Swindenio est sedes Inferni, non autem in Sole, quem in cælo continenter ponunt sacræ litteræ? Rursus, si ex illo *puteo abyssi* jam aperto, veluti fornace magna, tantus erumpere dicitur *Fumus, & ascendere, ut aerem, & Solem* ipsum *obscuret*, nonne opus est, ut Swindenius alibi, quam in sole *puteum* abyssi, sive Infernum quærat? Neque enim idem esse potest & puteus, ex quo fumus ascendit, & Sol, qui ex eo fumo *ascendente cum aere* obtenebratur. Anne inquiet noster Author typicas esse locutiones hujusmodi, iisque præsignificari Satanam errorum caliginem veluti ex orco educentem, queis Christi, veri utique justitiæ solis, divinitati tenebras offundat? Haud equidem repugnabo. Verum & ipse illud nobis non abnuat, typum, aut figuram ex rerum proprietate esse desumptam, sive ex notione, & idea Inferni, quam Scriptura sæpe præformat: addimusque caussam deinde ipsi reddendam esse, cur textum hunc potius quam alterum a se ex eadem Apocalypsi relatum in sensu typico sumendum velit. Dum harum omnium difficultatum solutionem investigandam ipsi relinquimus, ad ea, quæ ex purissimis, ut ait, philosophiæ ac rationis humanæ fontibus hausit, argumenta cursim delibanda progrediamur.

CA-

CAPUT XI.

Expenduntur probationes, quas pro sententia sua adstruenda, ex Philosophia, ac ratione Swindenius derivat, quasque directas *vocat,* & essentiales. *Ea omnes, si admittantur, solam possibilitatem rei ut summum evincunt. Quam incertum sit Solem ignea fluidaque constare natura. Author sibi sacrisque litteris repugnat, dum in amplissimo solari corpore sedem Inferni defigit.*

DUplicis generis probationes sunt, quæ a Swindenio adhibentur, ad hypothesim suam adstruendam, quarum alias *directas*, & *essentiales* vocat, alias vero logicas, sive *consecutionis* appellat (*a*). Priores duas ex natura repetit, & magnitudine Solis: atque ita proponit, fusa earumdem relatione in compendium redacta. „ Spero equidem, inquit, futurum neminem, qui illud „ a me requirat, ut solare corpus accurate penitusque describam, ejusque „ tum existentiæ, tum operationis modum, & circumstantias enucleate proferam: quod sane perficere tanta diligentia minime possem, quæ instituto meo apprime congrueret. Illud „ dumtaxat observasse satis, quod in „ cunctorum prorsus hominum sensus „ incurrit, *solem esse ignem realem, atque corporeum*: hoc enim tam evidens „ omnibus est, quam existere Solem, „ ac lucere, adeo ut, qui hoc in dubium vocat, dubitare æque valeat, „ num dies sit Sole in meridie lucente „. Hinc pluribus congestis, quæ ad rem plane non sunt, colligit tam immensam in Sole esse copiam ignis, tam vastam fornacem, quæ ad impios dirissime torquendos necessaria est. Atque hoc brevi est primum pro systemate suo argumentum, & quidem *directum*, & *essentiale*. Quo vero firmius consistat, alterum, in quo mirifice sibi plaudit, ex magnitudine nempe Solaris globi desumptum, in medium promit, plurima de hac re celebriorum Astronomorum placita, Tychonis Brahei, Copernici, Ptolomæi, Philippi Lansbergii, ac demum Cassini, & Flamstedii, qui Solem affirmant a terra distare decem, aut undecim mille Diametris, ex quo consequitur terra esse majorem vicibus 1100000: quorum supputationi subdit, cæteris prætermissis adhæreo, & Arithmeticæ gnaris relinquo, ut calculum ineant milliarium quadratorum superficiei solaris, aut quod longe amplius est, milliarium cubicorum solidi continentis. Ego interim ingenti afficior voluptate, cum video Solem, immaniter quantum! terra majorem, atque inde conjector corpus hocce Infernum esse, utpote terra longe capacius ad vastam fornacem, & impiorum multitudinem complectendam.

Atque hæ, paucis expositæ, sunt jactatæ illæ probationes Swindeniani Systematis, *directæ*, & *essentiales*, dignæ profecto, quæ geometricis demonstrationibus æquiparentur. Quis oppido non irrideat hominem similibus hisce utentem argumentis ad confirmandas opiniones suas? Quid enim demum illæ conficiunt, etiamsi firma omnia consisterent, quæ tanta verborum, & extraneæ eruditionis pompa Swindenius deprædicat? Nihil omnino aliud, præter solam rei, aut sententiæ suæ possibilitatem. Id unum videlicet evincunt, non quidem Solem reipsa esse *Inferni sedem*, & damnatorum carcerem: sed illum iis præditum esse qualitatibus, ut reprobos omnes tum continere possit, tum vero igne torquere. Porro quodnam absurdissima hac arguendi ratione insolentius paradoxum, quodnam insanius calefacti cerebri delirium æquo jure produci, ac defendi non posset? Si hujusmodi probationum genere uti fas est, cur non alius in aliquo Planetarum, in Luna, in Venere, aut Mercurio æque Infernum

(*a*) *Preuves directes, & essentiales. Preuves de consequence.*

num statuat? An forte tantæ amplitudinis hi planetæ Swindenio non sunt, ut damnatos omnes capere valeant? Constituet saltem in Marte, in Jove, in Saturno, qui longe majores habentur terrestri globo. Quid hiscis? habeo te: ignea nempe natura hæc corpora nequaquam constant. Egregie. At cur in aliquo ex magnis hisce corporibus amplam ignis fornacem effingere non liceat ad puniendos reprobos a Deo paratam? Abnuis? Constituet ergo in aliqua stellarum fixarum, quæ cum & eadem cum Sole ignea natura gaudeant, & ingenti admodum capacitate, perinde ac Sol, damnatos omnes & continere, & comburere poterunt. En igitur mirifica probatione tua tot Inferna constituta, quot astra conspicis in tractu cælesti lucere, ad quæ confugere queas, si forte ne Sol quidem tibi sufecerit.

Verum num positiones de natura Solis, queis Swindenius pueriliter exultat, intactas omnino dimittemus? Haud plane. Pro re penitus explorata sibi assumit ille, Solare corpus verum esse, realemque ignem, ejusdem cum igne nostrate naturæ: idque non minus evidens haberi vult, ac Solem ipsum existere, & lucere in meridie. Magno hercle beneficio Rempublicam litterariam affecisset Swindenius, si argumenta illa apodictica evulgasset hujusmodi evidentiæ suæ. Hactenus namque tum Philosophi, tum Astronomi, iique in primis peritissimi, suis accuratissimis observationibus progredi illuc non potuere, ut evidenter cognoscerent, ac certo definirent Solem ignea constare natura, ignemque esse nostrati non absimilem. Quin ingenue fassi sunt de illius substantia nihil aliud certi cognosci posse, nisi quod illa, quemadmodum oculos nostros vehementi, & uberrima luce perstringit, ita ferme humanæ mentis aciem, atque contemplationem eludit (*a*): atque adeo solis conjecturis superesse locum, quæ imbecillæ plerumque & sublestæ sunt, atque affatim occurrunt utrinque, virosque etiam inter recentiores doctissimos in contrarias opiniones distrahunt. Alii quidem, neque enim dissentior, fluidam, & igneam esse substantiam Solis verosimilius putant, eo præsertim ducti momento, quod Sol tum luceat, tum calefaciat: quæ duæ sunt ignis proprietates. Sed alii existimant esse corpus durum, atque compactum instar auri purissimi, ac splendidissimi, aduntque in hac sententia phænomena omnia circa Solem commodius explicari. Alii itidem corpus quidem liquidum esse pertendunt; sed nonnisi calorem *virtualem* ipsi concedunt, ut Peripatetici. Arbitrantur enim Solem componi materia nimium subtili, adeoque se sola ad comburendum inepta: quod sane proclive est asserere juxta Cartesianam hypothesim, quæ a Swindenio probari videtur: cum enim apud Cartesianos duo requirantur ad ignis naturam, subtilis nempe, aut *primi elementi* materia, quæ pernicissimo motu agitetur, & materia crassa, aut striata, sive *tertii elementi*, quæ primo innatet, & ab eo quam citissime abripiatur; hoc postremum deesse videtur Solari globo, qui juxta Cartesium subtilissima materia constat, longeque abs se propellit crassiores partes, sulphureas præcipue, atque nitrosas, quæ ad ignem generandum, conservandumque, Swindenio ipso judice, necessariæ omnino sunt, ut statuit Cap. 5.

Quid ad hæc Theologus noster? Posteriores hasce sententias, quamquam traditas a viris doctissimis, pro nihilo habet, nulloque inito eorum, quæ producunt, examine, altius inclamat, *Tanta evidentia compertum esse ignea Solem constare materia, quanta certum est Solem existere, ac lucere, idque jam demonstratum fuisse*. Sed a quo, amabo? Ab aliquone novi Orbis Astronomo? Ubi hæc tam *evidens demonstratio*? In Ar-

(*a*) Vide Franciscum Bayle, Edmundum Corsinium, aliosque. Duhamelius in sua Philosophia *Vet.* & *Nov.* de hoc argumento agens, postquam plures conjecturas ex celebrioribus Astronomis hinc, atque inde expiscatus est, tandem subjicit: *Si rerum terrestrium, quæ nobis sunt in conspectu, naturæ tantis sunt obstructæ difficultatibus, ut eas evolvere nemo possit, quanto magis in cælestibus invenitur?*

Archivis forsan Utopianis ea delitescit? nullam quippe aliam profert ipse rationem, præter tritam illam, ac ferme dixerim proletariam, ex calore scilicet in hoc orbe nostro a Sole producto, quam æquiores quique illius sententiæ Patroni nonnisi probabilis conjecturæ loco habent: cæteri vero etiam ut frivolam, ac ineptam rejiciunt. Quoniam minime dubitant, Sole etiam actu calido non constituto, posse tamen calorem producere, sive motu suo quam celerrimo, sive suis radiis lucidissimis, qui, dum maxime resiliunt, ac reflectuntur, aerem attenuant, disponuntque ad motum illum celerem, ac perturbatum, in quo calor ipse consistit: contra quam explicationem a nobili inter Anglos viro D. Havenreter egregie illustratam nihil Swindenius opponit, quod eam e magnæ suæ probabilitatis gradu dejiciat (*a*). Vel, si juxta nuperrime laudatam hypothesim Cartesianam ponamus globum solarem sola constare subtiliore materia, ad calorem autem, ignemque insuper requiri materiam crassam, quæ motu pernicissimo ab illa in partem omnem agitetur, jam habemus actualem ignem, atque calorem, ubi hæc concurrant, quin eumdem in ipso Sole cogamur admittere. Viden', quanti facienda sit conjectura illa, quam veluti demonstrationem evidentissimam jactat Swindenius? Quapropter in caput ipsius illud jure meritoque regerere possumus elegantissimum Tullii effatum, *Nihil esse tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, id sine ulla dubitatione defendere*.

Alteri *essentiali*, ut vocat, probationi ex magnitudine Solis deductæ unicam hanc animadversionem appingo, Authorem nostrum scilicet, dum in suo construendo Systemate Inferni sedem a terra ablegat, utpote angustiore ad improbos capiendos loco, & in Sole constituit tamquam in amplissimo corpore; & sibi, & sacrarum Litterarum locutionibus repugnare. Nam si sacras Litteras imprimis consulimus, Idea Inferni, quam eædem nobis ingerunt, haud dubie est loci angustissimi, qui damnatorum multitudinem ita complectatur, ut ii ob spatii angustias arcte invicem compingantur. Ita siquidem de Impiorum futura pœna Isaias loquitur Cap. 24.: *Congregabuntur in congregatione unius fascis in locum, & claudentur ibi in carcere*. Quibus verbis reproborum imaginem Propheta desumit a captivis bello factis, aut quibusvis aliis graviorum criminum reis, qui gregatim vincti, manus pedesque ligati arctæ custodiæ demandantur. Quod & a Christo Domino dictum est de Impiis, ligatis manibus, & pedibus mittendos in tenebras exteriores, sive in Inferni tenebricosum ergastulum, in quo instar lignorum in uno fasce collectorum, mutuo se premant, comprimantque, ut nedum ambulare, sed neque movere se loco possint. Atque eamdem Inferni notionem ingenerant tum Evangeliorum, tum Apocalypseos testimonia. Quam porro longe diversam de Inferno imaginem sibi præformat Swindenius, dum in Sole collocandum decernit? Cum enim inter cæteras Astronomorum hypotheses de magnitudine Solis eam præeligat, quæ Cassino, Flamstedio, & Ugenio placuit, solem nempe terra majorem esse supra decies centies millies, tanta est in tam vasto corpore solidi continentis magnitudo, ut amplissimum, ac pene immensum spatium obtingere posset cuilibet homini, qui per decem mille annos nascituri essent omnes ad Inferna damnandi (*b*). Quod dum Swindenius con-

(*a*) Vide Cap. 8. Swind.

(*b*) Ut constet, quam immane spatium in vastissimo solari corpore cuilibet damnatorum posset obtingere juxta hypothesim ab Authore probatam; sat est Solis magnitudinem prius geometricis calculis exploratam, in cubos scindere, quorum latera quinquaginta Italicis milliaribus constent; in quibus singulis singuli homines collocentur, ac intra spatium illud quinquaginta milliarium in longum, latum, & profundum divagari solitarie, ac libere valeant. Exinde colli-

conſtituit, nedum a Scripturæ locutionibus, ſed etiam a ſemetipſo diſſentit. Cap. namque 7. eam pro ſyſtemate ſuo congruentiam promovet, quod æquum fuerat, ut Satanas, qui ſphæram ſuam prætergredi nimium voluit, & ad alta Cælorum aſſurgere ad uſque ſolium Dei, præceps ageretur in anguſtias globi ſolaris, quem punctum eſſe definit cum tota cælorum amplitudine comparatum. Punctum utique ſit corpus ſolare cum immenſitate mundi collatum. Sed none *punctum* hocce ſupra decies centies millies majus eſt globo terreſtri? Quis igitur arctum, & anguſtum arbitretur hunc reproborum carcerem? Quis facinoroſus in tales anguſtias, in quibus ad milliaria plurima expatiari ad libitum poſſet, quin impediretur ab ullo, conjici pro ſummo beneficio non haberet? Verum ab his *directis*, & *eſſentialibus* demonſtrationibus ad alias, quas *conſecutionis* appellat, divertamus.

---

colligemus quod homines ea ratione in Orbe Solari recipi queant, ac quot ſæcula generatio hominum duratura ſit, dum in ſingulis illis cubis collocentur ſinguli homines.

Diameter Telluris noſtræ juxta communiores calculos, quos ſupra jam innuimus, milliaribus Italicis 7000. circiter conſtat. Ex ea (ſi repetatur methodus ſuperius adhibita) habebimus pro terreſtris orbis ſoliditate milliaria cubica 44,872,636,500. Cumque ex hypotheſi jam admiſſa Sol ſit undecies millioneſies (hoc eſt 11000000) major quam terra, ſi duæ illæ quantitates ad invicem ducantur, productum habebimus 493,598,990,500,000,000 milliarium cubicorum pro ſoliditate ſolaris Orbis. Quoniam vero cubus conſtans lateribus quinquaginta milliarium Italicorum, continet milliaria cubica 125000; ſi ſolidum ſphæræ ſolaris, hoc eſt milliaria cubica 493,598,990,500,000,000 dividas per 125000, hoc eſt per ſolidum cubi quinquaginta milliarium; quotiens erit 3,948,791,924,000 pro numero cuborum quinquaginta milliarium, in quos ſphæra ſolaris ſcindi poteſt: itemque pro numero hominum, qui ſinguli in ſingulos cubos juxta ſuperius præmiſſa, diſtribuentur. Denique iterum dividendo hunc numerum hominum, videlicet, 3,948,791,924,000 per 4,000,000,000 ut ſupra, comperies generationem hominum 987. ſæculis duraturam, hoc eſt annis 98700. dum ſinguli illi cubi a ſingulis hominibus obtinebuntur.

Ex quibus planum eſt colligere, quam ſtolida ſit neceſſitas ſpatii tam immanis ab Authore noſtro inſcite obtruſa, ut inibi reproborum omnium corpora collocari commode queant.



Caput XII.

Probationes, quas consequentiæ Swindenius appellat, in examen adductæ. Præcipuum harum fundamentum Copernicanum systema est, quod quam perperam demonstratum *esse asseratur, pluribus ostenditur. Scitulorum quorumdam audacia repressa, qui de hoc systemate, veluti de re penitus explorata loquuntur. Hoc etiam systemate admisso, nullius momenti sunt, quas ille derivat, probationes. Ejusdem antilogia notata.*

NUspiam magis ineptit Swindenius, quam ubi ad figmenti sui confirmationem eas affert probationes, quas ideo *consequentias* vocat, quod ex aliquo principio sive positione derivantur, a qua firmitatem suam hauriunt, atque constantiam. Hoc porro principium Hypothesis Copernicana est, quæ Solem locat in centro mundi immobiliter defixum; terram autem, sicut & reliquos Planetas, ac corpora cælestia, in peripheria, sive circumferentia: quam hypothesim ambabus ulnis amplectitur, ac tanquam *demonstratam* confidentissime venditat. „ Non id mihi assero, in„ quit ille num. 3, ut novum proprio „ cerebro de situ Solis systema confin„ gam: sed illud sequor, quod, cum „ cæteris omnibus sit antiquius, tum a „ Philosophis recentioribus, atque do„ ctioribus ultro susceptum est, vetus „ scilicet systema Pythagoricum, sive „ novum Copernicanum, quod Solem „ ponit in centro mundi. Opus non „ est, ut conatus exeram meos ad hu„ jusce hypothesis veritatem compro„ bandam, vindicandamque ab Adver„ sariorum objectionibus, quas tum ex „ sacris Scripturis, tum ex ratione, „ hominumque sensu, & præjudiciis „ congerere solent: quoniam id alii jam „ abunde præstitere sapientissimi viri, „ ac præsertim celeberrimus Gassendus „ in tertio libro suæ Astronomiæ, cui „ Lectores remittam. Hanc igitur præ„ sumam veluti *omnino certam, & exploratam* (*a*), atque huic tamquam „ solidissimo fundamento superstruam, „ quæ dicturus sum ad sententiam meam „ roborandam, & confirmandam „. Hæc ille, qui subinde specioso schemate affabre elaborato, Lectorum oculis subjicit tum Solem, quem Tartarum nominat, in medio mundi detrusum, tum Planetas, & orbitas, quas circa Solem, aut Tartarum describunt, Mercurium in primis, qui Solem proximius ambit: deinde Venerem: tum orbitam terræ, cui Lunam inserit: ac præterea Martem, Jovem, atque Saturnum planetarum omnium a Sole remotissimum: stellas autem immenso spatio dissitas supra hasce orbitas circumquaque distendit. Quibus omnibus Cælum eminet Empyreum eadem forma, quæ a Gassendo descripta est. Hoc itaque systemate tamquam basi, ac fundamento præmisso ad conjecturas sententiæ suæ, *de Inferni sede* faventes hinc, atque illinc eruendas accedit. Antequam vero in harum examen ingrediamur, pauca quædam observare nobis liceat de fundamento ipso, cui superstruuntur, ut quantæ sint firmitatis, & roboris ex hoc etiam colligamus.

Quemadmodum paulo ante positionem de ignea Solis substantia sibi Swindenius sumpsit ut certissimam, atque omnibus perspicuam; ita nunc, ut modo referebam, Copernicanam hypothesim obtrudit veluti omnino firmam, immo etiam *demonstratam*, in qua propterea tamquam in solidissima rupe argumentorum suorum molem constituat. Verum id quis ferat pacato animo? Quis non potius miretur Authoris audaciam, aut, si mavis, inscitiam, qui talia fidentissime jactat, publicæque luci committere

(*a*) Paullo infra, quæ proferunt Copernicani in systematis sui defensionem, vocat *Demonstrationes adeo evidentes, ut sub ipsum sensum cadant.*

tere non erubeſcit? Certane igitur, ac demonſtrata Copernicana hypotheſis eſt de hujus univerſi diſpoſitione? Fungos ſane, ac ſtipites, aut ſaltem admodum rudes, & ineruditos, crediderit Swindenius oportet Lectores ſuos, qui plane neſcirent nullam hactenus inventam pro ſyſtemate Copernicano demonſtrationem, nec a fautoribus ſuis illud veluti certum, exploratumque defendi, ſed, ut meram dumtaxat hypotheſim, qua cælorum phænomena commodius, atque facilius explicantur: ab aliis autem quamplurimis etiam repudiari, ut Phyſicæ legibus, divinæque in primis Scripturæ locutionibus prorſus repugnans. Quoniam vero nedum Swindenius, ſed alii quoque non pauci ſunt inter ſcitulos, atque barbatulos, qui, dum audiunt a quibuſdam magni nominis Aſtronomis adoptari, ſtatim conclamant nihil amplius eſſe de ejuſdem veritate ambigendum, extra omnem teli jactum æſtimandum, Scripturæ locutiones non in ſenſu litterali, & obvio, ſed figurato, & ad vulgi captum accommodato intelligendas, miranturque nedum id a ſede Apoſtolica eſſe declaratum. Quapropter, quoniam huc progreſſa diſputatio eſt, non abs re futurum puto, pauca quædam ex eruditiſſimo ævi noſtri viro Bernardo Nieventi Batavo corrivare, quibus ſaperdarum ora obſtruantur, comprimanturque inanes, ac infrunitæ declamationes.

Itaque Author iſte nuperrimus in eximio opere ſuo de *exiſtentia Dei*, &c. quod paucis ab hinc annis in lucem edidit, pluribus oſtendit, nihil ſolidi adhuc de motu Solis, vel terræ fuiſſe ab Aſtronomis, poſt obſervationes accuratiſſimas, conſtitutum, ſpemque omnem ferme ſublatam quidpiam certi aliquandiu conſtituendi: *Quod tametſi*, inquit, *nonnullis, qui rem penitius non attigere, permirum videri queat; doctiſſimi tamen inter Mathematicos neque negant, neque negare jure poſſunt*. Quod primum probat ex eorum diſſidio, qui Coriphæi, ac Principes in Mathematicis diſciplinis merito reputantur. „ Nam inter antiquos, ſubdit, alteram Philolaus, alteram Ptolomæus ſententiam ſecutus „ eſt: & inter modernos Tycho Braheus „ pro terræ quiete pugnavit, pro motu vero Keplerus, quamquam ambo „ Aſtronomiæ peritiſſimi forent: alii „ autem motum quidem diurnum terræ circa proprium axem adjudicant, „ ſed annuum Soli: unde & *Semitychonii* „ nominari conſueverunt. Tres iſtæ hypotheſes congruam rationem reddunt „ phænomenorum omnium, quæ nunc „ perſpecta ſunt, ut videre eſt in Aſtronomia Doct. Gregory, aliorumque, qui ſingulari perſpicuitate exponunt oculis leges, ac motuum directiones, queis ſuſtineri accommode „ poſſunt omnes. Si itaque hi doctiſſimi viri, a quibus hujus controverſiæ „ ſolutio ſperanda videbatur, quique diligentia ſumma, toto mentis acumine, atque ingenii conatu, in id maxime incubuerunt, adeo diſſident inter ſe de re prorſus eadem, nonne „ hinc inferre neceſſe eſt, ſolidas nullas probationes occurrere, quibus ſyſtema alterum alteri præferatur? Neque enim invicem non convenirent, „ ſi probationes illæ reipſa ſuppeterent „ (*a*): quemadmodum conſentire novimus in ſtatuenda nova orbitarum „ Veneris, ac Mercurii diſpoſitione, „ ea repudiata, quæ in Ptolemaico ſyſtemate fuerat conſtituta. Quare dum „ hæc inter celebriores Aſtronomos diſſenſio conſtiterit, firmiſſimo ſemper „ argumento erit, nihil in re hac ſolidi eſſe, in quo pedem figere liceat, „ nihil, unde alterutrum ſyſtema certo „ comprobetur „.

Quid enim vero, ſi iidem ipſi Aſtronomi præclariſſimi, qui Copernicanam hypotheſim conſectantur, poſt exquiſitiſſi-

(*a*) Eadem diſſenſio fervet inter præclaros alios Aſtronomos: quoniam licet permulti motum terræ vel ſupponant, vel ſtatuant: alii tamen mordicus negant, ut Ricciolius, Nicolaus Mercator, & noviſſime Euſtachius Manfredi Aſtronomicæ ſcientiæ, & Italiæ noſtræ jubar ſplendidiſſimum.

tissimas vestigationes ingenue profiteantur terræ, Solisve motum, aut quietem rem esse admodum incertam, de qua quicquam definire non liceat? Hoc laudatus Author plurimorum collectis sententiis manifestum facit: primumque eximii viri Ugenii ab ipso Swindenio, & quidem merito, summis laudibus celebrati, qui de hac quæstione interrogatus respondit: *Firmam hanc esse sententiam suam, mortalium neminem terræ motum, aut quietem probaturum* (a). Newtonus etiam, quamquam cum eodem Ugenio supponat motum terræ, cautissime tamen loquitur, nec aliquid certi decernit, ut ex pluribus locis ab Authore recitatis liquido constat. Sed & ipse P. Erigonus Mathematicus in primis clarissimus *de Mundi sphæra* diserte pronunciat, *Nec adhuc probatum, nec ulla demonstratione probari posse, aut terram esse in centro firmamenti, aut ipsam vel moveri, vel non moveri*. Dubii quoque sunt insignes viri D. Gregory, D. La Hire, De Varignonus, qui præter argumenta a Ricciolio producta aliud insinuat, quod rem incertiorem efficit. Flamstedius quidem censuit posse motum hunc probari ex parallaxi stellarum fixarum. Sed Cassinus, & alii jam palam fecere deceptum illum fuisse phænomenis quibusdam ad rem probandam ineptis. Profecto infirma esse omnia, quæ inde ducentur, argumenta, satis cognoscet quicumque legerit Authores laudatos D. Gregory sect. X. lib. 3. Astron. Ugenium in Cosmotheoria & Newtonum lib. 3. Princip. Philos. sect. 14.

Quapropter basilice falluntur ii, qui cum videant terræ motum, ac Solis immobilitatem plerumque supponi tum ab iis, quos memoravimus, tum a celebratissimis aliis Astronomis, statim inferunt, nullatenus de re hac dubitandum, cum jam penitus comperta sit, ac explorata. Nec advertunt hujusmodi minuti homines non ideo talem hypothesim ab illis supponi, quod veram, aut demonstratam reapse credant; sed quod faciliorem, aptioremque judicent ad phænomena explicanda, quæ aut nostris oculis obversantur, aut subtili investigatione deprehensa sunt: quod quum pluribus evinci posset, tum vel maxime constat ex quadam veluti Præfatione, quæ extat in Operibus Copernici, digna plane, quæ tota hic transcriberetur, nisi paulo esset prolixior. Summa ejusdem est: „ non oportere hypotheses esse aut certas aut etiam probabiles: sat esse, si rationes calculorum reddant, quæ experientiæ conformentur: sæpe ad unicum motum explicandum adhiberi plures hypotheses, quarum unaquæque præferri queat, quia facilior, non quia verisimilior apparet „: demumque concludit, *Certi nihil in Astronomica scientia expectandum, quod hypothesim aliquam spectat, adeoque nec hoc ita sumendum, quod proponit de dispositione, motuque corporum cælestium*: quod & Keplerus ipse fassus est. Unde liquet, quam longe ab eorum mente desciscant, qui Copernicanum systema, eo quod a summis viris probetur, illud statim verum esse conclamant, atque certissimum. Hactenus ferme ex Authore citato, fusius fortasse, quam necesse fuerat, non tamen abs re, uti quidem arbitror.

Ex quibus omnibus Swindenius intelligat, quam longe abludat a vero, quod tanta ipse confidentia deblaterat, certam esse, atque evidentem Copernicanam de Solis immobilitate, atque situ positionem, iisque adeo perspicuis *demonstratam argumentis, ut in sensus ipsos incurrant*. Quin immo nedum minime *demonstratam* fateatur oportet juxta peritissimos, ad quos appellat, Astronomos, sed plane incertam, ac etiam, juxta alios non inferioris subsellii viros, aut falsam, aut saltem minus probabilem: qui propterea haud recedendum putant a præjudiciis humani generis, & a sacrarum litterarum verbis obvio in sensu explicatis, a quibus neque recedere debuis-

(a) *Que son opinion étoit, que pendant, que nous serions sur la terre, personne ne pourroit le prover.*

debuisset unquam Swindenius ipse, qui pollicitus fuerat se Scripturæ locutionibus in suo condendo systemate perquam religiose semper adhæsurum. Quæ cum ita sint, quid jam sentiemus de firmitate argumentorum suorum *pro sede Inferni* in Sole adstruenda, quæ tam fragili, atque caduco fundamento superædificavit? Num *consequentiæ*, quas inde colligit, solidiores erunt ipso principio, unde eruuntur? Quis ita insaniat?

At fingamus certissimum esse, ut Swindenius præsumit, Copernicanum systema, nunquid etiam certa, & firma dicenda sunt argumenta, quæ ex illo derivat in præsidium sententiæ suæ? En primum, suse quidem expositum ab Authore nostro, sed in pauciora contractum. „ Reproborum, inquit, Beatorumque sedes ita disponendæ sunt in „ hoc universo, ut e regione invicem „ opponantur, veluti duo loca summe „ disjuncta: Nulla quippe major in natura oppositio est, quam Cælum inter, & Inferos, quæ se clarissime „ prodit, dum virtutes, & vitia inspicimus; dum cæli Regem Deum, ac „ Principem hujus sæculi Diabolum „ contemplamur: dum horumce ministros, sanctos scilicet Angelos, & „ Cacodæmones complectimur animo. „ Sicut enim inter hæc omnia distantia summa, ita summa quoque concedenda videtur inter cælum, & Infernum, inter regionem Sanctorum, „ atque malorum. Porro Sol in centro „ Universi positus, prout habet Copernicanum systema, ab Empyreo, seu „ Beatorum sede quam longissime distat. „ In eo igitur collocare par est Dæmonum carcerem, ac reproborum omnium „.

Quam fluxa, quam inanis sit hæc Swindenii conjectura, ipso quoque admisso Copernicano systemate, nemo non videat. Primum ab Authore quærimus, unde probet Solem esse in centro totius Universi, ut a Beatorum sede distet quam remotissime? Siquidem juxta illud systema a Cartesianis illustratum, in centro quidem nostri vorticis collocatur: An vero hic vortex in centro sit totius mundi, plane latet, nec plausibili ulla ratione aut probatur, aut probari potest. Verum largiamur Swindenio vorticem nostrum esse mundi centrum, quidni, si etiam Infernus in hac tellure ponatur, locus erit summa intercapedine dissitus a Cælo Empyreo, eique e regione oppositus? Intercapedo namque, quam Solem inter, ac terram definiunt, si cum Cælorum omnium, & Empyrei distantia comparatur, pro nihilo prorsus æstimanda est, ut Copernicani, & Swindenius ipse consentiunt. Totus enim magnus hic Orbis, in quo terra revolvitur, quamquam nobis, qui parvas moles considerare solemus, amplitudinis immensæ videatur, punctum tamen est cum amplitudine firmamenti collatus: adeoque distantia Solis, ac terræ a Beatorum regione sensibiliter diversa non est. Quod si Swindenius contenderit, sedem Inferni summe esse ab Empyreo distantem etiam Mathematice; jam neque in Sole constituat Infernum, oporret. Etenim juxta systema Copernicanum ab accuratissimis Astronomis nuperrime correctum, in quo pro Circulis Planetarum substituuntur Ellipses, quarum in uno foco Sol ponitur, hic omnino, & mathematice non est in medio planetarum, quod supra mille semidiametrorum terræ sejungitur, atque adeo nec ipse *mathematice* est in centro Universi, ut juxta Swindenium ab Empyreo quam remotissime distet.

Sed quid in tam inani argumento ludimus operam? Num ingens illud spatium quod inter sedes Beatorum, ac reproborum interjectum est, ita accipere cogimur, ut ambæ in æquali summa distantia mutuo opponantur? Ubinam Sacræ litteræ summæ hujus, exactissimæque intercapedinis meminere? *Chaos* quidem *magnum* inter electos, & reprobos *firmatum esse* S. Lucas commemorat, *ut hi qui volunt hinc transire, non possint, neque inde huc transmeare*. Cæterum de intervalli hujus magnitudine alte silet, illudque non nisi ex arbitrio definias. Quid enim eam deducis ex oppositione summa virtutum, ac vitiorum, Dei, ac Satanæ, Angelorum; & Dæmonum, piorum, & impiorum, vitæ demum, & mortis? Hæccine evincunt

cunt distantiam *mathematicae* summam inter Sanctorum beatissimam regionem, & Inferorum carcerem? Mirifica sane probatio, ridenda potius, quam refellenda. Quare alteram, num melior sit, videamus.

„ Observandum, ait *pag. 99.* ex Copernicana hypothesi constituta, Cælum Empyreum, & Solare corpus nedum inter se opponi in distantia omnium maxima, verum etiam in loci utrique convenientis dispositione. Empyreum nempe Cælum supremum obtinet in mundo locum, Sol autem infimum. Hæc porro vetus opinio est omnium gentium firmata consensu, divinæque etiam Scripturæ authoritate, *Cælum & Inferos esse in extremitatibus sibi invicem oppositis* „. Quod primum probat testimonio Poetarum, ac Philosophorum, Hesiodi, Homeri, Platonis, aliorumque, qui unanimi juxta D. Bilsonium sententia *Tartarum locarunt in ima mundi regione subtus terram*. Unde & Deos Inferno præesse credidere, *subterraneos* appellare consueverunt, sive *positi sub terra numina mundi: adeo*, inquit, *cordibus hominum altius infixa erat, atque recepta istiusmodi persuasio, Beatorum sedes existere in nobiliore, ac eminentiore, malorum vero in profundiore, ac infimo loco*. Sed & ipsæ *sacræ litteræ*, subjicit, *eamdem nobis de Inferorum situ ideam ingenerant.* Atque inde profert sententias, Jobi dicentis *C. XI.* de Deo, excelsior *cælo est* &c. *profundior Inferno* &c. Davidis Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in Infernum, ades:* Amosii Cap. 9. *Si descenderint usque in Infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque in cælum, detraham eos*: Isaiæ Cap. 14, & Matth. Cap. XI. Ex quibus postea ita concludit pag. 105. *En quo recidant hæc omnia. Ex systemate a me præsumpto evidens est telluris globum collocari inter Cælum Empyreum, & Corpus solare: adeoque necesse est, cælo posito in sublimiore extremitate mundi, Solem esse in extremitate inferiore, atque congruentiore, ut in eo statuatur Infernus, sive damnatorum ergastulum*. De quo argumento, ut & de priore ita sibi Swindenius blanditur, & plaudit, ut subinde efferat, iisdem omnino convinci tum corpus solare, quod procul dubio igne flagrat ardentissimo, *Tartarum esse*, tum novum hinc argumentum emergere, quo amplius comprobetur Copernicanum systema, quod cælum, terram, & Inferos congruentissime collocat, prout exigit eorum conditio juxta humani generis ideas, atque insitas notiones. Quis hæc audiens se a risu contineat? Quis festivis plausibus non prosequatur argumentum a Swindenio feliciter inventum ad Copernicanum systema invicte confirmandum? En reperta tandem demonstratio tamdiu frustra quæsita a Galileo, ab Ugenio, a Cassinio, aliisque splendidissimis Astronomiæ luminibus: *Sol est vasta illa ardensque fornax reprobis continendis, cremandisque destinata*: nec enim corpus aliud in mundo reperire est, quod vices illius obire valeat. *Igitur Sol consistit immobilis in centro totius Universi, tellusque revolvitur in peripheria*. At mittamus jocos, & Swindenii argumentum paulisper excutiamus.

Pervulgata, inquit, hominum, vetusque persuasio est Damnatorum carcerem *in loco esse omnium infimo, sicut in supremo Beatorum sedem*. Bene, & optime. Verum nonne eadem persuasio omnium etiam animos occupavit, locum illum infimum ad plectendos impios destinatum non extra hanc tellurem, sive Solem cogites, sive aliud quodcumque corpus, sed intra ipsius viscera contineri? si negas: non alium, mi Swindeni, appello hujusce persuasionis judicem, ac testem, præter te ipsum, te ipsum, inquam, qui id luculentissime asseruisti Cap. 3. quin & hoc ipso capite diserte confirmas, dum testimonia Poetarum affers, & Philosophorum: Quid enim aliud designat a te producta sententia Platonis vocantis Inferos *profundiora loca* γῆς? Cur Pluto, aliique dicebantur *Dii subterranei*, sive *positi sub terra numina mundi*? Nisi quia præesse putabantur animabus, quas inter penetralia terræ detineri credebant, ut vel præmia reciperent, vel supplicia? Num *Tartarus*, in quo impii pœnas luunt,

tum

tum apud Hesiodum, & Homerum, quorum uteris authoritate, tum apud cæteros Gentiles, situm non erat in loco omnium teterrimo, & infimo terræ? Si quid igitur ex communi consensione hominum colligere fas est, de quo postea, illud certe est colligendum, inferos, non in Sole, quod nemo ne cogitavit quidem, aut in quovis alio cælesti corpore, sed in profundissimis locatum esse latebris terræ.

Minus etiam faciunt in rem suam, quæ Swindenius allegat Scripturarum testimonia, quin potius caussam, quam propugnat, funditus labefactant. Nam & verba ab illo relata, & verborum contextus, & scopus ipse loquentis splendidissime manifestant, equidem Infernum esse in inferiore loco, at non extra terram, sed in abditissimis ipsius penetralibus: nec alium sane, si vel in summa facie contemplere, sensum referre possunt allatæ sententiæ. Sic verba ex libro Jobi recitata divinam celebrant immensitatem, quæ omnia replet, quin ab ullo comprehendatur loco. Unde prius Jobi amicus *Sophar* cælum considerat, eoque *excelsiorem* Deum prædicat. Descendit deinde ad terram, partem mundi cæteris notiorem, ejusque profunditate perpensa, longitudine, ac latitudine, decernit Deum esse ipsa profundiorem, longiorem, latioremque: id quod etiam ex aliis locis, in quibus, quæ hic, vox *Sceol* adhibetur, luculenter enitescit, ut dum cap. 14. com. 13. exclamat: *Quis mihi tribuat, ut in Inferno* (sceol) *protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Et cap. 17. com. 13. *Si sustinuero, Infernus* (sceol) *domus mea est*. Et cap. 21. com. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna* (sceol) *descendunt*, & id genus alia. Num S. Jobus rogabat, ut a furore Domini absconderetur in Sole? Num putabat se, aliosque post mortem in lucidissimum illud sidus abituros, aut ibidem futuram domum suam? Apage nugas.

Par omnino sensus emicat in sententiis reliquis, sive ex Regio Propheta, sive ex Amosio, sive ex Isaia productis: de quibus plura jam alibi dicenda erunt. Illud hic dumtaxat cursim observare lubet in textu postremo, quem Swindenius attulit ex Cap. 14. Isaiæ, eo scilicet apertæ falsitatis revinci figmentum suum. *Quomodo*, inquit S. Propheta, *cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum* &c.? *Verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci*. Non igitur, juxta Isaiam, in Sole, sed in terra quærenda, ac figenda est sedes Inferni, profundumque laci, in quo Dæmones, & impios detrahendos sacer Vates comminatur.

Quid plura! En unica animadversio; quæ satis abunde est ad totam Swindenianam molem his Scripturarum textibus subnixam penitus subruendam, atque conterendam. Perspicuum plane est, tum ex allatis a Swindenio, tum ex aliis Authoritatibus, juxta sacra Oracula, Cælum in superiore loco esse, atque sublimi, Infernum vero in situ depressiore, & inferno: ita namque indigitant verba illa Jobi, *Excelsior cælo est, profundior Inferno*: Davidis; *Si ascendero in Cælum, tu illic es: si descendero in Infernum, ades*: Amosii; *Si descenderint usque ad Infernum* &c. *si ascenderint usque in Cælum* &c. Isaiæ: *In cælum conscendam* &c. *ad Infernum detraheris*: Matthæi; *Usque in Cælum exaltaberis, in Infernum descendes*, & sexcenta alia: idque nedum Swindenius non diffitetur, quin & urgere pluribus, ac declarare satagit. Igitur inferam ego, tota ruit ejus hypothesis tanto studio, tantisque conatibus constituta, nec Infernus in Sole, sed alibi quærendus est. Consequentia isthæc apertissima est cuicumque adverterit Solem in libris sacris continenter locari in cælo, atque adeo non in loco inferiore, ubi, Swindenio ipso judice, Infernus omnino constituendus, sed excelso, ac sublimi. Id disertissimis verbis exprimitur, vel in ipsa luminaris hujusce conditione, quam sic descriptam legimus Genes. cap. 1. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & illuminent terram: & factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: lumi-*

luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas .. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram &c. Idem legitur in loco superius citato ex Cap. 14. Deuteronomii, *Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea &c.* Idem quoque Cap. X. Josue, *Stetit Sol in medio Cæli:* Ecclesiastici Cap. 26. *Sicut Sol oriens in altissimis Dei &c.* & alibi passim. Itaque si juxta Scripturam, ad quam Swindenius Lectores provocat, Sol in Cælo est: & juxta textus ab ipso laudatos, cælum Inferno opponitur, veluti duæ extremitates summe invicem distantes, aut duo loca, alterum supremum, & eminens, alterum depressum, & infimum; nonne ex ipso argumento suo Swindenius convincitur, minime in Sole Inferos posse constitui juxta Sacras Scripturas? An forte dicturus hic est in textibus a se productis Scripturam secutam esse Copernicanam hypothesim; in aliis vero se ad vulgi captum attemperasse, ac de Sole locutam juxta vulgaria sensuum nostrorum præjudicia? Vah ridicularium figmentum!

Verum ab argumento, quo Swindenius inaniter triumphat, oculos alio divertere nolim, quin prius in lucem exponam crassam, & apertam, in quam lapsus est, antilogiam. Constat jam ex supradictis iccirco Inferos in Solari globo collocandos putasse, quod juxta hypothesim Copernicanam, quam ut unice veram aliis omnibus præfert, Sol in infima mundi parte consistat, in qua & omnium mentibus insculptæ notiones, & sacrarum litterarum oracula statuunt carcerem damnatorum. Porro, dum ita scribit, eorum plane oblitus est, quæ *Cap. 3.* notaverat cum Pearsonio, Hammondo, & Hemingio ad illa Apostoli verba de Christo Domino prolata in Epist. ad Ephes. Cap. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Ut enim eludat argumentum, quod inde Catholici conficiunt, ut evincant extitisse animas intra profundiores terræ latebras, ad quas post mortem suam Christus descendit; reponit cum laudatis a se Scriptoribus, atque ita explicandum contendit Apostolicum textum, ut eo designentur inferiores, sive infimæ partes Mundi, terram scilicet, in quam Dominus per Incarnationem e Cælo descendere dignatus est. Terra igitur, ipso teste, & assertore, infima est, & a Cælo remotissima mundi plaga. Quid ergo nunc Copernicani systematis præsidium vocat, ut Solem in centro Mundi defigat, atque adeo in loco omnium infimo, & a cælo remotissimo, ut sedes Inferni sit, terram vero ad circumferentiam amandat, sive ad locum Sole sublimiorem? Nonne hoc est pugnantia loqui, suisque Antilogiis jugulare seipsum? Sed ad expendendas objectiones alias properemus.

CA-

CAPUT XIII.

Nonnullæ aliæ Swindenii conjecturæ discussæ. Nova figmenta ab eodem excogitata ad fulciendam opinionem suam exsufflantur. Meris conjecturis humanæ rationis definienda non sunt, quæ ab unica Dei voluntate pendent. Plausibiliores conspirant pro vulgari sententia congruentiæ, si quæstio hisce dumtaxat dirimenda foret.

PRæter exposita argumenta, in quibus majus sententiæ suæ præsidium, ac robur sibi Swindenius reperisse visus est, aliæ nonnullæ ipsius conjecturæ discutiendæ supersunt, a quibus tamen paucis me expediam. Nam verendum mihi est, ne, quod ait Cyrillus Alexandrinus (*a*); *adversus tam frigida, & inepta disputare, ejusdem sit imperitiæ sibi notam consciscere, qua nugarum istarum Authores laborant*. Prima hæc est, quam tanti pendit Swindenius, ut tota mentis attentione dignam existimet pag. 107. (*b*). *Advertendum*, inquit, præsumpto Copernici systemati constanter insistens, *Empyreum & Solem, nedum sibi invicem maxime opponi penes altitudinem, & profunditatem, sed penes etiam magnitudinem, & parvitatem*. Quamquam enim plurima alia corpora sint Sole longe minora, veluti tellus, Luna, cæterique planetæ, ac pleraque saltem alia sydera, quum tamen in consummatione sæculi Mundi hujus machina dissolvetur, ac cæteri intermedii orbes, & corpora cælestia redigentur in nihilum, nec quidpiam aliud superesit, nisi Cælum Beatorum sedes, & Infernus damnatorum carcer, Sol tunc cum Empyrei magnitudine comparatus, minimum corpus erit, ac fere punctum. „ Quoniam igitur eo temerarii ausus „ progressa est superbia, & ambitio „ Diaboli, ut æqualitatem affectaret „ cum ipso Deo, divinaque omnipoten- „ tia, & immensitate; æquissimum o- „ mnino videtur, ut qui sphæram sibi „ præstitutam prætergredi voluit, præ- „ ceps agatur in angustissimam Inferni „ voraginem, ac sicut immensa cælorum „ spatia Dei sunt, beatorumque felicissima sedes; ita punctum illud, si- „ ve angustiæ solaris corporis Diaboli „ sint, sociorumque, ac reproborum o- „ mnium miserrimum Domicilium „. Hæc ille.

Quænam, amabo te, disputatio esse potest cum homine, qui pro libito fingit hypotheses, easque assumit veluti solidissima fundamenta, queis ridicularia sua paradoxa superstruat? Unde quæso expiscatus ille est mirificam illam doctrinam, quam tanta confidentia oggerit, dignamque censet animadversione singulari; corpora scilicet omnia, mundi completo curriculo, in nihilum tandem redactum iri, tantumque remansura in Universo toto Empyreum ad electorum gloriam, & Solem ad damnatorum pœnam? Certe non ex sacris Scripturarum oraculis, quæ aliam potius de hoc interitu Mundi ideam nobis ingerunt (*c*), nec terram uspiam, aut Cælos penitus destruendos portendunt, sed

H inno-

(*a*) Epist. ad Valer. (*b*) *C'est ici une remarque digne de toute nostre attention*.

(*c*) Ita sane designant sacræ litteræ. Ecclesiast. Cap. 3. com. 14. *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in æternum*. Isaiæ cap. 65. com. 17. *Ecce ego creo Cælos novos, & terram novam*: quod & repetit cap. insequente; ad quæ verba subjicit S. Hieronymus in cap. 65. Isajæ: *Non dixit alios cælos, sed veteres antiquos in melius commutatos*. His consona sunt, quæ leguntur Apocalyp. Cap. 21 *Vidi*, (completo scilicet finali judicio), *Cælum novum, & terram novam*, idest non alios plane cælos, nec aliam terram, sed utrumque novum, ut utriusque quæ secutura est innovatio insinuetur. Quin & lunam, sicut & solem laudatus Isaias cap. 30. memorat post extremam omnium resurrectionem ampliore luce donandam, inquiens: *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum*. Nec alienum sensum referunt aut Apost. verba 1. ad Corinth. 7. *Præterit figura hujus mundi*: aut illa S. Petri 2. Epist. cap. 3., quibus præcipue Swindenius innititur: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa vero calore solventur: terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur*. Sic enim intelligenda veniunt, quod scilicet, ut apparet ex textu græco, cæli transire, & evanescere videbuntur instar venti vehementis, & in alium statum, ac formam vertentur. *Is namque*, ait Epiphanius, *Scripturæ mos est, ut mutationem in meliorem formam vocet interitum, sive transitum prioris. Terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur*, ut tamen novum statum, ac formam acquirat: sic enim subdit cap. 13. *Novos vero Cælos, novam terram, secundum promissa ipsius (Domini) expectamus*.

innovandos dumtaxat, atque in formam meliorem vertendos. Sed neque ex Sanctorum Patrum sententiis, quorum ne unum quidem reperiet, qui aut substantiam terræ, aut Cælos omnino abolendos docuerint post extremum judicii diem (*a*). Nec demum ex Theologis saltem alicujus nominis, & famæ. Nam tum Catholici omnes D. Thomam secuti, tum Protestantes sive Lutherani, sive Calvinistæ oppositum potius disertissime tradunt. Unde ergo peregrinam, & inauditam hypothesim suam Swindenius hausit? Non alio ex fonte arbitror, nisi ex impuris quorumdam Hebræorum Cabbalistarum lacunis, qui simile quidpiam confinxisse videntur: quamquam & ipsi revera minime cum Swindenio consentiant, utpote qui omnimodam abolitionem mundi imaginati sibi fuerint, nec vel Solem ipsum cum Empyreo permansurum crediderint. Quid ergo chimæram chimæra illustrat, ac probat Theologus noster, & Lectorum attentionem defatigat, ut somnium suum sedulo studio recogitent? Sed audi belliorem aliam conjecturam, qua præcedentem amplius confirmat.

Ducitur hæc ex eadem Copernicana hypothesi, cui Swindenius, tamquam saxo suo Sisyphus, hæret. *Sol* (scribit ille pag. 108.) *ita locatus est in centro Universi, ut ab eo ab usque suæ conditionis initio numquam dimotus fuerit, aut aliquando dimovendus. Immobilitas autem, ipso Aristotele teste, propria æternitatis est, sicut mobilitas rei temporum mutationi subjectæ. Quapropter cum cæteri quique cælestes orbes, sicut & elementa omnia, ac terra ipsa moveantur; hæc postremo interitura sunt, & in nihilum abitura. Solare vero corpus suo in centro æternum durabit, & quidem ad damnatorum supplicium numquam desiturum:* quod multis explicare pergit, quæ lubens prætereo.

Lectores meos denuo obsecro, ne mihi succensendum putent, quod conjecturas vanissimas, ac perridiculas Authoris nostri eorum subjiciam oculis, ac serio refellam. Primum falso præsumit Solem dumtaxat juxta systema, quod ipse recipit, immotum in centro suo permanere. Stellæ namque, sive sydera fixa, cum in eodem systemate sint veluti totidem soles in medio suorum vorticum consistentes, pari gaudent immobilitate quæ Soli tribuitur: atque adeo si quid extunderetur ex hac animadversione sua, æque stellis concedendum esset. Præterea accuratiores Astronomi, qui cælestia corpora attentius, melioribusque telescopiis instructi perlustrarunt, quos inter vir in primis clarissimus Cassinus junior (*b*), motum aliquem in ipsomet Sole circa proprium axem detexere: adeoque nec perfecta illa immobilitas Soli adjudicari valet, quæ rei æternæ proprietas est. Demum cum Swindenius perperam constituat totalem interitum tum orbium cælestium, tum hujusce nostræ telluris, neque hoc solido ullo fun-

---

(*a*) Videtur prima fronte discrepantia aliqua de re hac fuisse inter veteres Patres: quæ tamen in verbis potius sita est, quam in ipsa Doctrina. Nam antiqui Patres, ut Author Recognit. *lib.* 2. Anthor qq. ad Orthodoxos, *q.* 93, 94, & 95, S. Basilius *hom.* 1. *in Hexam.*, S. Ambros. *lib.* 1. *item in Hexam.*, & S. Gregor. Nyssenus *de Creat. Hom. cap.* 14., docuisse videntur Mundum hunc penitus dissolvendum, aliumque substituendum, adeo ut novi Cæli futuri sint, nova sydera, nova elementa. Verum haud difficile est horum testimonia in alio ab eo, quem præferunt, sensu, & commode ad aliorum Patrum mentem exponere, qui sentiunt, non hunc mundum omnino destruendum esse, sed commutandum in melius nova formæ, ac status accessione. Ita docent S. Barnabas, sive quicumque sit vetus Author Epist. ejus nomine inscriptæ, S. Irenæus, & qui inter antiquos millenariorum opinationem secuti sunt: S. Epiphan. *Hæres.* 64., & Proclus, ac Methodius apud ipsum: Oecumenius *in* 2. *Petri cap.* 3., S. ipse Basilius, qui *hom.* 1. *in Hexam.* mundum ad exitum quidem perventurum, non in nihilum reversurum probat Authoritate Apost. dicentis: *Præterit figura hujus mundi:* S. Cyrillus in Isaiam *lib.* 4. *cap.* 54.: S. Hieron. loco citato: Beda *in Apocal.*, & *in* 2. *Petri*: S. Gregorius Magnus, qui Scripturam Scripturæ concilians lib. 17. Moral.: *Cæli*, inquit, *per eam quam nunc habent imaginem transeunt: Sed tamen per essentiam sine fine subsistunt.* Denique de hac re omnium luculentissime disserit S. Augustinus *lib.* 20. *de Civitate Dei* pluribus Capitibus, ac germanos Scripturarum sensus explanat.

(*b*) Vide Histor. Academ. regalis scientiarum ad annum 1735.

fundamento aut probet, aut sit unquam probaturus, ut jam adnotavimus; atque falsa hac positione nitatur imaginarium suum argumentum, non est cur diutius in ejusdem consideratione immoremur.

Sed ecce, ne quid prætermittam, nova alia conjectura a Swindenio conficta. In antecessum statuit Inferos a Deo conditos non fuisse ante lapsum Diaboli, ac rebellium Angelorum, „ tum quia „ jam ab initio destinati sunt ad pu- „ niendam eorum superbiam; tum quia, „ si parati jam antea fuissent, eos ne- „ quaquam latere potuissent, adeoque „ supplicii timor eos deterruisset a per- „ petrando peccato. Tum vero, addit, „ Angelis in crimen superbiæ prolapsis, „ Deum e vestigio ad ipsorum pœnam „ terribilem illam, ardentissimamque „ fornacem in Sole succendisse, qui pri- „ mum Dei Creatoris opus jure sup- „ ponitur, in quem Cacodæmones sta- „ tim detrusi fuere: id, quod, inquit, „ ab historia sacra minime dissentit, „ quæ immo refert primitus lucem esse „ creatam, sive Solem, ut Nicolius, „ & Rabbini decernunt „. Quare Sol reproborum Infernus meritissime constituitur.

Est etiam hic, cur magnopere miremur Swindeniani argumenti soliditatem. Demus Authori, Solem, non quarta creationis die, ut sacer textus enarrat, sed prima fuisse productum. Demus item Angelorum lapsum hujusce corporis productionem antevertisse. Fac etiam, si mavis, divisionem lucis a tenebris separationem intelligi bonorum Angelorum a malis. Quid inde? Rebelles ergo Angeli dejecti fuere in solem, ut ibi prævaricationis suæ pœnas luerent? Næ egregia consequentia, qua solidiorem haud facile invenias! Huic tamen Swindenius non admodum fidere visus est. Unde in Epilogo Operis sui alio validiore argumento se vel maxime convinci profitetur, ad Inferos in Sole ponendos. Hoc igitur potius audiamus.

Fuse illud proponit Capite hoc 7. quod percurrimus, ac postremo loco distulit referendum veluti firmissimam basim, supra quam novam a se excogitatam sententiam constabiliret. En ejus verba latine, ut cætera, reddita, „ Robustissima nobis fundamenta suppe- „ tunt, unde pro certo habeamus Solem „ fuisse primum a mortalibus inter Ido- „ la relatum, cui divinos cultus exhi- „ berent. Id enim compertum satis est „ ex attenta lectione eorum, quæ in „ primævis ætatibus Mundi contigere. „ Liber Jobi, qui eruditorum judicio „ ante alios quoscumque libros scriptus „ est, memoriæ prodidit facinus omnium „ iniquissimum esse divinum cultum So- „ li deferre. *Si vidi solem*, inquit, „ *cum fulgeret, & lætatum est in abs- „ condito cor meum ..... quæ est ini- „ quitas maxima, & negatio contra „ Deum altissimum*: ubi procul dubio „ de honore sermo est Soli per summam „ impietatem exhibito. Moloch itidem, „ de quo mentio sæpe fit in sacris li- „ bris, non alius fuisse creditur præter „ Solem: atque ita a Moabitis, a „ Cretensibus, Tyriis, Assyriis, Persis, „ Gallis, aliisque nationibus, Soli va- „ riis nominibus nuncupato, sacrilegi „ cultus delati sunt. Porro subdit „ Swindenius, ex hoc cultu Soli univer- „ sim ab hominibus exhibito, colligere „ pronum est, Dæmonem malorum o- „ mnium incentorem, ac fontem in hanc „ præsertim Idololatriam pertraxisse „ gentes, ut una verum supremumque „ Deum abnegarent, & Solem colen- „ do, sedem venerarentur imperii sui, „ locumque ipsorum cruciatibus depu- „ tatum „.

Quid tibi videtur, Lector humanissime, de tam solida, tamque evidenti demonstratione, qua Swindenii mens persuadetur de veritate sententiæ suæ, penitusque convincitur? Mihi sane, dum hæc audio, stomachum movet, ac risum continere vix possum. Præclare utique, atque admodum consentanee ad illam scripturæ locutionem, quæ *Deum in Sole tabernaculum suum posuisse* perhibet, Swindenius *in Sole tabernaculum* Diaboli, & sedem Imperii sui ponendam decrevit. At nonne, & Dæmon ipse, & Angeli ejus, perinde ac reprobi homines, in solari globo puniendi, ac torquendi sunt? Pul-

cherrime sane, & peridoneo vocabulo Carcer, Ergastulum, locusque tormentorum Diaboli *sedes imperii sui* appellatur, atque constituitur. Sed vide, quæso, Swindeni, ne quidpiam amplius, quam ipse velis, ex præmissa tua propositione sequatur, nedum scilicet Solem, sed & lunam pariter, & stellas statuendas esse *sedes imperii Dæmonum*, locumque destinatum suppliciis hominum impiorum. Nam tum Solem, tum etiam lunam, & stellas coluisse nationes plurimas compertissimum est. Certe in eo loco, quem dimidiatum refers ex *Cap.* 25. Jobi, non modo Vir sanctus Solem memorat, cui divini a mortalibus honores impendebantur, verum etiam *Lunam*: Sic enim ait: *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare &c., quæ est iniquitas maxima &c.* quibus consuetudinem indicat adorandi Solem in ortu illius, & lunam fulgentem, aut fulgere in cælo incipientem: cui etiam usitatæ inter gentes superstitioni referuntur ea verba Mosis Deuteron. Cap. 4.: *Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas solem, & lunam, & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea, &c.* sicut & cap. 17.: *& adorent Deos alienos, Solem, & lunam, & omnem militiam Cæli*: quorum gemina habentur Jeremiæ *Cap.* 8. Multiplicandæ igitur tibi sunt Inferni sedes, si vis inest argumento, quo plane convinceris, reproborumque domicilium non in Sole tantum locandum erit, sed etiam in luna, in astris cælorum, quin & in pluribus aliis corporibus, ad quorum nefarias adorationes Dæmones impulere mortales.

Atque hæ sunt omnes probationes illæ, sive conjecturæ validissimæ, quas ad novum Systema suum *de Inferni sede* stabiliendum procudit Swindenius, quasque *sapientissimas, & acerrimo judicio excogitatas* appellare non est veritus Du-Vallius, qui earumdem examen suscepit. Ego quidem neminem futurum arbitror inter vere sapientes, æquum, & integrum Judicem, qui eas futilissimas, & nugatorias non æstimet, ac subirascatur homini sententiam de re tam gravi superædificantem hypothesibus vel incertis, vel aereis, vel oppido falsis, Verum, ut amplius perspectum sit, atque comprehensum inanem esse penitus imaginationem Swindenii, nulloque firmo fundamento suffultam; fac, sodes, solidas esse conjecturas, sive congruentias hoc, & superiore Capite discussas: quin & alias plures solidiores e cerebro suo Swindenium efferre; numquid propterea figmentum suum argumentis ad fidem faciendam idoneis comprobaret, aut efficeret probabile apud æquos rerum æstimatores? Quis Theologorum nescit meris congruentiis nullum inesse robur in rebus iis definiendis, quæ a voluntate Dei unice pendent, si alias textus Scripturarum desint, unde earum veritas eruatur? *Sola convenientia*, scitissime docent Criticæ artis Professores, *non parit præsumptionem. Multa siquidem convenienter fieri, aut facta esse nobis videntur, aut videri possunt, ac solent, quæ tamen neque fiunt, neque facta sunt*. Quod in iis præsertim locum habet, quæ ex arbitrio proveniunt, & consilio Dei, qui potiores alias congruentias ad aliquid statuendum habere potuit nobis incompertas, & plane incognitas. Quare, cum in hac disputatione de re agatur, quæ mera Dei voluntate, consilioque peracta est, futiles prorsus, ac nullius momenti censendæ sunt, quæcumque ad persuadendam aliquam positionem conjecturæ afferantur; nisi Scripturarum, aut divinæ traditionis oraculis superstruantur: quæ sane Swindenio non favent, quin potius adversantur, ut ex dicendis constabit. Quanto ergo potiore jure flocci faciendæ sunt, & contemnendæ a Swindenio productæ pro sententia sua congruentiæ, quæ & levissimæ sunt, & incertissimis deductæ principiis?

Profecto si hoc probationum genere caussa hæc dirimenda foret, & convenientiis utrinque pugnandum, victores discederent, qui vulgarem communemque tuentur *de subterranea Inferni sede* sententiam. Plausibiliores namque sunt, ac fundamentis nixæ firmioribus, quæ ad eam asserendam proferri solent. Eas hic innuere saltem consultum duco, haud equidem quod illis deferendum putem: aliis quippe ex fontibus rei veritas derivanda est, & in loco derivabo,

sed

sed ut omnes intelligant nil omnino esse in hypothesi Swindeniana, quod eidem ex parte aliqua suffragetur.

Plures itaque afferri solent conjecturæ, sive convenientiæ, tum ab Ecclesiæ Patribus, tum a Theologis, cur damnatorum locus constitutus a Deo fuerit in ima tellure. Hanc in primis affert S. Augustinus *lib. 12. de Genesi ad litt. Cap. 34.* his verbis: *Congruum est, ut quoniam defunctorum animæ carnis amore peccaverunt, hoc eis exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet exhiberi, ut scilicet sub terra recondantur.* Alteram congruentiam ibidem addit, inquiens: „ Inferi, eo quod infra sint, „ latine appellantur. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui rationem teneant, inferiora sunt omnia graviora: ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. „ Unde & in græca lingua origo nominis, quo appellantur Inferi, ex „ eo, quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. „ Quam congruentiam sic illustrat Duvallius in Opere *de quatuor novissimis*: „ Illud est tristitia, & lætitia animabus, quod corporibus gravitas, & levitas. Sicut „ enim corpora per gravitatem deprimuntur, ita anima per tristitiam: & „ ut alleviantur, sursum attolluntur „ corpora per levitatem, sic animæ „ per lætitiam. Porro quemadmodum „ Cælum Empyreum, quod sursum est, „ cæterisque supereminet, conveniens „ est animabus electorum, quæ plenissima beatitudinis lætitia potiuntur; „ sic & reproborum Spiritibus assignandus est locus infimus, ac intra terram, in quam per æternæ damnationis tristitiam deprimantur „.

Duas alias congruentias allegant sancti Ecclesiæ Doctores Thomas Aquinas, & Bonaventura. Sumitur prima ab ipso divinæ Providentiæ ordine, & Oeconomia, qua Mundi conditor sapientissimus res omnes e nihilo eductas, juxta cujuscumque earumdem naturam, & exigentiam consentaneo in loco, certo numero, pondere, ac mensura distribuit: *Sapientis* namque est ordinare, ut ait Aristoteles. Quemadmodum ergo Deus naturales res, & corporeas in diversum sibi respondentem locum digessit, ut nimirum levia sursum ad extimam usque peripheriam enitantur; gravia vero deorsum tendant ad centrum usque telluris; ita pariter, servata prout decet, proportione, spiritualia, & quæ præter naturam sunt, disposuit, ut scilicet justis hominibus, qui aguntur spiritu Dei, & ad superna contendunt, posthabitisque terrenis rebus, atque caducis, quæ sursum sunt, cælestia quæsiverunt, suprema convenit mundi sedes, beatissima nempe cælorum regio: eos contra, qui secundum carnem vixerunt, & spiritum terrenis concupiscentiis, ac voluptatibus ad infima depresserunt, æquissimum est ad profundiora terræ loca detrudi. Quæ ratio haud dispar videtur ab ea, quam attigit S. Augustinus.

Alteram repetunt a mutua quadam similitudine rerum. Ut enim animadvertunt Philo, & laudatus modo Philosophus, similitudo quædam, atque proportio interesse debet locum inter, & locatum. Porro tria præsertim observare est in iis, qui ob commissa facinora ad supplicia sempiterna damnantur, summa aversio, ac recessus a Deo, maxima intellectus obscuritas, & immobilis in malo voluntatis obduratio. Propterea, cum ad subeunda, quæ sibi impii homines promeriti sunt, tormenta ablegantur, locus eisdem congruentior is esse videtur, qui tum a regno Dei, & gloria remotissimus sit, tum densissimæ noctis obscuritate teterrimus; tum demum immobilis claustri soliditate undequaque conclusus: cujusmodi plane sunt intimæ terræ partes, quæ & maxime distant a circumferentia cælorum, & densissimis tenebris obsidentur, & corporum solidissimo tractu circumambiuntur.

Aliam iis affinem conjecturam adnectit eximius vir Franciscus Suaresius, postquam ostenderat non plura invicem discreta loca, sed unum dumtaxat admittendum pro damnatorum supplicio, inquiens: „ Ea ratione, qua probatur „ conveniens fuisse unum locum ad punitionem omnium damnatorum esse „ depu-

„ deputatum, probatur etiam debuisse „ locum illum esse abjectissimum, vilissimum, & ab omni luce Solis, ac „ stellarum longe semotum: Talis autem est infimus locus juxta centrum „ terræ: ergo ibi credendum est esse „ Infernum „.

Pleræque, inquiet procul dubio Swindenius, ex his convenientiis adductis nituntur alia corporum Universi theoria, ac dispositione, quam statui debeat juxta Copernicanum systema. Ita plane: at num demonstratum hactenus est tellurem haud consistere in centro mundi, aut circum Solem, ut planetam moveri? Num immobilitas terræ, nedum vulgaribus hominum notionibus, sed & sacræ Scripturæ locutionibus admodum non consentit? Plausibiliores igitur dicendæ erunt, quæ ex hac hypothesi congruentiæ sumuntur, quam quæ ab Authore nostro derivantur a systemate juxta Astronomiæ, ac Physicæ leges ut minus incerto, & cum Scripturarum textibus in obvio, ac nativo sensu, ut par est, explicatis, omnino pugnante. Verum dimittamus omnes, tum quæ profert ipse, tum quæ nos, hasce conjecturas, quæ nullius reapse ponderis sunt pro dirimenda quæstione nostra: neque enim veritates, quas nonnisi ex divina revelatione cognoscimus, generis hujusce rationibus definienda sunt.



CA-

CAPUT XIV.

Examen solutionum, quas Swindenius adhibet ad objecta sibi argumenta: Quod a Scripturarum silentio petitur, suo in lumine collocatur, eoque falsitatis revinci systema suum ostenditur. Alteri, quod a prærogativis sumitur in sacris libris Soli tributis, sua vis roburque asseritur, disjectis quas contra commentus ille est, offuciis. Solutiones ad alia quædam argumenta cursim dissipata.

ADductis jam momentis, quæ Swindenio, ut ipsemet loquitur, *validiora* visa sunt, & ad systema suum comprobandum aptiora, ad objectiones diluendas progreditur, quæ turmatim adversus illud congerendas esse minime dubitat, *quum de re*, inquit, *præsertim agatur, quam permagni unumquemque novisse interest, seculoque vivamus acrium ac subtilium ingeniorum, si quod aliud, feracissimo*. Tria integra Capita Operis sui in iis afferendis, &, ut facile sibi persuasit, discutiendis insumit, octavum nempe, nonum, ac decimum. Verum quamquam nihil se prorsus omissurum magnifice spondeat, quod sententiam suam impetere videatur, quin & sibi plaudat de summa a se diligentia adhibita in colligendis difficultatibus omnibus, quas vel severissimus Aristarchus opponere queat; reipsa tamen fidem oppignoratam non liberat, nec, si unam fortasse, vel alteram excipias, non nisi leviores quasdam in medium profert, gravioribus, quæque systema suum funditus convellunt, omnino prætermissis: Et in iis quoque, quas protulit, ita se frustra contorquet, ita semetipsum implicat, ut tandem sub earum mole succumbat, prout inito examine aut jam ostendi, aut facillime ostensurum confido. Et quidem quæ Capite octavo animadvertit Swindenius, ut objectiones depellat, quæ vel ex novitate sententiæ suæ duci possunt, vel ex asserta impossibilitate tum ignis centralis, tum amplitudinis subterraneæ cavitatis ad damnatos continendos, vel denique ex conditione, ac natura globi Solaris haud satis perspecta, jam in superioribus discussa sunt, penitusque contrita. Quare ne actum agamus, ea dumtaxat hic expendenda suscipio, quæ disserit ille duobus, quæ sequuntur, Capitibus, ut ea solvat argumenta, quæ tum ex silentio Scripturæ, quoad sententiam ab ipso constitutam, tum ex beneficiis, quæ a Sole percipimus, repetuntur. Sed ut responsionum, quas Noster Author ad hæc adhibet argumenta, futilitas luculentius eniteat, lubet in antecessum eadem, qualiacumque sint, proprio in lumine collocare, iisque communire præsidiis, quæ Swindenius dissimulanter obtexit.

Itaque juxta ordinem, quem sibi præfixit Author, primum argumentum adversus Swindenianam hypothesim sumitur ex silentio Scripturæ de hoc ministerio, quod ab illo adscribitur Soli igne suo Dæmones, ac damnatos torquendi: cum cæteroquin alia plura munia disertissime enarret, ad quæ conditus, ac deputatus est a divina sapientia. Hoc argumentum, quamquam haud firmissimi roboris æstimari se solo valeat, nec ipsemet æstimem; eo tamen vim majorem adversus Swindenium acquirit, quod eodem veluti validissimo ariete utatur ipse, ut Inferni sedem a terræ visceribus extrudat. Sic enim loquitur pag. 55. *Si intra terræ centrum damnatorum carcer existeret, eaque ignis immensa quantitas puniendis impiis jam a conditione Mundi parata; profecto Sacra Scriptura, quæ partes omnes creatarum rerum exacte describit, hanc utique commemorare neutiquam prætermisisset, &c.* Cum igitur Scriptura, quæ sæpe de terra sermonem habet, nuspiam insinuet damnatorum carcerem, & ingentem fornacem ignis puniendis reprobis præparatam intra terræ viscera contentam, colligere hinc debemus illic non esse admittendam. Hoc est Swindenii argumentum, quod pluribus urget. Quam falso assumat ille nuspiam Scripturam mentionem fecisse de subterraneo Inferni loco, alibi,

alibi, ut sæpe innui, affatim ostendam, in secunda scilicet hujus Dissertationis parte. Interim viam, quam ipse nobis aperuit, persequamur, & eodem argumento suæ opinionis falsitatem revincamus.

Si globus Solaris locus ille foret plectendis impiis præstitutus, ibique contineretur immensa illa fornax æterni ignis, in quam Dæmones, reprobique in extremo judicio amandandi sunt: sacræ litteræ, quæ tam frequenter de Sole loquuntur, omniaque recensent officia, sive ministeria, ob quæ a supremo rerum Conditore creatus est; hoc adeo singulare, & commemoratione dignissimum oppido non prætermisisset, quod Damnatorum sedes constitutus fuerit, in eoque tamquam magnifico divinæ ultionis theatro pœnæ de impiis æternum exigendæ sint. Porro sacra Scriptura plura quidem alia commemorat Solis ministeria; at nullam omnino mentionem facit de ministerio hoc peculiari, quod ipsi nunc adscribitur ab Swindenio, nec de eodem in omnibus tum veteris, tum novi fœderis libris vel levissimum reperire vestigium est; cum aliunde de futura impiorum punitione sæpe loquatur. Percurramus obiter, quæ in Scripturis notata legimus de Solis officiis. In ipso primo Capite Geneseos, ubi agitur de hujus, aliorumque luminarium creatione, ministeria propter quæ condita fuere, nitide exponuntur. *Fiant*, inquit rerum Sator, *luminaria in firmamento cæli, & dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram .... fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas*. (a). Hisce verbis fines, sive officia, ad quæ luminaria cæli, quorum caput, & princeps Sol est, condita fuerunt, enucleate Scriptura divina describit, scilicet dies, noctesque dividere, signare tempora, dies, & annos, lucere in firmamento cæli, & illuminare terram. Et hæc sola munia, aut quæ in iis continentur, vel affinia sunt, cæteræ quæque paginæ sacræ nobis perpetim exhibent. Sic in Psal. 135. de Deo Creatore dicitur: *Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, lunam, & stellas in potestatem noctis*. Sic Jerem. Cap. 31., *qui dat Solem in lumine diei*: Et apud ejus Amanuensem Baruch cap. 6.: *Sol quidem, & luna, ac sydera, cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt*. Sic Eccli. cap. 43., ubi cælestium corporum officia late describuntur, de Sole legimus: *Species cæli in visione gloriæ: Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelsi: in meridiano exurit terram ..... tripliciter Sol exurens montes, & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter*. Ob hæc autem spectatur a Sacris Authoribus canonicis velut pars præcipua Cælorum, qui juxta Psalmistam: *Enarrant gloriam Dei, & annunciant opera manuum ejus*: ac tamquam fons benedictionis omnibus hominibus ab illo expositus, *qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos*. Cum itaque hæc, & id genus alia Solis ministeria Scri-

(a) Textum hunc ita apposite exponit S. Thomas Aquinas p. p. q. 70. art. 2. „ Ministerium Solis, ac lunæ explicat per tria. Primo enim provenit utilitas hominibus ex luminaribus quantum ad visum, qui est directivus in operibus, & maxime utilis ad cognoscendas res: & quantum ad hoc dicit: *Ut luceant in firmamento, & illuminent terram*. 2. quantum ad vicissitudines temporum, quibus & fastidium tollitur, & valetudo conservatur, & necessaria victui oriuntur, quæ non essent, si semper esset aut æstas, aut hyems: & quantum ad hoc dicit, ut sint in tempora, dies, & annos. 3. quantum ad opportunitatem negotiorum & operum, in quantum ex luminaribus cæli accipitur significatio pluviosi temporis, vel sereni, quæ sunt apta diversis negotiis: & quantum ad hoc dicit: *Ut sint in signa* „.

Scriptura continenter declaret, nec indicium ullum ullibi præferat de alio peculiari munere eidem a Swindenio tributo; nonne ex ipsomet suo argumento convincitur meram esse fabulam damnatorum carcerem, quem in eo confingit, commentumque vanissimum?

Nunc quid huic argumento Swindenius reponat, audiamus. Concedit ipse quam libenter Scripturam hæc Solis ministeria recensere, quin & alias recitat ejusdem sententias, quæ eadem apertissime adstruunt, confirmantque. At vero, neque desunt, inquit, in Scripturis testimonia, quibus in aliquorum supplicium, ac punitionem Solem destinatum esse edocemur. Quænam porro sunt hæc testimonia? *In Jonæ*, subdit, *prophetia legimus, quod cum hedera, quam extenderat Deus super caput Jonæ, ut sub ejus umbra protegeretur, exaruisset, Solaribus radiis Propheta percussus vehementer æstuabat. Atque eadem de causa pollicetur Deus rectis corde nullam ex diurno Sole passuros ardoris molestiam psalmo* 120., *& Isaiæ cap.* 49.

Egregie, præclare, laute, nihil supra (*a*).

Quia nimio Solis calore interdum æstuamus; idcirco Sol nedum ad hominum utilitatem, & commodum, sed etiam ad supplicium, & punitionem a Deo conditus est. Mira plane consequentia. At enim vero si sacræ litteræ, hujusmodi, ut vocas, *punitiones* memorant a Deo per Solem incussas; cur eædem ne verbum quidem habent de terribili illa, ac sempiterna impiorum punitione in futura vita per Solem, & in Sole, ut autumas, inferenda? En robustissima disparitatis ratio. *Moses*, inquit, *non aliud sibi proposuit in scriptis suis, nisi instruere populum Israeliticum, qui cum tardi esset, & hebetis ingenii, non alio cogitationes suas dirigebat, quam ad promissiones, ac minas temporarias, vixque ulla rerum luce afflabatur, quæ ad futuram vel beatitudinem, vel damnationem pertinent. Quare rudiori populo morem gerens sacer Scriptor, quæcumque in historia sua digessit, ad ipsius intellectum, & indolem temperavit, ut ab eo facilius perciperentur: unde & lunam* luminare magnum *appellavit, quod ita vulgo credatur*. Quid ergo mirum accidat, quod *usus alios, ac ministeria, ob quæ productus Sol est, silentio penitus obvolverit* (*b*)? *Aut cur fas erit ex eo silentio colligere falsitatem hypothesis Inferni sedem in Sole statuentis?* Belle admodum omnia. Verum, ut ut largiamur Swindenio Mosem rudi populo attemperasse orationem suam, nec nisi de rebus temporariis, quæ sub ejus aspectum cadebant, expresse locutum; spiritualibus, & quæ ad vitam futuram attinent, sub earum typis ac similitudine dumtaxat adumbratis; non idem certe ferendum judicium est de reliquis omnibus sacris Scriptoribus tum veteris, tum novi præsertim testamenti, qui explicatius, ac frequenter de futura malorum ultione, deque Inferno, in quem detrudendi sunt impii, verba fecere. Nunquid in iis saltem indicium aliquod; aut vestigium apparet hypothesis Swindenianæ? An non potius ea, quæ differunt de Inferorum loco, eidem adversa plane deprehenduntur, ut statim ostendam? Cur ergo absque ullo Scripturarum fundamento nova adeo, & a sensu omnium aliena opinatio erigitur, & sustinetur? Cur, tacente revelatione divina, Soli ministerium tribuitur, quod nisi ab illa rescire liceat?

Alterum, quod sibi Swindenius objecit, argumentum ex iis prærogativis sumitur, queis Solem insignitum legimus in sacris libris, quod nempe Deus, & Christus Jesus *Soli* comparentur, & hoc

(*a*) Terent. in Eunuc.

(*b*) Hoc in loco satis aperte assentitur Swindenius nihil esse momenti in eo testimonio, quod profert ex Cap. 16. Apocalyp., quod jam superius expendimus, nec nisi per inscitiam summam systemati suo aptari demonstravimus.

nomine appellentur, ut psalm 18. *In Sole posuit tabernaculum suum*; & Malac. cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen Domini Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*: quibus addere possumus illud Eccles. cap. 42.: *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus ejus*; & Apocal. cap. 1., ubi de Jesu Servatore nostro dicitur: *Et facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua*: quemadmodum & alia testimonia, quibus Justorum laudes magnificentius exprimuntur, dum Soli comparantur, ut Eccles. 17. *Omnia opera illorum velut Sol in conspectu Dei*: & Cap. 27.: *Homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol*: item Cap. 50. de summo Sacerdote Onia habetur, *quasi Sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei*. Sic etiam in Canticis de anima justa dicitur, *Pulcra ut Luna, electa ut Sol*: & Matth. 13.: *Justi* post diem judicii, *fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. *Si ergo*, ita hoc argumentum concludit Theologus Anglus, *Altissimus Deus gloriæ suæ Zelator ardentissimus, qui nulli rei se comparari sinit, ipse tamen se comparat Soli, suosque electos hac similitudine veluti excellenti prærogativa condecorat, qui fieri potest, ut Sol ipse Infernus sit teterrimus nempe sceleratorum carcer, Deique rebellium, & inimicorum suorum collectio? Quis sibi suadeat, Christum Dominum, qui per semetipsum justus est, ac totius justitiæ fons, & sanitatem omnibus defert in pennis suis, pati velle assimilari se perditionis abysso, & tormentorum, ac omnium abominationum loco, a quo ut nos eriperet, humanam nostram naturam suscepit, suumque sanguinem fudit*? Ita sermo Swindenius.

Nunc ergo accipe, quid huic argumento respondeat. Hæc objectio, ait, duplicem partem continet: & quoad priorem quidem, cum Deus Soli se comparat, non sub eo respectu Solem spectat, quo *Tartarus* est, sive Dæmonum, & reproborum sedes, sed sub altero, quo scilicet rebus omnibus creatis eminet, tamquam omnium creatura excellentissima, & splendidissima, & etiam fons luminis est, atque caloris, principium vitæ, sanitatis, & augmenti rerum omnium: ac ob hos dumtaxat characteres Deus comparatur Soli. Nec ministerium alterum, cui etiam Solem ipsum destinatum contendimus, ullum irrogat præjudicium gloriæ Dei se eidem Soli assimilantis: siquidem si spectetur etiam ut Inferni, ac tormentorum locus, creatura quædam bona dicenda est, ac theatrum, & instrumentum divinæ justitiæ, ac potentiæ, atque adeo gloriæ Dei manifestandæ deserviens. Quoad alteram objectionis partem, pergit Swindenius, respondeo, „ Christum Jesum se justitiæ Solem appellasse nobili quadam, & peridonea „ allusione ad hoc astrum splendidissimum, qui & diem, & alia in ordine naturæ producit; his plane similia, quæ ab ipso præstantur in ordine gratiæ. Nam sicut a Sole recipimus quidquid spectat temporalia „ commoda, & oblectamenta hujus „ mundi; ita bona omnia gratiæ per „ Christum consequimur, qui teste Apostolo 1. ad Corin. Cap. 1. *factus est* „ *nobis Sapientia a Deo, & justitia, &* „ *sanctificatio, & redemptio* (a). Atque

(a) Hic Swindenio visum est commodam nactum esse occasionem lacessendi Romanam Ecclesiam: sic enim interserit omnino præter rem: *Si Alexandre le Grand a dit très à propos, que la nature ne pourroit pas souffrir deux soleils, la grace ne peut aussi admettre deux Competiteurs, & je dirai ici en passant, que ceux de la Commuion Romaine, font très-mal, d'admettre deux soleils, dans le firmament de l'Eglise, c'est à dire deux noms, par les quels nous devons etre sauvez, savoir Jesus, & Marie: car le sein chaste, & pur de la sainte Vierge, fut bien pour un tems le Temple dans le quel demeura le Soleil de Justice, mais elle n'est pas pour cela le Soleil de Justice*. Pulcherrima animadversio! Ita ne Communio Romana duos Soles admittit in firmamento Ecclesiæ æque lucentes, sive duo nomina, per quæ sempiternam obtinemus salu-

„ que idem, proportione servata, dicendum videtur dum eadem similitudo Solis transfertur ad Sanctos. Cæterum (subjicit noster Author, ut hæc penitus elidatur objectio), „ nullum majus absurdum est, aut concipi „ valet Christum Dominum comparare „ Soli, quod hujusmodi sydus cruciandis reprobis deputatum sit, quam eundem vocare *Salvatorem*, & *Judicem*. „ Etenim ut *Salvator* ad omnes homines salvandos advenit: ut vero *Judex*, terribilem sententiam illam in „ extremo die pronunciabit: *Discedite* „ *a me maledicti in ignem æternum,* „ *qui paratus est Diabolo, & Angelis* „ *ejus* „.

Hæc ex Swindenio rescribere placuit, non ut ea refellam; neque enim enim pretium operæ est, eadem diligenter excutere, sed ut videas, & quæ sibi opponit argumenta, & vim solutionum, quibus eisdem frustra occurrere nititur. Unum dumtaxat ex Scripturæ textibus jam relatis, qui postremo loco propositus est, absque brevi aliqua animadversione omnino præterire nolim. *Tunc*, refert S. Evangelista, *justi fulgebunt, sicut Sol, in regno Dei*. Hæc verba, ut citatum S. Matthæi caput legenti constat, dicta sunt a Christo Domino, dum Apostolis exponebat *Parabolam zizaniorum agri*, quam turbis paullo ante proposuerat: *Sicut*, inquit, *colliguntur zizania, & igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium*: statimque ait: *Tunc justi fulgebunt, sicut Sol, in regno Patris eorum*. Operarii igitur iniquitatis, sive reprobi, *in caminum ignis*, sive fornacem tartaream mittendi denunciantur, eo ipso tempore, quo justi in regnum Patris, sive cælum adsumentur, in quo perpetua claritate, *sicut Sol*, effulgebunt. Hæc plane antithesis mirifice congruit, atque cohæret cum hypothesi Swindeniana, ita scilicet: *Iniqui homines in caminum ignis, aut Inferni fornacem*, sive *Solem*, juxta Swindenium, *dejicientur, una vero justi fulgebunt sicut Sol ipse, sive sicut Infernus, aut caminus ignis, in quem injusti, ac reprobi detrusi erunt*. Vin' hypothesim venustiorem?

Quæ fuse persequitur Swindenius eodem *Cap. 9.*, adeo frigida sunt, & inepta, ut nec illa proponere, nedum ad trutinam revocare, consultius sit. Sibi nempe objiciendum fingit Diabolum circum cursare terram juxta S. Jobum, & juxta S. Petrum, veluti *rugientem Leonem* undique *circuire*, ut homines quærat, *quos devoret*, atque adeo cum Sol longissime distet a terra, æstimandus ipse non est ergastulum illud, in quo Dæmones detinentur inclusi. Tum vero controversiam aliam in suam lucubrationem intexit, num videlicet pœnam, ad quam Dæmones destinati jam sunt, nunc etiam patiantur, sive an ignis tartareus, *qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, vim modo suam, & actionem in eos exerat, qui vel in aere, vel circa terram vagantur. Quam quæstionem sedulo ipse pertractat, ac deinde quædam interserit de luce Solis, & Inferni tenebris, quæ commodius sequenti Capite perpendemus.

Haud meliorem succum exprimas ex iis, quæ Swindenius disserit toto *Cap. 10.*, in quo Dissertationi suæ *de situ Inferni* extremam manum imponit. Hic sibi

lutem, *Solisque justitiæ* prærogativam Christo æque ac Virgini Matri attribuit? Vah putidum commentum! Beatissimam quidem Virginem agnoscimus veluti *Justitiæ speculum*, in quod divini filii sui, veri, & unici *Justitiæ Solis* radii fulgentissimi speciali quodam modo reflectuntur, & tamquam singularem apud ipsum mediatricem. Cæterum nonnisi Christum profitemur humanæ redemptionis, ac salutis Authorem, *nec aliud nomen novimus sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*.

ſibi demonſtrandum ſumit immenſa beneficia luminis, caloris, vitæ, ſanitatis, fœcunditatis, lætitiæ, aliorumque, quæ indeſinenter a Sole percipimus, Syſtemati ſuo minime repugnare, idque exemplo elementorum omnium evincere conatur, ex quibus utilitates, & commoda plura nobis proveniunt; ſimulque plurima nocumenta, quæ nos angunt, atque perturbant. Quare, ſubdit, nemini mirum accidere debet Deum eo fine condidiſſe ſolare corpus, ut in hac quidem vita multa in nos beneficia derivet, ſimulque in futura vita inſtrumentum eſſet juſtitiæ ſuæ. Cui argumento, quod nullius ponderis exiſtimem adverſus Swindenianam hypotheſim, nihil reponendum cenſeo, & Authoris animadverſiones, cæteroqui leviſſimas, intactas relinquo.



CA.

CAPUT XV.

Argumenta, quæ Swindenii systema concutiunt, & labefactant, ab eodem prætermissa, levi manu attinguntur. Nullum ex nominibus, quæ sive in veteri, sive in novo fœdere tribuuntur Inferno, de Sole intelligi, aut eidem applicari potest. Idem quoque de proprietatibus, sive affectionibus Inferni a Scriptura memoratis asserendum. Ineptæ Swindenii solutiones argumenti desumpti ex tenebris Inferni, & luce corporis solaris. Aliæ tum Inferni tum Solis notiones cohærere invicem nequeunt.

SI Swindenium audimus, quæcumque poterant adversus systema suum *de sede Inferni* difficultates opponi, plane omnes in medium ab eo productæ sunt, penitusque contritæ, adeo ut nec minimam quidem se prætermisisse glorietur. At magnificis ille verbis Lectores imperitos deludit. Non alias quippe, nisi leviores quasdam sibi objecit, &, si cum iis conferantur, quæ silentio pressit, imbecillas, aut certe non magni momenti. Graviora sane argumenta suam hypothesim male confutam subruunt, profternuntque, ex iisque fontibus eruta, unde solidæ in re, qua de agimus, probationes ducuntur, quæ Christianum hominem movere possint, ac debeant. Has ego lato calamo edisseram sequenti libro, ubi Scripturarum, & traditionis authoritate luculentissime ostendam, non alio in loco quærendam esse Inferni sedem, quam in hac nostra tellure, nec alibi figendam, quam intra ejus viscera, atque voragines. Interim vim quorumdam veluti experiri lubet, iisque indicatis potius, quam pro dignitate expositis, palam facere quæcumque sacræ litteræ enucleant, sive nomina, sive proprietates, solari globo aptari nullatenus posse, aut de hoc pulcherrimo corpore explicari, atque adeo repudiandum omnino esse Swindenianum commentum tamquam Dei verbo repugnans. Raptim itaque attingamus tum nomina, queis sacra Scriptura Infernum appellat, tum proprietates, sive affectiones, aut characteres, quibus illum designat, & circumscribit.

Et quoad nomina quidem attinet, Infernus sive damnatorum locus vocatur *abyssus*, ut Luc. *cap.* 8. ubi perhibetur Christus rogatus a Dæmonibus, *ne imperaret illis, ut in abyssum irent*; & Apocalip. cap. 9. Joannes testatur: *Vidi stellam cecidisse in terram; & data est ei clavis putei abyssi: & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fornacis magnæ*: quod & repetit *cap.* 17. & *cap.* 20. *Abyssi* autem notio juxta sacras litteras non alia est, nisi subterraneæ cujusdam voraginis, ut patet ex *Cap.* 1. Geneseos, ubi dicitur, *rupti sunt fontes abyssi magnæ*: & rursus: *Clausi sunt fontes abyssi*, & omnibus aliis locis, in quibus vox hæc usurpatur, ex quibus ne unum quidem Swindenius inveniet, quem Soli utcumque accommodare queat.

2. Vocatur *lacus*, & *lacus inferior*; ut Psal. 29. *Domine eduxisti ab Inferno animam meam: Salvasti me a descendentibus in lacum*. Et Psal. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.* Isaiæ quoque cap. 14. *Tu autem projectus es cum his, qui descenderunt ad fundamenta laci*. Item Apocalip. cap. 14. *Misit in lacum iræ Dei magnum*. Lacus equidem proprie dicitur de locis profundis, in quibus sunt aquæ resides, ac per metaphoram sæpe hoc nomine quemcumque locum inferiorem Scriptura significare solet: nunquam vero vel figurate, aut tropice, de Sole intelligitur, aut de alio sublimi corpore, sicut juxta eamdem Scripturam omne illud corpus accipitur, quod terræ supereminet, aut altius assurgit a terra.

3. Infernus dicitur *terra ultima, terra infima, terra novissima, & inferiora terræ*. Ezechiel. cap. 26. *Cum detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocavero te in terra novissima*. Et cap. 31. *Omnes* tra-

traditi sunt in mortem ad terram ultimam in medio filiorum hominum, ad eos, qui descendunt in lacum..... a sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum ducerem eum ad Infernum cum his qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima &c. Psal. quoque 62. *Introibunt* (impii) *in inferiora terræ: tradentur in manus gladii: partes vulpium erunt*. An hæc Soli congruere valeant, edisserat nobis Swindenius.

4. In veteri Testamento Infernus vocabulo שאול frequenter exprimitur. Psal. 9. *Convertantur peccatores in sceol, infernum: omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum:* Psal. 85. *Eruisti animam meam ex sceol, inferno inferiori*. Proverb. 9. *Ignoravit, quod ibi sint Gigantes, & in profundis sceol, inferni convivæ ejus*, amatores nempe meretricum. Et cap. 18. *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de* (sceol) *inferno novissimo*, aliaque in loco proferenda. Vocabulum autem *Sceol*, sive Infernum monstro simile plane est explicare de *Sole*, quum nonnisi terræ voraginem aut cavitatem denotare exploratissimum sit ex innumeris propemodum Scripturæ locis, quos hic referre non vacat.

5. In novo Testamento damnatorum carcer *Tartarus* nuncupatur a S. Petro in Epist. 2. cap. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*, &c. Hæc autem vox quid aliud significat juxta notionem, quam ipsi tribuerunt veteres omnes sive Poetæ, sive alii scriptores, nisi *profundissimum terræ locum*, in quo impii plectuntur? Hinc Homerus tantum distare censuit a superficie hujus terreni globi, quantum ab hac distat ipsum cælum: quod & Virgilius cecinit Æneid. 6.

Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum.

Equidem non defuit unus, aut alter, qui *Tartari* nomen a S. Petro usurpatum ad caliginosum hunc aerem referri posse crediderit: sed nemo hactenus, præter unum Swindenium, ita desipuit, ut etiam hoc *Tartari* nomine intelligi posse, ac debere *Solem* docuerit.

6. Frequentius tum in Evangeliis, & canonicis litteris novi Testamenti, tum in iis libris antiqui fœderis, quos græco idiomate tantum habemus, adhibetur vox ἅδης Adis. Præ aliis locis clarissimus est, qui legitur apud S. Lucam cap. 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno*: sive juxta textum Græcum: *Mortuus est dives, & sepultus est: & in Inferno* ἐν τῷ ᾅδῃ *levans oculos* &c. Ipsum vero Evangelistam, non de sepulcro, sed de Gehenna locutum constat ex iis, quæ sequuntur, ac præsertim ex eo, quod ipse deinde vocetur *locus tormentorum*. Porro vox ἅδης locum quemdam designat *obscurum, & invisibilem*, tum apud sacros, tum apud profanos quosque Scriptores, intra terræ viscera positum, ut inter alios probat Ugo Grotius authoritate Diphili, Sophoclis, Diodori Siculi, Platonis, Plutarchi, Josephi Hebræi, aliorumque. Quare delirium Swindenii est hac voce *Solem* indicatum imaginari, aut quod *obscurum*, & *invisibile* est, ad fontem lucis, & claritatis detorquere: quod nemini adhuc ne quidem in mentem venit.

7. Ipsum quoque verbum *descendere*, quo sacræ litteræ utuntur, dum aliquem ad Inferos abeuntem, aut abiturum describunt, ut ex locis pluribus manifestum est, Swindenianæ opinationi recta opponitur, quidquid ipse, & alii sentiant de situ Solis in universo juxta Copernicanum systema. Siquidem juxta perpetuam Scripturæ phrasim in cælum, ubi Solem ipsa collocat, non descenditur, sed ascenditur, nimiumque nugatorium est, aut potius temeritatis plenum effutire Scriptores sacros ad eam hypothesim respexisse, dum in Infernum *descendi* dixerunt.

Hæc de hisce vocibus, aut nominibus, quæ ad damnatorum carcerem significandum usurpant Scripturæ, in præsentiarum attigisse sufficiat, quæ deinceps latius exponentur, eorumque genuinus sensus a quorumdam technis, & offuciis asseretur, ex quo constabit evidentius quam longe Swindenius a Scriptu-

pru-

pturarum authoritate recesseris in suo condendo systemate. Interim aliquas etiam proprietates, sive characteres ab iisdem Scripturis Inferno tributos evolvamus, eosque conferamus cum novo, qui obtruditur ab Swindenio Inferni loco.

Prima, eademque præcipua conditio, sive character Inferni, quem nobis proponit Divina Scriptura, est *loci cujusdam tenebrosi*, *& obscuri*, densissima scilicet tenebrarum caligine circumsepti, & horrentis. Sic sanctus Jobus eam regionem vocat *terram tenebrosam*, *& opertam mortis caligine*, *terram miseriæ*, *& tenebrarum*, sive juxta proprietatem hebraicæ vocis עלמות in qua tenebræ, tamquam in nativo solo succrescunt. Et *cap. 38.* ejusdem ingressum nominat *portas mortis*, *& ostia tenebrosa*. Ecclesiast. cap. 21. dicitur: *Via impiorum complanata*, &c. *& in fine illorum inferi*, *& tenebræ*, *& pœnæ*. Matth. cap. 8. reprobos *in tenebras exteriores* projiciendos Christus Dominus comminatur: quod etiam repetitur *cap. 23. & cap. 25.* Secunda Petri *Cap. 2.* de improbis hominibus habetur; *quibus caligo tenebrarum reservatur*: & Judæ com. 13. *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum*. Huc spectarunt Sacri Vates, Isaias *cap. 14.* & Ezechiel *cap. 28. & 31.* Exhibentes Reges Tyri, Babylonis, & Ægypti jam vita functos in tenebris densissimis, & carceribus sempiterna nocte squallentibus. Idemque significat testimonium illud jam relatum de malis Angelis, quos *rudentibus Inferni detractos Deus in Tartarum tradidit cruciandos*. Nam pro *rudentibus Inferni* Græca lectio habet *catenas tenebrarum*, quibus ea *vincula* designantur, queis premuntur ii, qui in tenebroso Inferni carcere detinentur. Idem quoque denotat præfata vox Ἀδης, qua sæpius in novo fœdere appellatur Infernus. Ἀδης enim, sive potius ἀιδης græce, perinde est, ac latine *locus tenebrosus*, sive *locus absque luce*. Hinc Theophanes vim hujus vocis exponens *homil. 8.* scribit: *ᾅδης dicitur animæ domicilium a visibili ad tenebricosum*, *& invisibile migrantis*: *Nihil enim aliud hoc nomine tum apud extraneos scriptores*, *tum in sacris litteris significatur*. Quod & ipse S. Gregorius Nyssenus diserte testatur in *lib. de anim. & resurect.* inquiens: *ᾅδης nomine apud sacros*, *& profanos scriptores nihil aliud significatur*, *quam receptaculum*, *quod & obscurum est*, *& a conspectu hominum remotum*.

Ecquis adeo insaniat, ut hanc Inferni notionem Solari globo aptari posse crediderit? Num obscurum, omnique lumine cassum dicemus totius luminis, & claritatis fontem? Num corpus perpetuis crassisque tenebris obsitum existimabimus, quod tenebras pellit, & mundum universum illustrat? Num ab hominum conspectu semotum, quod continuo obtutibus omnium obversatur? An non sacræ litteræ, cum de Sole loquuntur, nobis illum continenter repræsentant, ut splendidissimum inter omnia lucentia corpora, qui noctem fugat, & luce radiorum suorum cætera quæque conspergit, & ornat? *Quid lucidius Sole?* exclamat Ecclesiasticus *cap. 17. & Cap. 42.* *Sol illuminans per omnia respexit*, *& gloria Domini plenum opus ejus*. Hinc Scriptura, ut splendorem, & claritatem alicujus extollat, non ab alio corpore, quam a Sole, similitudinem arcessit: ut cum de fulgentissimo Christi vultu in gloriosa sua transfiguratione ait *faciem ejus resplenduisse*, *sicut Sol*, & de Sanctis post resurrectionem, *sicut Sol effulsuros* &c. Ecquis, inquam, hæc conciliet cum systemate Swindeniano, & in corpore lucidissimo regionem tenebrarum constituat?

Neque tamen id se præstare commode posse Swindenius desperat: fateri quippe opus est argumentum istud haud penitus ab ipso prætermissum esse. Verum adeo jejune illud attigit, adeo infeliciter discussit, ut satius fuisset illi, & hoc pariter, sicut & cætera alia, silentio præterire. Quid respondeat, accipe ex ejusdem verbis. „ Objectio ista, „ hæc, ait, momenti exigui est in mea „ sententia, nec unam, sed plures solu- „ tiones admittit. Si *tenebrarum* nomi- „ ne sumamus obscuritatem spatii, quod „ locus, & carcer damnatorum est, in- „ tellectu non est difficile, qui cum

hy-

„ hypothesi mea cohæreat. Si namque „ Solare corpus ea figura constet, quam „ hic Lectorum oculis exhibuimus, & „ ope magni telescopii detecta est a „ Kircherio, & Scheinero Romæ anno „ 1635. quamque probarunt peritissimi „ alii Astronomi; jam in vasto illo cor„ pore magna in copia cernuntur ne„ dum eruptiones, & scaturigines ignis, „ atque luminis, sed etiam maculæ „ plures deprehenduntur obscuræ, ac „ tenebrosæ, antris, & cavernis haud „ plane dissimiles, quæ sedes tenebra„ rum, & obscuritatis præsumendæ „ sunt „. Hæc est prima Swindenii responsio.

An hujusmodi imaginationem refellam, an potius irrideam, anceps hæreo. Quid? Sacræ litteræ, præter communem sensum, Solem, tamquam corpus lucidissimum ob oculos ponunt, e contra vero Infernum ut regionem obscurissimam, densisque tenebris septam; & nihilominus juxta easdem sacras litteras, locus idem erit Sol, & Infernus, fons luminis, & tenebrarum abyssus? Quid hic solares maculas comminisceris? Sint illæ, per me licet, in Sole, juxta descriptionem a Kircherio, Scheinero, & ab aliis propositam *(a)*, quid hinc extundis, ut hypothesim a te excogitatam defendas, ac in tuto colloces? An forte maculas illas tot antra, aut cavernas profundissimas statuis, in quibus reprobi detrusi sint, ac puniantur? Si ita se res habet, jam tot Inferna multiplices oportet, quot in Sole maculæ discernuntur, atque adeo longe invicem discreta erunt damnatorum domicilia. Quod si unam tantum ex iis pro Inferno seligas, vide quæso, ne in electione fallaris: cum enim quædam earum minorem non æquent terræ partem, aliæ inter majores telluris magnitudinem non excedant, periculum est, ne hæc, aut illa sufficiat reprobis omnibus continendis; si tota hæc tellus, te judice, minime sufficit. Sed etsi aliquam multitudini damnatorum continendæ feliciter invenias, ea tibi præterea ita densanda, ac solidanda erit, ut perenniter in eo statu permaneat, nec unquam resorbeatur a Sole, aut subtilioris materiæ continuo motu, & attritu dissoluta intereat; alioquin tuus Infernus in frusta tandem dissiliet, & evanescet, novamque formam, eamque lucidissimam crassiores partes illum componentes recipient *(b)*. Postremo opus est, quod etiam ejusdem naturam in aliam conver-

(*a*) Vereor profecto, ne satis firmæ sint observationes Astronomosum quos inter etiam non modica de hisce maculis dissensio est. Siquidem alii nihil eas maculas esse contendunt præter quædam sydera, quæ circa Solem, veluti minutiores planetæ a Galileo deprehensi circa Jovem, obambulant. Nonnulli has maculas arbitrantur esse nubes quasdam, aut crassos vapores a calore Solis evectos: quemadmodum si quis e lunari cælo terram spectaret, nubibus, ac vaporibus tamquam maculis quibusdam infectam conspiceret. Places aliis Solem instar ignis, aut flammæ pabulo egere, maculas vero instar fuliginum concipiunt. Sunt, qui negant totum Solem esse lucidum, sed partes aliquas illius esse obscuriores. Alii fingunt sibi Solem ceu quoddam ferrum candens aquæ immersum, vapores densissimos ex circumfuso æthere exhalantem. Forsitan illæ maculæ sunt in media aut suprema regione aeris a Solari corpore longissime dissitæ. Fors etiam Telescopii vitra defectu aliquo laborant, aut nobis imponunt. En quot de his maculis inter se discrepantes sententiæ, quarum nullam alteri sapienter præferas.

(*b*) Juxta peritiores Astsonomos magnitudo, & figura nigricantium harum macularum, quæ visuntur in disco Solari, varia est, nec sibi constans, adeo nimirum, ut quemadmodum animadvertit Ricciolius *lib. 3. Almag. cap. 3.* nulla ferme postridie talis apparet, qualis pridie conspiciebatur. Harum aliquam juxta Galileum excedere credisum est Asiæ, & Africæ magnitudinem: aliquam etiam parem toti globo terraqueo. Earum quoque numerus varius, & incestus. Quandoque enim quinquaginta deprehensæ sunt: quandoque triginta tres: interdum una dumtaxat, interdum nulla. Quædam subito in medio Solis disco se produnt: quædam vero alibi ortæ paulo post evanescunt. Nonnullæ redeunt eædem post periodum dierum viginti septem, aut circiter: aliæ non item, sed post dies paucos dissipantur. Quoad illarum naturam, præter ea, quæ paullo ante dicta sunt, Wolfius, & alii contendunt valde quidem proximas esse solari corpori, non illi tamen inhærere: Keillius, Newtonus, aliique plurimi hærere autumant superficiei Solis, eique veluti innatare. Atque inde etiam opinionum diversitas in explicandis earum genesi, & interitu. Cæteris prætermissis juxta Cartesianos, quorum sententiam sequi

vertas; ut vero igne cruciari Dæmones cæterosque impios tueri valeas. Macularum quippe materia crassa nimium est, opaca, atque compacta, adeoque ad igneam substantiam concipiendam inepta, nisi forte velis damnatos in illarum superficie consistere, atque ab ardore circum ambiente dumtaxat incalescere: At mittamus vanissimum commentum, & alias Authoris nostri solutiones persequamur.

,, *Obscuritatis* nomine, inquit, quam
,, Inferno Scriptura tribuit, intelligi o-
,, ptime admodum potest cæcitas illa
,, mentis, qua captivi detinentur da-
,, mnati, & tamquam catenis quibus-
,, dam adstricti, adeo ut ad gloriosam
,, lucem cæli propius accedere nequeant.
,, Hanc etiam obscuritatem Dæmonibus,
,, & impiis veluti inhærentem cogitare
,, possumus, suorumque tormentorum
,, aliquam partem: qua cæcitate per-
,, cussi fuere habitatores Sodomæ, quæ
,, typus Inferni est, ac vivida imago.
,, Demum ejusmodi cæcitas ab actione
,, exteriore objecti induci valet, Solis
,, videlicet incurrentis in oculos, eos-
,, que caliginosa umbra offundentis, ad
,, eum plane modum, quo columna
,, nubis, de qua in Exodo, Ægyptiis
,, cæcitatem, Israelitis autem lætitiam,
,, ac lumen afferebat ,,. Sic ille.

An hisce quoque ineptiis serio quidpiam reponere debeamus, ignoro. Quis enim non perspicit futilissimas nugas esse, quæ Swindenius obtrudit, ut figmentum suum quadantenus incrustet? Cæcitatem quidem mentis in damnatis fatemur omnes, & tamquam pœnarum eorumdem partem agnoscimus. At divina oracula non de hac sola obscuritate mentis intelligi possunt, sed de illa pariter exerte loquuntur, qua carcer ipse damnatorum afficitur: neque aliam sane portendunt laudati textus, dum Infernum vocant *terram tenebrosam*, & sempiterna caligine coopertam, *tenebrosa ostia*, *tenebras exteriores*, in quas dejiciendi sunt impii, *regionem sempiterna nocte squallentem* &c. Atque idem satis abunde evincit solum nomen ᾅδης, quo Inferos appellant, quodque, ut jam diximus, receptaculum signat tenebricosum, obscurum, & ab hominum conspectu semotum. Quæ proinde tenebræ cum lucidissimo corpori Solis, quocumque tandem modo illum consideres, convenire minime possint, præsertim juxta ideam Inferni, quam sacræ litteræ continenter exhibent, alibi quærendum Infernum esse, nemo sanæ mentis non intelligit.

Præter hanc alia etiam Inferni notio proposita nobis est in divinis Scripturis, quam accommodare Soli nullo modo vales. Infernus scilicet nobis proponitur, ut locus præ cæteris omnibus vilissimus, & abjectissimus, ac tamquam sordidissima totius mundi sentina. Sic apud Ezechielem Reges Tyri, & Ægypti vita jam functi describuntur detrusi ad terram pollutam, tabe, & squallore teterrimam. Sic David peccati sui veniam consecutus se ereptum profitetur *de lacu miseriæ, & de luto fæcis*, quod sibi fuerat peccando promeritus. Hinc inter septem Inferni nomina, quæ ex Scriptura collecta sunt ab Hebræis, est etiam istud nempe טיט היון Tit hajavon, ut notant Raimundus Martinius, Galatinus, Bartolocius, & alii, quod lutulentum, & fæcibus plenum locum significat. Hoc ipsum quoque colligere est ex

K Ge-

sequi videtur Swindenius, ita genesis, & interitus macularum Solarium solet explicari, quod nimirum crassiores quædam tertii elementi particulæ a centro Solis ad superficiem propellantur, quæ tenacius aliæ aliis adhærescentes in molem opacam concrescunt, & in Solis superficie tamdiu permanent, donec vel resorbeantur ab ipso Sole, vel dissolvantur, & intereant. Dissolvuntur autem, & intereunt vel inæquali materiæ, in qua devehuntur, impulsu distractæ, vel materiæ subtilis a tergo, aut ad latera exundatione, qua dum partes illæ deorsum truduntur, maculæ transversim positæ inæqualiter impelluntur, vel motu vertiginoso concitatæ abeunt in frusta, quæ mutuo subinde attritu in minutissimas particulas redactæ materiæ subtilis formam induunt, nisi forte a moleculis crassioribus aliquæ summam soliditatem adeptæ in globulos mutentur. Ex quibus omnibus manifestissime apparet extremæ dementiæ esse ad eas maculas, quæ in Sole conspiciuntur, confugere, ut tenebræ explicentur, queis juxta sacras litteras Inferni carcer circumquaque obsidetur.

Gehennæ vocabulo, quod sæpe adhibetur in Evangeliorum libris. Ita namque appellatur, nedum quia in ea valle *Gen Innon*, unde *Gehennæ* nomenclatura sumpta est, perpetuus asservabatur ignis ad comburendas victimas, quæ Idolo Moloch immolabantur, sed etiam quod esset sordibus, putidisque cadaveribus oppleta, & purgamentorum Hierusalem infame receptaculum, ut observat S. Hieron. *in cap.* 10. *Matth.* & Isidorus *lib.* 1. *Origin. cap.* 9. cum aliis expositoribus.

Quam immaniter distat hæc Inferni notio ab illa, quam eadem divina oracula tradunt de corpore solari. Istud nimirum nobis exhibent ut corpus præclarum, gloriosum, speciosissimum, *vas admirabile*, *opus excelsi*, *gloria Domini plenum*, in quo nempe divina majestas, ac magnificentia maxime refulget. Hinc etiam ex ejus pulcritudine, & decore similitudinem sumunt, unde eximiam excellentiam declarent, sive Christi Servatoris nostri, sive Ecclesiæ sponsæ suæ, sive animæ justæ: quod nihil scilicet in hoc mundo aspectabili ad speciem præclarius, admirabilius, & pulcrius reperire sit, quo adumbrari utcumque valeant illorum præstantissimæ dotes, & prærogativæ.

Quæ cum ita sint, & Scripturarum oracula recta cum Swindeniano systemate pugnare ostenderimus, finem huic priori parti Dissertationis imponam, ea ipsa animadversione, qua Swindenius egregie urget, ac refellit cap. 4. Authores illos, qui non alium in futura vita ignem ad impiorum cruciatum admittunt, nisi improprium, ac metaphoricum. Adversus hos noster Author vehementer invehitur, eorumque audaciam minime ferendam exaggerat, quod parum revereantur Scripturas, earumque locutiones, quæ ignem Inferni sæpe, ac nitidissime memorant, ad tropicos, & absurdos significatus detorqueant, cum nihil præsertim sit, quod hujusmodi sensus improprios effingere cogat; quin immo nativa, & obvia verborum significatio a sententia communi explicata magis cohæreat, & cum aliis Scripturarum textibus, & cum authoritate Patrum, & Ecclesiæ, sive antiquæ, sive modernæ. Recte quidem, & optime. At enim vero nonne in caput ipsius recidit tota hæc sua animadversio, qui pravam Authorum, quos improbat, interpretandi rationem, *de sede Inferni* disserens plane secutus est, quin & longe prætergressus? Novam Theologus noster, & antea inauditam hypothesim excogitavit, eamque ut unice verisimilem proponit, atque defendit. At sacra Scriptura aliam nobis de Inferni situ penitusque sententiæ suæ repugnantem insinuat. Quid ipse vero, ut præconceptum systema quoquo modo tueatur? Sus deque vertit sacrorum textuum nativas, & in omnium oculos incurrentes significationes, & sensus omnino absonos, & contradicentes eisdem appingit. An non hæc quoque *audacia nequaquam ferenda* jure optimo dicenda erit, cum vel maxime nulla ipsum eo compulerit necessitas, & adversa, quam Swindenius impetere molitus est, sententia vulgaris, sit aliis Scripturæ textibus conformior, & perpetua nitatur tum Patrum omnium sæculorum, tum Ecclesiæ totius authoritate: prout suse palam me facturum confido in sequenti hujusce Dissertationis parte.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



DE SEDE INFERNI
IN TERRIS QUÆRENDA
ADVERSUS
D. SWINDENIUM
THEOLOGUM ANGLUM, ALIOSQUE HETERODOXOS
PARS SECUNDA,
In qua communis de sede Inferni subterranea Sententia propugnatur.

CAPUT PRIMUM.

Locum aliquem certum, ac definitum admittere oportet, ubi Impii in futura vita puniantur. Brentii figmentum exploditur. Plures recitantur de hujusmodi definito loco tum veterum tum recentiorum opinationes. Quinam ex hæreticis nostri temporis, præter Swindenium, sedem Inferni subterraneam inficiati sunt. Quædam ad vulgaris sententiæ probationem præmissa de animarum receptaculis, quæ communi Theologorum Catholicorum suffragio, intra telluris viscera afferuntur. Quid ex iis colligere necesse sit.



Uum satis abunde, ut arbitror, perspicuum sit ex iis, quæ hactenus disseruimus, quam futilis, ac nugatoria existimari debeat opinio ab Anglo Doctore nuper invecta *De sede Inferni in Sole collocanda*; illud eniti modo debemus, ut, quæ inter Christianos semper obtinuit, obtinetque Sententia, pluribus, quod jam sæpe polliciti sumus, illustretur, & adversus tum Swindenium, tum alios Novatores afferatur. Nonnulla equidem dicta sunt in examine Swindeniani commenti, quæ huc sponte sua referuntur, quæque non alibi, quam intra Telluris viscera, sedem Inferni quærendam esse satis ostendunt. At longe plura dicenda supersunt, ut argumentum pro dignitate tractemus: cum illis potius viam nobis aperuerimus, in qua latius excurreremus, de medio submotis impedimentis, quæ Swindenius injecit, dum hujusce pervulgatæ Sententiæ, vel repugnantiam ostendere aggressus est, vel impuram, ac fabulosam ejusdem originem excogitare, unde haustam fuisse confidenter obtrudit. Hæc itaque plura, eaque gravissima momenta, quibus innititur, proferenda suscipio, in hac secunda nostræ *Dissertationis* parte, atque ad onus hoc capessendum eo libentius adducor, quod ab aliis, quos viderim, ferme neglectum fuerit, atque hinc Theologus Anglus ansam arripuerit eam contemnendi, veluti nullo vel sacrarum litterarum, vel solidæ probationis præsidio munitam. Sed antequam id præstem, operæ pretium duco ali-

qua in hoc priore capite præmittere, variasque recensere tum veterum, tum recentiorum Scriptorum de hac re opinationes.

Jam in alio volumine *De futuro Impiorum statu*, quod paucis ab hinc annis in lucem edidi, manifestum feci, locum aliquem in futuro sæculo ab omnibus esse admittendum, in quo supremus hominum Judex, ac Vindex Deus scelera hominum condignis plectat suppliciis. Ut enim Magistratus, ac Reges ad subditos pro delictis puniendos carceres habent, atque patibula, eaque in locis fixis, ac determinatis; sic etiam Regum omnium Regem certum, communemque locum habere decuit pro Impiorum animadversione futura: quæ ratio præclare admodum a Guillelmo Parisiensi tractata est *p. 1. Univers. Cap.* 55. Oppositam huic sententiam commentos esse perhibent Brentium, aliosque, ut vocant, *Ubiquetarios*, qui Infernum ubique per universum orbem diffusum effutiunt, nec uno potius, aut altero, immo nec locis plurimis coarctatum. Verum hocce figmentum jam ab omnibus respuitur, & irridetur, tanquam penitus alienum a recto sensu, & constanti totius Ecclesiæ fide, quæ docet, semperque docuit, unum esse certum, definitumque locum ad punitionem reproborum, tum dæmonum, tum hominum deputatum. Profecto vel sola, sive historia sit, sive parabola, Lazari, ac Divitis, quæ legitur apud S. Lucam, aperte adeo hanc fidem astruit, ac firmat, ut ipse Beza adversus Brentium disputans asseruerit *eos in meridie cæcutire, qui ex illa non deducunt verum locum Inferorum ubi damnati torqueantur*. Dives namque, dum in Inferno horribili flammarum vi cruciaretur, *elevasse* dicitur *oculos* ut Abrahamum videret ex loco profundiore in altiorem respiciens. Abrahamus vero eumdem alloquens præter alia reposuit: *In his omnibus inter vos, & nos chaos magnum firmatum est, ut qui hinc volunt transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Ac deinde Dives idem miserrimus inducitur orans pro Fratribus, *ne & ipsi*, inquit, *veniant in hunc locum tormentorum*. Quæ omnia adeo perspicua sunt, ut exerto veluti digito locum commonstrent fixum, & peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Idem quoque luculenter designant nomina, quæ a sacris litteris damnatorum loco tribuuntur, de quibus postea. Idem etiam ea Testimonia comprobant, queis cælum Beatorum sedes, & Infernus damnatorum ergastulum, tamquam duo sibi mutuo opposita loca describuntur, ac demum locutiones omnes tum veteris, tum novi Testamenti, quæ veritatem adstruunt ignis veri, atque corporei puniendis impiis a justitia divina præparati, & in quem postremo omnes esse projiciendos Christus Dominus testatur. Quis enim dixerit hujusmodi ignem nullo certo in loco, determinatoque consistere, aut quis loca omnia, sive multa somniaverit, in quibus dispersus fuerit?

Ratum igitur, firmumque sit aliquod esse in hoc universo receptaculum Impiis plectendis a Deo constitutum. At quamquam Sapientes omnes, & barbaræ etiam nationes, quæ rectam de divina Providentia, ac Justitia ideam animo informarunt, de hac veritate minime dubitarint; non idem tamen sensere omnes cum de loco pœnarum statuendo cogitarunt, quin potius in varias nonnulli, easque absurdas opinationes distracti sunt. Plutarchus, qui cæteroqui de futuro Impiorum supplicio egregia multa conscripsit, inepte, ac pene dixerim, insipienter, tormentorum locum in recessu quodam posuit, & abdito Lunæ sinu. Censuit enim in Lunæ concavo, perinde ac in ista Tellure, quam incolimus, altissimas esse cavernas, vastissimasque voragines, quarum profundissimam iis destinabat, quibus scelerum suorum pœna luenda foret. Hocce figmentum suum indicaverat ipse in libro *de his, qui sero a Numine puniuntur*: sed apertius exposuit in alio, *De facie in orbe Lunæ*, ubi sic ait: *Sicut nostra terra sinus habet profundos, ac magnos .... Sic in Luna etiam caverna sunt, & profunda. Cavernarum ejus maxima penetralia Hecates vocant, ubi ani-*

Animæ eorum, quæ jam natæ egerunt; aut passæ sunt, rationem reddunt, ac pœnas dant, sumuntque, &c.

Aliorum non minus absona opinio fuit, Abulense teste, (*a*) damnatorum carcerem situm esse in cælo *Martis*, quod ardentissimo igne constet. Cum enim, ajebant hi doctrinæ Platonicæ studiosi, nihil existat in hac rerum universitate præter quatuor elementa, & corpora, quæ ex iisdem constantur, atque inter elementa nullum sit aptius igne ad inferendos humanis corporibus acerrimos cruciatus; pœnarum sedes in eo cælo locanda est, ubi viget ardentissimus ignis, atque adeo in cælo Martis, qui præ cæteris planetis maximo calore flagrat. Absurda quidem, & pro arbitrio conficta sententia, sed fortasse minus absurda, quam quæ jam a nobis refutata est sententia Swindenii, qui fat non habuit sedem Inferni constituere in aliquo planetarum, qui circum solem volvuntur, sed in ipsomet Sole figendam esse decrevit.

Ut quosdam ex Rabbinis prætercam, qui, referente Bartolocio *T.* 2. *pag.* 128. docuerunt in Cod. *Tamid* Cap. 4.; *Gehennam esse supra firmamentum*, vel, ut alii dicebant, *post montes tenebrarum*, quidam extitere, qui caliginosam hanc aeris regionem Infernum esse crediderunt, in quibus sunt, qui recenseant Gregorium Nyssenum, & Authorem Operis imperfecti *in Matth.*: Sed plane immerito, ut ex attenta lectione textuum, qui afferuntur, facile constat. Qui autem hanc tenuere sententiam, permoti videntur authoritate Apostol. ad Ephesios Cap. ultimo scribentis, *non esse nobis colluctationem adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, adversus spiritales nequitias in cælestibus*, idest in hoc aere sublunari, in quo proinde, veluti in caliginoso quodam carcere detinentur iis obnoxii cruciatibus, quos sibi peccando promeruere.

Ut aliorum de sede Inferni opinationes cursim attingam, nonnulli veterum Philosophorum, quos inter apud Natalem Com. *lib.* 3. *Mithol.* Crates, sibi persuadentes summam sceleftorum pœnam futuram esse frigus, & tenebras, arbitrati sunt *Tartarum* sub utroque cardine terræ esse, ubi rigidissima vis frigoris, & tenebrarum diuturnitas maxime vigent. Alii gehennam in Hemisphærio posuerunt huic nostro opposito, ut refert Dominicus Soto in 4. *Dist.* 45. *q.* 1.: qui etiam pro hac sententia laudat Isidorum dicentem, *in die judicii solem, & lunam in oriente, & occidente permansura, ne damnati illorum lumen videre possint*. Verum hæc sententia apud Isidorum non invenitur, nec Soto locum aliquem designat, unde illam eruerit, nec consonat cum Isidori doctrina. Alii demum apud Joannem Chrysostomum existimarunt Infernum esse in valle Josaphat, quam sententiam eidem Chrysostomo quidam affingere ausi sunt, cum ipse potius eam fabulis accenseat, (*b*) nec nisi ex Rabbinorum quorundam somniis desumpta videatur: quemadmodum & alia huic affinis a Judæis quibusdam, Angelico Doctore teste, probata, Gehennam scilicet pro Inferno acceptam esse prope Hierosolymam in Valle sitam, quæ גֵי הִנֹּם *Ghe Hinnom* גֵי בֶן הִנֹּם *Ghe ben Hinnom* in libro Josue appellatur, unde vulgare *Gehennæ* vocabulum derivatum est.

Atque hæ celebriores sunt Veterum quorundam de Inferni sede opinationes, quæ ita jam apud omnes obsolevere, ut neminem fortasse modo deprehendas, qui eas aut defendat, aut sequatur. Alia jam apud plerasque nationes semper invaluit, obtinetque nunc etiam tum apud Christianos, tum apud Judæos, & reliquas ferme sectas, ut mox ostendam, constans, & firma sententia, Damnatorum carcerem situm esse intra penitiores terræ partes, licet exploratum minime sit, an determinate in ejusdem centro, aut in aliqua supra centrum extensa voragine collocari debeat. Hanc, ut

(*a*) Parad. 5. Cap. 30. (*b*) in caput 30. Isaia.

ut in priori parte jam vidimus, tota animi contentione refutare aggressus est Doctor Swindenius, ac veluti, nedum falsam, verum etiam plane impossibilem traducere. Qua in re consentientes habet plures alios ex Novatorum cœtu, qui, ut alia multa, ita etiam commune hoc Theologorum Ecclesiæ Catholicæ decretum improbant, atque rejiciunt, prout ex ipsorum libris animadvertere licuit; tametsi eorum quidam moderatius de illo sentiant ac subobscure, dubitanterque loquantur.

Calvinus nullum locum subterraneum pro impiis plectendis agnovisse videtur, dum *lib.* 2. *Instit. cap.* 16. ita scribit: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* „ Quid enim, inquit apposite Gretserus (*a*), locus subterraneus pro impiis aliud, nisi carcer, in quo animæ detinentur? Si ergo, *puerile* est credere animas carcere concludi, etiam puerile erit animas impiorum in loco subterraneo tamquam in carcere concludi „. Junius etiam apud eumdem Gretserum, sat habet hæc de Inferis profiteri: *Inferos esse credimus: subterraneos esse contentiose non repugnamus.* „ Non est igitur, subdit ille, penes ipsum exploratum Inferos esse locum *subterraneum*. Tantummodo enim *non contentiose* adversabitur ei, qui Inferos locum esse subterraneum affirmarit. Adversari ergo licebit, sed absque contentione. Cæterum si hoc licebit, quid tandem non licebit? „. Hinc idem adversus Bellarminum conatur ostendere nullum ex locis pluribus, quæ ille profert, solidum deduci pro sententia hac fundamentum. Centuriatores Magdeburgenses (Centuria 1. *lib.* 1. *Cap.* 5. de Inferno asserunt Christum Dominum revera docuisse locum esse quemdam Damnatorum pœnis addictum, non autem, ubi reperiatur, indicasse. Et *Cap.* 8. ajunt *nec ipsos Apostolos a Domino de Damnatorum loco quidpiam didicisse, quod nobis credendum traderent*. Iidem nihilominus afferre non dubitant de hac re Tertulliani verba, quibus Inferni locus determinate asseritur intra viscera terræ, sicut & Hieronymi sententiam *Comment. in Cap.* 2. *Jonæ* dicentis: *Quomodo cor animalis in medio est, ita & Infernus in medio terræ esse perhibetur*. Eodem ferme pacto loquuntur alii Protestantes, sive Lutherani, sive Calvinistæ Catholicorum sententiam vel in suspenso relinquentes, vel ut inverisimilem judicantes.

At enim vero cæteris omnibus in eam impudentius invecti sunt D. Fridericus Otto Lutheranus, Joannes Lighfootus, & Thomas Burnetus Angli. Prior in brevi *Dissertatione*, quam adversus Swindenium exaravit, cum ipso primum fœdus init in oppugnanda communi de Inferno subterraneo sententia, cumque eam Catholicis maxime arridere videat, occasionem inde arripit debacchandi contra *Papistas*, ut vocat, in quorum censu etiam adnumerat *Piscatorium* celebrem Calvinistam, cujus libri, quem alioquin laudat, ne titulum quidem se vidisse satis manifestat. Alter subterraneas animarum sedes a *Pontificiis* invectas obgannit, quo *purgatoriam officinam* facilius erigere, ac statuere possent. Omnem excussisse pudorem necesse est, qui hæc evulgare audet. Demum Burnetus *lib. de statu mortuor. & Resur.*, postea quam asseruit, *non male credi dari ignem, vel massam igneam in centro terræ*, sententiam eorum recitat, qui propterea censent eo loci collocandum Infernum, eamque inverisimilem probat ineptis hisce argumentis, quæ digna plane sunt, ut commemorentur. „ Difficile, inquit, esset hac hypothesi descendere, aut pervenire ad Infernum in ipso corde telluris situm. Gaudebunt mali locum futuri cruciatus adeo inaccessum, & impervium esse. Quot regiones solidæ perforandæ? Quæ moles, & crassities terræ in hoc itinere? Quantum temporis impendendum in via? Semidiameter terræ habetur milliarium nostratium ultra ter mille quadringenta: Solum ipsum est impenetrabile. Quo autem foramine, „ aut

(*a*) in Vindiciis Bellarmini.

„ aut ex qua parte superficiei telluris „ ad tantam profunditatem detur transitus, plane nescimus. Præterea constat Dæmones non penitus includi in „ hoc meditullio, sed potius vagari per „ aerem, quasi in libera custodia: di„ citurque Tyrannus ille Infernalis *Princeps aeris* in sacris litteris, ubi suum „ habere imperium, sedemque, & habitationem hodie, vel hodierno sæ„ culo ab his oraculis docemur „. Hæc ille, quæ nemo non videt, quam sint levissima, ac seria refutatione indigna.

Adversum hæc omnia de Damnatorum loco recentium præcipue hæreticorum opinamenta calamum stringo in hac secunda Dissertationis parte, omnique momentorum genere probandum assumo, non alibi locandum esse Infernum, sive Gehennam, aut reproborum carcerem, quam intra penetralia terræ, sive hæc postea in centro geometrice sint, de quo minime constat, sive extra centrum, & in aliqua ejusdem circumferentiæ parte. Sed ut omnis abigatur confusio, quæ suboriri facile posset, nitideque pateat Catholicorum omnium doctrina de locis subterraneis, quam dumtaxat propugno, & ab his secernatur, quæ libere disputantur in Theologorum Scholis, illud animadvertere placet, quatuor a Theologis nostratibus frequentius distingui subterranea loca recipiendis animabus deputata, quæ idcirco *receptacula*, & communi *Inferni* nomine donari consueverunt, de quibus ita differit S. Thomas *in* 4. *distinc.* 45. *q.* 1. *art.* 3. inquiens: „ Receptacula animarum distinguuntur „ secundum diversos status earum. Ani„ ma autem conjuncta mortali corpori „ habet statum merendi, Sed exuta a „ corpore est in statu recipiendi pro „ meritis bonum, & malum. Ergo post „ mortem vel est in statu recipientis „ finale præmium, vel est in statu, quo „ impeditur ab illo: Si autem est in „ statu recipientis finalem retributio„ nem, hoc est dupliciter, vel quantum „ ad bonum: & sic est *Paradisus*: vel „ quantum ad malum: & sic ratione „ actualis culpæ est *Infernus*. Ratione „ autem originalis est *Limbus puerorum*, „ Si autem est in statu, quo impeditur „ a finali retributione consequenda, „ vel hoc est propter defectum personæ: „ & sic est *Purgatorium*, in quo deti„ nentur animæ, ne statim præmium „ consequantur propter peccata, quæ „ commiserunt; vel propter defectum „ naturæ: & sic est *Limbus Patrum*, „ in quo detinebantur Patres a conse„ cutione gloriæ propter reatum huma„ næ naturæ, qui nondum poterat ex„ piari „.

Primum itaque *receptaculum*, ut Theologi docent, infimum omnium est, ac vel in centro terræ situm, vel circa centrum, Dæmonibus, cunctisque reprobis continendis addictum, & vulgo *Infernus* nominatur. Alterum *receptaculum* ab illo secretum, eidemque, ut creditur, contiguum, *Purgatorium* dicitur, quod a Divina Justitia destinatum fuerit purgandis, expiandisque animabus, quæ nulla contaminatæ graviore culpa ex hac vita excessere. Tertium *Puerorum Limbum* vocant, iis videlicet pueris deputatum, qui nullum actuale crimen commiserunt, sed sola primigenia labe inquinati decedunt. Hunc vero locum peculiarem esse existimant alii: alii autem cum S. Augustino *lib.* 1. *de baptiz. Parvul. c.* 2. cum Damnatorum loco confundunt, in quo tamen, vel nullam vel mitissimam Gehennalis pœnam ignis sustineant. Quartum denique receptaculum pro eorum statuunt sanctorum, sive justorum animabus, qui ab initio mundi ad usque Christi mortem vita functi sunt: & *Sinus Abrahæ* juxta Scripturæ locutionem frequenter dicitur: quo vocabulo intelligunt cum eodem S. Augustino lib. de anim. & ejus Orig. *remotam sedem quietis, atque secretam, quæ dicta est Abrahæ, non quod ipse tantum ibi sit, sed quod ipse Pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei Principatum propositus: sicut & Deus se Deum Abraham vocari voluit cum sit innumerabilium Deus.*

Hæc tametsi usitatius a Theologis nostris doceantur, non omnia tamen ad doctrinam fidei pertinere dicendum est. Plures namque, quibus ipse lubens assentior, compertum, firmumque minime cre-

credunt, sive *Purgatorium*, sive etiam *Puerorum Limbum*, loca esse a Damnatorum sede distincta. Neque enim desunt, qui, nedum citra fidei dispendium, sed etiam absque ulla temeritatis nota, contra sentiant, atque defendant. Quin immo nullam fecit de Puerorum limbo mentionem Catechismus ipse Concilii Tridentini, cujus hic proderit verba proferre ex *p. p. c. 6. n.* 2, & 3. ubi exponit, & quid Inferorum vocabulo intelligendum sit, *& quot sint loca, quibus animæ extra beatitudinem constitutæ, & post mortem detineantur*: „ Inferorum nomen, inquit, abdita illa „ receptacula significat, in quibus animæ detinentur, quæ cælestem beatitudinem non sunt consecutæ. Nam „ apud Apostolum legimus: *in nomine* „ *Jesu omne genuflectatur, cælestium,* „ *terrestrium, & Infernorum*: & in a- „ ctis Apostolorum D. Petrus testatur „ Christum Dominum suscitatum *solutis doloribus inferni*. Neque tamen „ ea receptacula unius, & ejusdem ge- „ neris sunt omnia. Est enim teterrimus, & obscurissimus carcer, ubi „ perpetuo, & inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam „ *Gehenna, abyssus*, & propria significatione *infernus* vocatur. Præterea est „ Purgatorius ignis, quo Piorum animæ „ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam Patriam ingressus patere possit, in quam „ nihil coinquinatum ingreditur..... „ Tertium postremo receptaculi genus „ est, in quo animæ Sanctorum ante „ Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu beata redemptionis spe sustentati quieta „ habitatione fruebantur. „

Illud tamen, quidquid de reliquis existimetur, pro certo habendum omnino est, duo illa saltem receptacula; *sinum Abrahæ*, & *Damnatorum carcerem*, loca esse invicem separata, longeque inter se dissita, tum propter alia permulta, tum maxime propter evidens Christi testimonium apud S. Lucam in supra laudata parabola de Divite, & Lazaro, in qua ille describitur in flammis detentus, atque oculos elevasse dicitur, ut videret Lazarum *in sinu Abrahæ* quiescentem, & dulcissima pace, & consolatione fruentem: quibus duplicis illius loci diversitas, atque distantia aperte designatur, quam rursus confirmant sequentia verba ibidem relata, quæ *magnum chaos* inter utrumque *firmatum* luculenter enunciant. Porro hunc etiam, de quo loquitur S. Evangelista, *sinum Abrahæ* non alibi ante Domini adventum fuisse, quam in aliqua subterranea sede, quæ etiam *Inferni* nomine sæpissime exprimitur, ex iis, quæ in loco producam, evidenter constabit.

Ex quibus illud colligere oportet, quod, licet non omnia, quæ a nobis afferenda sunt, testimonia de sede Inferni subterranea, intelligenda veniant de proprio Damnatorum carcere, sed vel de loco purgationis, vel de sinu Abrahæ, ubi justorum animæ olim detinebantur; omnia tamen ad eam, de qua potissimum agimus, confirmandam sententiam abunde conspirant, atque ex omnibus efficax argumentum desumitur pro Damnatorum sede intra terram constituenda, quemadmodum, ut ego quidem arbitror, nec Swindenius, nec cæteri, qui adversantur, Sectarii procul dubio diffitebuntur. Quis enim ita desipiat, ut justarum animarum sedes intra abdita terræ viscera collocet, id vero abnuat de impiorum, ac damnatorum carcere? Ad promenda igitur argumenta nostra accedamus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De consensu totius retro antiquitatis in sede vita functorum, maximeque impiorum subterranea statuenda. Hanc tenuisse ostenditur Hebræos omnes etiam ante Machabæorum tempora, & ipso Prophetarum, & Patriarcharum ævo: sicut & Ægyptios, Idumæos, Palæstinos, aliasque vetustissimas nationes. Quæ Græci, Latini. que Poetæ de illa scripsere, eamdem populorum fidem adstruunt. Suffragati eidem sunt tum Philosophi, tum Historici. Firmum, quod inde conficitur pro hac sententia, argumentum.

Antequam argumenta profero ex Scripturarum, & Ecclesiæ Patrum authoritate deducta, queis potissimum nititur Catholica de subterranea Inferorum sede doctrina, præstat consensum omnium gentium in ea tenenda raptim exponere a vetustissimis usque temporibus, immo a primis mundi exordiis perpetua successione ad nos derivatum. Hinc enim tum validum sumemus de ejusdem veritate fundamentum; tum perspecta omnibus fiet Swindenii, & Lighfooti sive inscitia, sive temeritas, qui initia hujusce sententiæ referunt vel in primos Christi fideles, mundum hemisphæricum esse, crasso errore putantes; vel sequentibus æræ Christianæ seculis, *in Papistas, ut officinam purgatoriam facilius obtruderent*. Itaque Inferos, sive Inferorum, aut Damnatorum sedem esse sub terra, doctrina est, semperque fuit adeo apud omnes pervulgata, constanterque recepta, ut asserere possimus cum Daniele Classenio, Authore plane minime suspecto, *videri eam fuisse præjudicium hominum commune, & solum illam negasse, qui supra præjudicia communia aliquid sentire maluerunt* (a). Necdum enim Christianos omnes, sed etiam Judæos, atque Gentiles in ea semper persuasione extitisse, plura sunt, quæ perspicue demonstrant. Aliqua delibemus.

Atque ut ab antiquioribus Judæis incipiamus (nam recentiorum judicium parum curamus, quamquam dissentire non arbitror), hos in imo terræ centro Inferos collocasse, testantur omnes, quotquot ipsorum doctrinas profunde perscrutati sunt. De Rabbinorum sensu, qui præsertim in componendis Talmudicis libris navarunt operam, legendus inter alios est Bartolocius in sua *Bibliotheca Rabbinica*, ubi *Tom.* 2. *aq.* 128. multis ostendit, maximeque ex nominibus a Rabbinis Gehennæ tributis, eam subterraneam credidisse, in qua plures veluti mansiones distinguebant: „ Manifeste patet, inquit, ex ipsorum „ ingenio septem mansiones dari infra „ terram, sive unam Gehennam in septem domicilia distinctam, ubi Damnatorum animæ cruciantur ..... „ Hujusmodi mansiones Hebræi ipsi in „ terræ visceribus constituunt, ut facillime probari potest ex nominibus ipsis attributis, quæ primario loca infima intra terram constituta denotant, „ & per tropum Damnatorum infernum „ signant „. Et infra: „ Cum שְׁאוֹל Sceol „ ex Rabbinis sit locus abditus in terræ „ visceribus, seu sit ipsummet centrum „ terræ, liquet Infernum, & Gehennam in ea parte terræ sitam, ubi „ cruciantur Damnati . . . . Unde explodenda est illa traditio Domus Eliæ „ in Cod. Tamid C. 4. qua docetur „ Gehennam esse supra firmamentum, „ vel, ut alii dicunt, *post montes tenebrarum* „. Sed etiam sub terra mansionem pro animabus justorum eosdem statuisse Rabbinos, idem Author observat, inquiens: „ Gehenna ab iis dividitur in septem mansiones, seu loca „ diversa, inter quæ unus ex istis vocatur *Sceol*: Item *Sceol*, qui Infernus est, bifariam subdividitur, in inferiorem, & superiorem. Sceol inferior

(a) De stat. anim. post mort. apud Gronovius T. 7.

„ r r ex Script. psal. 86. 13. vocatur „ שְׁאוֹל תַּחְתִּיָּה Sceol tablitia: Et liberasti animam meam ex Inferno inferiori. Ex hoc Inferno inferiori, sive „ Damnatorum liberatus fuit David, „ quando a Nathan Propheta ei dictum „ est: *Dominus transtulit peccatum tuum:* „ *non morieris*, scilicet morte æterna. „ Nam adulteri in profundum Inferni „ detruduntur, ut advertit etiam R. Salomon, & R. Kinki „. Alium quoque Infernum subinde notat ab eisdem admitti pro animabus justorum, & hunc vocari in Misdrase Koeleth, *Thesaurum*, *in quo illæ reponuntur*, immo etiam in Talmud *sinum Abrahæ*.

Fuse quoque de hoc argumento disserit Jacobus Windetus Doctor Londinensis in libro *de vita functorum statu* (a), ubi pluribus evincit Judæos admisisse spatium quoddam subterraneum in duas partes divisum, in quarum altera damnationis locum pro impiis ponebant: In altera vero pro justis locum retributionis, & quietis. Priorem in septem mansiones partiebantur, in quarum postremam qui descendunt, non ultra reditum inveniunt, sed in æternum cruciantur, non minus ac qui, juxta Gentiles, in *Tartarum* trudebantur. Cæteri vero in aliis mansionibus detinentur ad tempus, donec criminum suorum noxas, quas contraxerunt, debitis suppliciis expiaverint. Quod illustrat pluribus prolatis textibus, tum ex *Beresit Rabba*, tum ex aliis libris Talmudicis. Legendus est etiam de hac re Augustinus Calmetus in *Dissert. de statu animæ post mortem juxta Hebræos*, ubi ex eorum sententia declarat ignem Inferni subterraneum esse, & locum perditionis in imo terræ fundo positum sub ipsis montium fundamentis, & aquarum abysso (b).

Hanc doctrinam non a Talmudistis excogitatam fuisse, sed a majoribus suis acceptam, quoad saltem rem ipsam attinet, & figmentis omissis, quæ ex proprio ipsi cerebro deprompserunt; constat ex testimonio Josephi Flavii, qui libro 18. *Antiq.* dogmata referens Pharisæorum, sectæ scilicet inter Hebræos principis, *Cap.* 2. ait: „ Animas credunt „ immortales, *&* *sub terris* eatum ju„ dicia fieri: tum præmia quoque con„ tingere ex virtutis, aut malitiæ me„ rito: & has perpetuis damnari carce„ ribus: illis facilem esse ad vitam re„ ditum: „ Et *lib.* 2. *de bello Judaic. Cap.* 8. de Esseniis sermonem habens scribit „: Et ista apud Essenios obtinuit „ opinio, corpora quidem esse interitui „ obnoxia, nec materiam eorum per„ manere; animas vero immortales in „ omne ævum durare . . . . Postquam „ carnis vinculo solutæ fuerint . . . . „ impias sub terras in obscurum, geli„ dumque antrum revocant, æternorum „ cruciatuum plenum „. Idem quoque tradidit apud Drusium (c) R. Simeon filius Joachi, quem *sanctum* appellat, Author vetustissimus, & cum ipso Josepho antiquitate certans in libro inscripto *Zoar*, ubi duas memorat apud Inferos, sive intra penetralia terræ, regiones, quarum alteram vocat *Sceol*, alteram *Abaddon*, *atque in illam qui descendunt puniri*, *donec persoluta pœna noxis eorum debita*, *inde in meliorem habitationem subducantur*: *in hanc vero qui veniunt*, *nullo unquam tempore*, *aut ævo liberari*, *aut educi*: Gemina sunt, quæ leguntur in antiquissimo libro *Henoch* nomine insignito, apocrypho quidem, multisque fabulis consperso, sed qui satis prodit sensum de hac re in Hebræo populo obtinentem. Narrat siquidem (d) *S. Michaelem Archangelum a Deo jussum Semiaz aliosque perduelles Angelos comprehendisse*, *onerasse* cate-

(a) Apud Cleric. T. 1. Biblioth. select. art. 8. (b) Videndus etiam de his est Origenes *lib.* 5. *contra Celsum*, ubi pueros Hebræorum tradit *jam a teneris unguiculis edoceri animæ immortalitatem*, *&* *subterranea tribunalia* &c. (c) ad Cap. 7. Apocal. in Criticis Sacris.
(d) apud Calm. loco cit.

catenis, ad imum terræ fundum raptasse, ubi septuaginta generationum spatio torquebuntur, quibus evolutis sistentur ad judicium, ac deturbabuntur præcipites in chaos ignis æterni. An hos omnes inter *Papistas accenscbit* Lighfootus, qui subterraneam impiorum sedem invexere, *ut purgatoriam officinam erigerent?*

Author recentior Dissertationis, cui titulus: *Historica vindicatio libelli, nudum Evangelium inscripti*, & Joannes Clericus cum aliis, qui nuperrime ausi sunt antiquis Hebræis omnem de futura vita cognitionem adimere, quum iis, aliisque momentis fateri cogantur, a Machabaicis saltem temporibus ea notitia non caruisse; contendunt Judæos, qui per Ægyptum, & Syriam dispersi fuerant, ex Platonis Philosophia in regiones illas translata, & ex Græcorum conversatione, primum didicisse, quæ de futuro sæculo, deque subterraneis animarum, sive piarum, sive improbarum sedibus subinde tradiderunt. Hujusce hypothesis falsitatem quoad priorem partem spectat, late ostendit V. C. P. Callus Innoc. Ansaldi Ord. Præd. in suo libro *De futuro sæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito &c.*: & ego ipse plura de eodem argumento disserui in libro *de futuro Impiorum statu*, quibus compertissimum fit, jam longe ante Platonem, & a mundi nascentis exordio vitæ futuræ fidem in ea gente continenter mansisse. Sed & argumenti præsentis doctrinam de *subterraneis* animarum *sedibus*, non a Platone Græcisque Scriptoribus hausisse veteres Hebræos, verum a longe antiquiore, perennique traditione accepisse, clarissima, quæ infra proferam, Scripturarum testimonia manifesto convincunt. Satis modo sit, quædam cursim observare ex Campejo Vitringa celebri inter Protestantes Isajæ interprete. Author iste in Comment. *Cap.* 14. *hujus Prophetiæ* ad illa verba, *Infernus subter conturbatus, est, &c.*, postquam absonas rejecit quorundam expositiones, ipsa nimium perspicua veritate cogente, affirmat „ fictionem orationis „ totam compositam esse *secundum hypothesim hominum illius temporis* poe„ tice ornatam, quæ fere in hanc exit „ summam: animas hominum a corpo„ ribus solutas, migrare in vastam quan„ dam *voraginem subterraneam*, com„ mune animarum receptaculum, sed „ pro qualitate personarum in varia „ loca discretam . . . . Hanc vero re„ gionem mortuorum vocabant illi pro„ prie שְׁאוֹל Infernum, Græci Adin, „ ᾅδην, Latini *Inferos*, dabantque illi re„ gioni, sive Civitati *mortuorum* por„ tas. Unde apud ipsum Prophetam „ nostrum Cap. 38. c. 10. *portæ inferi* „ αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου. Hypothesim hanc, „ sequitur ille, ita ut dixi, fuisse „ receptam etiam apud vulgum Ju„ dæorum, patet luculenter ex hi„ storia Samuelis lib. Sam. *Cap.* 28. „ a saga evocati ex inferis, cujus ibi „ comparet umbra a Pythonissa visi cum „ omni suo charactere, ex inferioribus „ terræ ascendentis. Ubi licet nemo „ non prudentium lectorum agnoscat, „ vel Sauli illusum esse a Fœmina, vel „ Fœminæ a Satana; patet tamen evi„ denter ex hoc loco, quid passim vul„ gus senserit de statu fato functorum; „ Immo vero ex hac hypothesi satis „ antiqua desumptæ sunt locutiones „ aliquæ Sanctorum de statu defuncto„ rum, veluti, quando Jacob persua„ sus de interitu Josephi dixit: *Descen„ dam lugens ad filium meum* שְׁאֹלָה „ *Sceola*, in locum animarum: & Va„ tes sacer Psal. 30. Com. 4.: *Jehovâ* „ *animam meam ascendere fecisti* מִן-שְׁאוֹל „ *min-Sceol*, *ex Inferis*. Alio loco Psal. „ 94. c. 17.: *Nisi Jehovâ mihi fuisset* „ *auxilio, parum aberat, quin anima* „ *mea habitasset* דוּמָה *duma*, *in loco si*„ *lentii*. Et Psal. 115. c. 17.: *Mortui* „ *te non laudabunt*, *nec qui descendunt* „ דוּמָה *duma*, *in locum silentii*. Nec est „ in iis dictionibus quidquam vitii. „ Sancti enim per *Sceol* nihil aliud in„ telligebant, quam receptaculum ani„ marum a corpore solutarum, quas „ credebant immortales, & post mor„ tem non privandas sensu „.

Ex hoc testimonio plane non suspecti Expositoris, validissimis documentis mu-

 nito,

nito, constat primum, jam tum ab ævo Isajæ longe ante Platonis tempora viguisse communem apud Judæos sensum, tum animas esse immortales, tum post vitam hanc ad loca pergere subterranea, sive ad commune intra tellurem animarum receptaculum. Constat etiam vulgatam hanc persuasionem non tunc primum incepisse in Hebræa gente, sed descendisse a majoribus, firmamque extitisse temporibus nedum Davidis, ac Samuelis, sed ipsius etiam Patriarchæ Jacobi, qui plane indicatas locutiones non adhibuere, nisi ex communi, receptaque inter Hebræos opinione omnium animas post vitam hanc ad subterranea loca deferri, quietem, aut pœnam pro meritorum ratione percepturas. Quapropter colligere omnino oportet adversus Clericum Hebræos, non ex doctrina Platonis, Græcorumque convictu didicisse, quæ ad futurum sæculum spectant, maximeque animarum sedes, sed a majorum suorum traditione, & hanc jam a Patriarcharum ævo obtinuisse, atque adeo nullo unquam tempore defuisse: quod ex iis, quæ infra eadem testimonia exactius expendentes dicemus, manifestius erit. Sed ad Gentilium in hac eadem re consensionem attingendam progrediamur.

Ægyptios primum memoro, unde & in græcanicas regiones, & in alias gentes plurimas sapientia, rerumque præsertim sacrarum cognitio profecta est: Apud hos eamdem fuisse, quæ in populo Hebræo, de Inferis sententiam, perhibent Diodorus *lib.* 1., ac Tacitus *lib.* 5. *C.* 5. *Amenthem*, ut Marsamus, aliique observarunt, vocabant receptaculum animarum post mortem, quod idem prorsus significat, ac apud Græcos ᾅδης *adis*, sive locus subterraneus. Hinc Plutarchus de Iside scribit Ægyptios τὸν ὑποχθόνιον τόπον sive *locum subterraneum, in quem putant animas ferri post mortem, vocasse Amenthem*. Eamdem doctrinam Ægyptiis tribuit Herodotus lib. 2. in historia Rhampsinitis Regis, quem Ægyptios fabulari ait, Inferos visitasse, ac rediisse salvum, perinde ac Græci suos heroas.

In eadem fuisse sententia Idumæos, & Ammonitas, populosque finitimos ex Esau genere prognatos, satis evincunt locutiones, quæ habentur in libro Jobi, de quibus postea edisseram. Veteres etiam Palæstinos eamdem tenuisse doctrinam ingenue professus est vel ipse Clericus, quod & propugnavit adversus Simonium *in Epist. gallica* 19. inquiens: *Pagani, qui Palæstinam incolebant, persuasum habebant defunctorum animas descendere in quemdam locum subterraneum, ubi pro meritis, dum in corpore viverent, vel pœna ipsi afficiebantur, vel gaudio: & ex ipsis Græci, Latinique suam desumpserunt Theologiam*. Idem dicendum esse de Arcadibus, colligitur ex his versibus Papinii Statii Infernum ex ipsorum relatione ita describentis lib. 2. Theb.

> *Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras*
> *Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat*
> *Manibus: Arcadii perhibent si vera coloni.*
> *Stridor ibi, & gemitus pœnarum; atroque tumultu*
> *Fervet ager: sæpe Eumenidum vocesque, manusque*
> *In medium sonuere diem &c.*

Strabo quoque *lib.* 14. *Geogr.* idem testatur de priscis Indis, eorumque Magistris Bragmanibus, his verbis: *De immortalitate animorum, & de judiciis apud Inferos sensisse eadem, quæ Plato*. Atque idem etiam de Celtis, & Gallis tradidit Valerius Maximus lib. 12. C. 6.

Succedunt Poetæ, qui reliquias antiquæ Theologiæ vigentis in gentibus figmentis suis incrustarunt. Quorum consensio nedum contemni minime debet, sed etiam magni fieri pro eruenda populorum, inter quos versabantur, fide; neque enim quidquam aliud quoad rem præcipuam exponebant, quam quæ jam a populo credebatur, aut ejus prænotionibus congruebat, licet quadam venustate sermonis ornatum, & fictionum multarum coloribus obductum, quo jucundius plebis animos demulcerent. In comperto jam omnibus est, eos in hanc conspirasse sententiam, animarum ex hac vita migrantium tria esse receptacula, *Elisios* nempe campos, quos puris animabus deputabant; *Inferos*, in quibus

expia-

expiabantur ii, qui medium quoddam vitæ genus tenuerant, nec ita virtutem secuti, quin vitiorum sordes contraxissent: *Tartarum* postremo aliis omnibus, qui ob magnitudinem scelerum purgari nullo modo potuissent, nec ullis sanari remediis. Tria hæc loca intra telluris viscera Vates omnes reposuisse, nullus est ambigendi locus, & innumeris documentis comprobatur.

Vetustissimum Græcorum Orpheum eadem de Inferis sensisse, quæ Ægyptii, refert Diodorus Siculus lib. 1., dum impiorum pœnas apud Inferos, & piorum prata, & pervulgatas spectrorum fictiones introduxit, sive potius carmine concelebravit. Hesiodus in Theogonia Tartarum memorans illud in profundo telluris collocat, inquiens:

Τάρταρα τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης
Tartaraque tenebricosa in recessu terræ spaciosæ.

Sub qua etiam posuit piorum animas; teste Platone *lib. 5. de Rep.* ubi ait: *Nonne Hesiodi sententiam sequemur, quod videlicet illi homines, qui ex aureo illo fuerint genere, ubi primum fato decesserint, Dæmones existant ima tellure repositi* οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι? *Sequemur sane.* Consentit cum his Homerus, qui pluribus in locis suæ Iliadis de Elisiis, & Tartaro verba faciens, sub terris aut esse supponit, aut diserte statuit. Nam ut cætera mittam, Protheum ad Menelaum ita loquentem inducit: *Te ad Elisium campum, & fines terræ Dii mittent, ubi est flavus Rhadamantus &c.*: ac deinde Jovem comminantem: *Projiciam in Tartarum obscurum valde procul, ubi profundissimum est sub terra barathrum . . . tantum sub Inferna, quantum cælum est a terra.* Euripides etiam sensum vulgi secutus, ut animadvertit Benedictus Averanus *Dissert. 8. in Eurip. Inferos mortuorum latebras appellavit*, quod scilicet juxta vulgatam opinionem *Inferi in medio terræ sunt: qui locus maxime reconditus est, ac tenebrosus*: & hac de causa finxit etiam *Plutonem seorsim a cæteris Diis habitare*: quam hypothesim reliqui tum Græci, tum Latini Poetæ secuti sunt. Verum alios afferamus.

Theognis *in sententiis* V. 244. scribit: *Postquam tenebrosas sub latebras terræ iveris, in ædes luctuosas Inferni, non unquam neque mortuus amittes gloriam, neque etiam latebis.* Phocilides V. 105. *Non licet in inferno opes habere, & divitias eo portare: omnes mortui pares sunt: Deus vero animabus imperat: communia, & æterna domorum tecta, & patria Infernus.* Æschylus, qui sub idem tempus, ac Pindarus floruit, hæc cecinit in Prometheo: *Nam si me sub terram, sub inferos mortuos capientes, in immensum Tartarum detrusisset, vinclis firmissimis, aspereque alligasset &c.* Præclarum quoque est testimonium Diphili Comici vetustissimi, quod ab interitu nobis servavit S. Clemens Alexandrinus, illudque ita proponit *lib. 5. Stromatum*:

Tu ne arbitraris mortuos, Nicerate,
Qui se omnibus dedere vitæ gaudiis,
Fugisse numen, & latere postea?
Est justus oculus, cuncta qui solus videt.
Hinc Inferorum ponimus duplicem locum,
Hunc destinatum impiis, illum piis:
Uterque quamvis conditus terra latet.

Testimonium hoc refertur etiam a S. Justino, vel quicumque sit Author libri *De Monarchia*, illudque Philemoni tribuit. Neque ambigendum est eadem sensisse cæteros Græcos Poetas, dum scripserunt, vel homines *mortuos mitti a Plutone ad nigrantes domos Inferorum*, ut Simonides, vel *præcipitari in obscurum locum, & barathrum*, ut Pindarus; vel *in perpetuam noctem*, & *Plutonis domum*, ut Theocritus, vel ἐς τὸν ἅδην *aut Tartarum*, ut Sophocles, Aristophanes, Antiphanes, & alii.

His consona sunt, quæ unanimi confensione de Inferis tradidere Poetæ Latini, vulgi & multitudinis sensum secuti, ut Tullius ipse non diffitetur. Unum vel alterum dumtaxat brevitati consulentes proferamus. Latinorum Poetarum Princeps Virgilius de fato functis sermonem

monem incipiens lib. 6. Æneid. ad subterraneos Deos ita suam orationem convertit:

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentum:
Et chaos, & Phlegeton loca nocte silentia late,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terræ caligine mersas.

Ac subinde memorat, & *facilem descensum Averni, & tristes sine sole domos, & imas Erebi umbras, Elisia prata, Plutonis sedem, Tartarum, Scelestorum supplicia &c.* Sulmonensis etiam Poeta lib. 4. Metam. ita ingressum Inferni describit.

Est via declivis funesto nubila taxo.
Ducit ad infernas per multa silentia sedes &c.

Ita pariter a Seneca Tragico Inferi vocantur, *pars terrarum secreta, & mundi fundus*: a Statio, *ima mundi regia*: a Juvenali, *subterranea regna*: atque eodem modo a cæteris, quorum sententias commemorare non est opus, quum legentibus eorum opera passim occurrant.

Quod si a Poetis ad Philosophos, & Historicos gressum facimus, eos pari modo sentientes, saltem quoad Impiorum sedem attinet, invenimus, dum præsertim juxta vulgares ideas, atque communes populorum loquuntur. Sententiam de subterranea Inferorum sede a Poetarum fabulis purgatam in systemate Philosophiæ suæ docuisse Platonem, exploratissimum est. Justos quidem, ac pios ad beatas insulas post mortem proficisci tradit; at malos intra telluris voraginem puniendos affirmat. Sic in *Gorgia legem fuisse* refert, *sub Saturno* (Saturnum maximum Deum appellat) *eamque adhuc vigere apud Deos, ut qui juste, ac sancte vitam transegissent, postea ad insulas beatas profecti, beate vivant, nullis malis obstrepentibus: qui vero scelerate, & impie vixissent, ire ad pœnarum, & vindictæ carcerem, quem vocant Tartarum*. Hunc autem *subterraneum* exprimit his verbis: *Nefas est, nec ulla lex permittit, ut ad tenebras subterraneas* (impiis destinatas) *hi proficiscantur, qui semel iter cæleste carpere cœpissent*. In Phedone quoque, ubi totam veluti complectitur Gentilium doctrinam circa futurum statum animarum, *Tartarum* in terræ Meditullio diserte ponit: atque hujus quamdam veluti topographiam delineat in libris *de Republica*.

Idem ferme ex Pythagoræ sententia scripsit Malcus in ejus vita, inquiens: *Duæ sunt animorum sedes post mortem apud Inferos. Una est gaudii, altera pœnæ. Qui probi fuerint, in lætitiæ vallem transferuntur. Sed improbi in horrendo loco scelerum dant pœnas*. Quod & ficta quadam narratione significasse Pythagoram perhibet Suidas: *Ajebat enim se ad Inferos descendisse, ibique vidisse Hesiodum æneæ columnæ arctissime alligatum: Homerum vero ex arbore pendentem, anguibusque circumseptum ob mendacia, quæ de Diis conscripserat, & animas virorum, qui uxores aspere tractaverant, crudeliter ibidem laniatas*.

Inter Pythagoræ discipulos Tymæus Locrensis, & Jamblicus eamdem tradidere doctrinam. Prior quidem in calce *lib. de anima*, ubi ait: *Omnia in secundo circuitu Nemesis certo judicio rata, fixaque esse voluit cum infernatum illarum furiarum numinibus, ad quam humanarum rerum inspectio pertinet*. Quod luculentius declarat dicens: *Adest vindicta ex legibus, & oraculis, quæ terrores inducat cælestes, & subterraneos, quoniam supplicia inexorabilia parata sunt impiis ad Inferos*. Alter vero Pythagoræ, veterumque Pythagoricorum doctrinam diligenter, & accurate describens, hanc ex eorum dogmatibus confectam sententiam proponit: *Nihil fert secum anima tendens ad alteram vitam, quam probitatem, vel improbitatem, quæ plurimum prodesse, vel obesse defuncto noscuntur. Atque anima quidem melior cum Deo habitat per cæli beatas regiones invecta. Quæ vero sese factis impiis contaminavit impietate, proficiscitur ad judicia subterranea meritis pœnis deputanda*. Atque idem etiam credidisse dicendum est tum Porphyrium apud Stobæum in Eclog. *Orcum fontium animarum carcerem*

cerem asserentem obscurum esse sub terris locum; tum longe antiquiorem Zenonem apud Lactantium, qui *lib.* 7. *c.* 7. ita de illo testatur: *Esse Inferos Zeno Stoicus docuit: & sedes piorum ab impiis esse discretas, & illas quidem quietas, & delectabiles incolere regiones; hos vero luere pœnas in tenebricosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis.* Sensum etiam multitudinis, quem cæteroquin deridet, Lucianus exponens in Dialogo de *luctu*, locum animarum subter terram statuit, eumdemque magnum, ac spatiosum, & densa caligine obsitum, fateturque vulgum Poetis potius, quam Epicureis fidem quoad Inferos adhibuisse, inquiens: *Vulgi multitudo, quos sapientes vocant idiotas, Homero, & Hesiodo, reliquisque Poetis super his fidem habentes, & illorum poesim pro lege ducentes, locum quemdam subterraneum profundum esse putant, quem* Tartarum *vocant*. Quin & Tullius ipse, quamquam impiorum animas circum terras oberrare crediderit, haud negare tamen potuit adversam esse multitudinis fidem, tum *in lib.* 1. *qq. Tuscul.* ubi quosdam recitat Poetarum versus, qui in Theatris cantari consueverant, tum *in phil.* ubi cum vulgo loquens impios pœnas Parricidii apud Inferos luere testatur, tum *Orat.* 4. *cont. Catilinam*, ubi antiquorum authoritate improbis apud Inferos supplicia esse constituta confirmat.

Cum his demum consentiunt Historici, dum de futura vita sermonem habent, aut aliorum sensa produnt. Nobilis in primis locus est, qui prostat apud Dionysium Halicarnassæum de Veturia filium suum Coriolanum ita alloquente: *Si quis locus est, qui humanas animas a corpore solutas recipiat, meam non subterraneus, caliginosusque capiet, quod miserorum esse domicilium perhibent, nec campi, quos lethæos nominant; sed sublimis, & purus æther, in quo ajunt Diis genitos fortunatam, ac beatam vitam degere &c.* Pulcherrimum quoque est testimonium, quod legitur apud Josephum *lib. 6. de bello Jud.* Cap. 1. de Tito Imperatore ita milites suos inflammante: *Quis virorum fortium nescit animas in acie quidem ferro corporibus solutas purissimo ætheris elemento inter astra collocari? .... Quas vero morbus corporis, tabesque consumpserit, maculæ licet, labisque puras sub terras ire in tenebras, & in profundum demergi oblivionis?* Hæc, & alia hujusmodi dicta, fuisse juxta vigentes tunc temporis apud homines notiones, nemo non videt, confirmatque pluribus laudatus Vitringa loco supracitato his verbis: „ Scriptores alii prudentes cujusque generis, ubi de statu vita functorum loquebantur, locutiones, & phrases inde sumpserunt, & hanc doctrinam admiserunt, ut communem gentium. Sic „ Vellejus de Pompejo *lib.* 2. *Defuisset fortunæ destruendi ejus locus: & quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.* Livius „ in Orat. Gracchi ad milites lib. 25. „ c. 16. *Lucanum proditorem, ac transfugam omnes peterent. Qui eam victimam præ se ad inferos misisset, cum decus eximium, egregiumque solatium suæ mortis inventurum.* Florus lib. 1. „ Cap. 10. *Tarquinii tandiu dimicaverunt, donec Aruntem filium Regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere expiravit, plane quasi adulterum ad Inferos usque sequeretur.* Dion in verbis Cleopatræ „ ad Augustum lib 51. *Mitte me ad Antonium, neque mihi cum eo sepulturam denega: quemadmodum ejus causa pereo, ita etiam apud inferos cum eo sim.* „ Hæc ille. Et sane usitato nomine *Inferorum* Latinos scriptores, sicut ᾅδης *Adis* vocabulo Græcos, nonnisi *subterraneam sedem* intellexisse, pluribus infra manifestum faciam.

Hanc autem fidem etiam Chrysostomi tempore perstitisse apud Gentiles, liquet ex hac sententia, quam habet ille *lib.* 2. *adversus Oppugn. Vitæ Monast.*: „ Etsi tu gentilis es, hanc tamen orationem nostram suscipies. Audis sæpe „ Cocytos, & Phlegetontas fluvios, & „ Stygis undam, & Tartarum tantum „ a terra distantem, quantum hæc ipsa „ distat a Cælo. Etsi enim, ut erant „ hæc, narrare non potuerunt Græci, „ utpote propriis moti ratiociniis, nec

„ non

„ non traditionibus nostrorum male acceptis; attamen imaginem quamdam judicii acceperunt. Itaque invenias & Poetas, & Philosophos, & Oratores, atque omne Scriptorum genus hac de re philosophantes &c. „. Sed & alii Patres contra Gentiles differentes idem testantur, asseruntque se, cum animas post mortem sensu præditas ajebant, & impiorum in inferis locis diris excruciari suppliciis, non dissimilia enunciare, quam Græci docerent, ut videre est in *Apolog.* I. S. Justini, & apud cæteros Chiliastas Patres, quos tum piorum, tum impiorum domicilia in locis subterraneis ad usque universale judicium statuisse exploratum est.

Quæ cum ita sint, jamque clarissime pateat hanc in humano genere ab antiquissimis temporibus viguisse opinionem, animas saltem impiorum hominum in subterraneum locum deferri post mortem; habes primum, unde impudentissimæ calumniæ revincas Lighfootum; qui sedes illas animarum subtus terram a *Pontificiis invectas* fuisse garrit, ut *purgatoriam suam officinam* constabilirent. Habes secundo, unde evidentis etiam falsitatis redarguas Swindenii imaginationem, qui hanc Catholicorum sententiam ex errore de hemisphærica mundi figura profectam decernit. Habes demum tertio, unde Clerici, aliorumque positionem rejicias, qui tum Hebræos, tum subinde Christianos sententiam eamdem ex Platone, Græcorumque doctrinis hausisse pertendunt. Quæ enim sunt exposita, longe antea in genere humano eam invaluisse convincunt.

Verum, quod caput est, & ad præsens nostrum institutum pertinet, ex iis omnibus, quæ copiose dicta sunt, validum, ut mihi quidem videtur, argumentum emergit, quo, sepofita etiam modo Scripturarum, & Traditionis authoritate, sententiæ de Inferorum sede subterranea, veritas comprobatur. Nam, ut Aristoteles in libris Topic. animadvertit de his, *quæ fide digna sunt*, disserens: *Quod paucis, sapientibus tamen; verum apparet, aliqua procul dubio gaudet probabilitate: Majori tamen, quod apud omnes fere sapientes, verum dicitur, ac audit. Denique quod tum sapientiores probant, tum cæteri etiam omnes perpetua, & constanti consensione, id oppido verissimum sit, oportet. Tametsi aliqui ea de re dubitare videantur.* Quod & in libris *Moralium* confirmat, dum de opinionibus agitur, quæ successione vetustissima ad nos pervenere. *Meretur siquidem*, inquit (a), *fidem vetustas*, quod ii videlicet homines, qui aliqua tradidere, a Deo ipso instructi præsumendi sint. Atque hoc etiam argumento usus est Tullius *in* I. *Tusc.* dum scripsit: *Authoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtinere, uti optimis possumus, quod in omnibus caussis & debet, & solet valere plurimum. Et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat.*

Mihi sane rem alte meditanti non aliunde in re, qua de agimus, hujusce communis de Inferni loco persuasionis initium repetendum videtur, quam a traditione ex Noetica familia profecta, atque ex antediluvianis Patribus, adeoque ab ipso Protoparentum nostrorum Conditore Deo, qui, sicut illos de præcipuis aliis veritatibus imbuit, de quo dubitare nefas, ita & de futuro hominum statu, locoque, ubi & justi interim in pace degerent, & mali suppliciis plectendi forent. Quæ namque producta sunt, veterum testimonia, apertissime ostendunt eam opinionem natam non esse in Græcia, sive Platonis ævo, sive aliorum, qui eam illustrarunt, Sapientum, ac Poetarum, verum inter ipsos potius propagatam ab Ægyptiis, & Phœnicibus. Sed neque hos illam primitus induxisse, verum ab aliis accepisse, certissimum est. Quoniam in Hebræa gente longe antea jam obtinuerat, a tempore scilicet veterum Patriarcharum, ut ex Jacobi locutionibus liquet, & in-

(a) Apud Eugubinum de per. phil.

& inter Idumæos, & Arabes recepta fuerat, atque vulgata, Jobo vitam agente, qui phrasibus iisdem, ac verbis usus est, dum de Inferno loqueretur, ut infra manifestum fiet. Unde ergo Jacob, & Jobus illam accepere? A suis certe majoribus, ab avis, & atavis, adeoque a Noeto, aut Noeti filiis, ac Nepotibus. Atque ex his etiam hujusmodi cognitionem hausisse dicendum est tum Chananæos, tum Ægyptios, tum nationes alias ab his propagatas. Sicut enim Hebræi non a barbaris, aut Græcis, sed a suis accepere Patribus, ita Græci, ac cæteræ gentes, non ab Hebræis, sed a majoribus suis, & Gentis conditoribus doctrinam hanc didicisse existimandum est.

Hoc argumenti genere feliciter usi sunt, Eruditorum cœtu plaudente, plures egregii scriptores ad veritates alias confirmandas, sive originem earumdem primævam constituendam. Ita Pluchius (*a*) præclare ostendit, defenditque, non Hebræos a Paganis, nec Paganos ab Hebræis sumpsisse vetustissimas quasdam consuetudines religiosas utrisque communes circa sacrificia, oblationes, libationes, defunctorum funera, & id genus alia; sed eas in altiorem revocandas esse antiquitatem, & in Noeti Familiam, a qua nationes omnes prodiere. Ita quoque Rollinus (*b*) morem nuncupandi vota Deo, qui apud gentes omnes, omnique ævo semper invaluit, non nisi a primis Parentibus, & ab aliqua revelatione divina originem suam arcessere credendum esse decernit. Quin & Clericus ipse (*c*) negare haud potuit ex antiquissima traditione in Parentes primævos referenda, derivatam fidem esse, qua Gentiles imbuti fuere, *genus humanum a Deo conditum esse, animam esse immortalem, retributionem post vitam hanc omnium fieri pro meritorum ratione, loca quædam existere, ubi probi donentur præmio, improbi vero pœna afficiantur*. Par est Joannis Cocceii, aliorumque sententia, qui Spencerum, ac Marsamum secuti, quum plura, quæ penes Gentiles obtinuisse leguntur, suadere sibi minime possent a Mosaicis scriptionibus esse deducta, in antiquiorem originem illa revocant, ac manasse verosimilius putant a primis parentibus, vulgique sermonibus tradita, ad Ægyptios, Idumæos, Palæstinos, Phœnicios, & Græcos pervenisse, quamquam, ut fieri assolet, figmentis plurimis inspersa, ac interpolata. Ex quibus illud colligere pronum est, quod, sicut hæc, aliaque id genus a vetustissimis usque temporibus penes Hebræos, Gentilesque recepta non inter populares errores accensenda sint, neque reipsa a doctissimis viris accenseantur; idem pariter asserere oporteat de sententia sedium animarum intra telluris penetralia, cujus origo æque vetusta est, & adeo communi gentium omnium consensione suscepta, ut *præjudicium humani generis* merito dicatur.

(*a*) Histoire du Ciel. (*b*) T. 4. hist. Rom. (*c*) T. 3. Bibl. Uni.

CAPUT III.

De significatione vocis שְׁאוֹל *Sceol in V.T. sæpe adhibita. Ea propria vi sua, & germana significatione non denotat neque mortem, aut statum mortuorum in genere a loco sejunctum, neque sepulcrum, in quo conduntur cadavera; sed terræ cavitatem, sive voraginem. Probationes significatus hujusce plurimæ afferuntur. In hac subterranea voragine Infernum, sive Damnatorum sedem Scriptura constituit. Loca plura ejusdem expensa, ex quibus hoc aperte colligitur.*

Quam ego in hac secunda parte Dissertationis propugno, communis omnium Catholicorum Sententia *de sede Inferni subterranea*, potissimum nititur Scripturarum, divinæque Traditionis authoritate, unde ea, quæ ex Dei voluntate, & arbitrio pendent, depromenda sunt, & obsequenti animo suscipienda. Cum porro plurima sint in sacris Litteris hujusce divinæ voluntatis argumenta, tum illud præsertim magna arbitror efficacitate gaudere, quod ex nominibus sumitur, quibus Damnatorum sedem Deus exposuit, ac designavit. Quis enim ambigat ex nomine, quo res aliqua significatur, pernoscendam esse naturam ipsius, aut conditionem, sive qualitatem? Plura itaque in rem nostram occurrunt in sacris Litteris nomina, illudque in primis in Testamento veteri celebratissimum, nempe שְׁאוֹל *Sceol*, quod *Infernum* vulgatus textus interpretatur: de cujus quidem nativa, ac propria significatione magna olim, & vexatissima quæstio fuit inter Expositores, contendentibus aliis significare *sepulcrum*, sive fossam, in qua mortuorum cadavera reconduntur, aliis generatim *statum mortuorum*, a certo, ac definito loco sejunctum: aliis demum voraginem quamdam subterraneam, sive penitiorem terræ locum, aut cavitatem. Sed lis omnis hodie dirempta jam est ab Eruditissimis viris, linguæque Hebraicæ peritioribus, qui collatis inter se Scripturarum textibus plusquam sexaginta, in quibus vox hæc occurrit, in eam convenere sententiam, non alium propria vi sua, ac germana notione significatum habere, nisi quem ipsi tribuerunt postremæ opinionis defensores, cujusdam scilicet subterraneæ voraginis, aut profundioris terræ loci, quamquam minime diffiteantur per metonymiam, aliumve tropum, ut sæpe etiam aliæ voces, significare aliquando, vel ad significandum assumi commode posse, vel *sepulcrum*, vel etiam in genere *statum mortuorum*. Qua de re, cæteris omissis, qui in hanc controversiam fuse, & accurate scripsere, præstat audire V. C. Campejum Vitringam, qui non uno in loco Commentarii sui in Isaiam de illa disseruit. In Caput 14. ad illa verba שְׁאוֹל מִתַּחַת *Sceol mittahhat Infernus subter &c.*, hæc habet: „ Quoad vocem „ שְׁאוֹל *Sceol*, ipsam attinet, & pro„ prie non significat *sepulcrum*, ut jam „ a doctis observatum est. Et agnosco „ tamen eam esse latitudinem significa„ tionis hujus vocis, ut subinde etiam, „ licet rarius, per *sepulcrum* verti pos„ sit. Notat proprie, & in generali sua „ significatione τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, „ inferiora terræ, sive τὰ κάτω locum in„ fra terram, quem Græci ᾅδην *aidin*, „ aut ᾅδην *adin* appellarunt, sive *locum* „ *infernum* (unde *Inferni* vulgata no„ tio) superno, sive his, quæ supra „ terram sunt, contradistinctum, in „ quo loco, qui, vel quod est, quæri„ mus de eo, ubi sit, cum non appareat. „ Quę ratio etymi vocis שְׁאוֹל a שָׁאַל „ quærere sumpta est, ut docte observa„ vit Cl. Coccejus in Lexico. Quan„ do autem, quæ sepulcro conduntur, „ cadavera ipsa quoque infra terram „ sunt, ut a conspectu hominum oc„ cultantur, possunt ea hoc quoque la„ tiore sensu dici esse in *Sceol*, in In„ ferno, hoc est in loco infra ter„ ram „. Et in *Cap.* 5. ad illum locum „ *Dila-*

Dilatavit Infernus, &c. „ Vox שׁאול
„ *Sceol*, inquit, Hebræis idem signifi„ cat, quod Græcis ᾅδης *Adis*, Latinis „ *Orcus*, status mortis, & interitus, „ sive locus mortuorum capax, qui in„ fra terram esse censetur: locus, in„ quam, & status mortuorum. Belgæ Interpretes, aliique *sepulcrum* verterunt; sed ea non est genuina significatio vocis *Sceol*, etsi hæc affinia sunt. *Sceol est vasta vorago, quæ capit mortuorum umbras, &c.* Paria tradit inter Anglos doctissimus Henricus Ainsworthus (*a*), qui etiam animadvertit, quod, sicut *cælum* dicitur in sacris libris non tantum *de habitaculo Dei*, sed omnia, quæ supra nos sunt, loca, stellarum, avium &c. hoc appellantur nomine, ita *Sceol* (Infernus) dicitur de locis omnibus, quæ infra nos sunt, sive intra telluris viscera. Cum his consentiunt Drusius *in Job*, Windetus *lib. de vita funct. statu*, Hermanus Witsius *in Melem. Leid.*, 10. Nicolaus Leth in Dissert. *de descensu ad Inferos*, cæterique doctiores, tum ex Protestantibus, tum ex Catholicis.

Momenta, quæ hanc significationem genuinam esse convincunt, gravissima, & plane decretoria sunt, quæ nihilominus potius attingam, quam fusius exponam. Et quidem si veterum authoritatem attendas, nulla ex antiquissimis versio est, sive 70. sive Chaldaica, sive Aquilæ, Symmachi, vel Theodotionis, quæ contradicentibus faveat, aut vocem *Sceol* acceperit *pro sepulcro*, aut *pro mortuorum statu* ab interiore loco terræ sejuncto. Vulgata quoque nostra, quam saltem, ut magnæ authoritatis agnoscunt æquiores inter Protestantes, *Sceol* Infernum interpretata semper est, unico excepto Oseæ textu, de quo postea fortasse. Omnes etiam Ecclesiæ Patres hebraice periti, Origenes, Epiphanius, Eusebius, Hieronymus, cæterique omnes eamdem vocem pro *subterraneo loco* sumpserunt, adeo ut primus, qui *Sceol* verterit *Sepulcrum*, & uno quidem dumtaxat in loco, fuerit Alcuinus octavi seculi Scriptor. His adde Rabbinos omnes antiquos; quibus passim adhærent recentiores, de quibus legendi sunt Raimundus Martinius in Pug. fid. *3. p. dist. 2. Cap. 8.* Genebrardus *lib. 3. de Trin.*, *& in Comment. trium Rabb. in Proverb.* edito ab Antonio Giggeo Collegii Ambrosiani doctore; (*b*) Bartoloccius *in Bibl. Rabb.* Tom. 2., & alii.

Quod si loca ipsa Scripturæ consulamus, in quibus vox *Sceol* usurpatur, plurima deprehendemus, quæ nullatenus intelligi possunt, sive de sepulcro, aut mortuorum tumulo, cui proprie respondet in lingua hebraica קבר *Queber*, sive de statu mortuorum a loco intra terram sejuncto: nullum vero, qui adversantium hypotheses invicte probet, cum pauca quædam, quæ afferri solent, per figuram, aut tropum dicta congrue explicentur. Illos autem ad classes quasdam brevitatis studio, revocare possumus, quarum prima eas sententias complectitur, in quibus *Sceol* opponitur cælo tamquam locus depressior, ac imus altiori, ac sublimi. Jobi Cap. 11.: *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior Inferno, Sceol, & unde cognosces?* Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in Infernum, Sceol, ades.* Isaiæ cap. 7. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum Inferni*, Sceol, *sive in excelsum supra.* Amos Cap. 9. *Si descenderint usque ad Infernum*, Sceol, *inde manus mea educet eos: & si ascenderint usque in cælum, inde detraham eos:* & id genus alia, in quibus nemo non perspicit vocem *Sceol* designare abditissimas, & profundissimas terræ latebras, non sepulcra, aut mortuorum tumulos, qui vix palmo a terræ superficie distant, ac interdum supra terram eminent? Nonne inanis, planeque ridicularia antithesis esset, summo cælorum vertici locum opponere prope terram positum?

Altera classis est locutionum earum, in quibus cognitio *Sceol* soli Deo adju-

(*a*) apud Matth. Polum in synopsi Crit. Sacr. Vol. 2. pag. 616. edit. Londin.
(*b*) apud Rusc.

dicatur, tamquam solius Dei proprium, ac peculiare attributum. Jobi Cap. 26.: *Nudus est Infernus*, Sceol, *coram illo* (Deo), *& nullum est operimentum exterminii*. Proverb. C. 15. *Infernus*, Sceol, *& perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* Si vocabulum *Sceol* pro *sepulcro* interpreteris, commendarine tantopere potuisset summa Dei cognitio, quod contempletur sepulcra, aut quæ in sepulcris conduntur, quæ nec humanam effugiunt cognitionem?

Ad tertiam classem pertinent ii textus, in quibus *Sceol* vasta quædam, & immensa capacitas tribuitur, quæ repleri nequeat. Proverb. 27.: *Infernus*, Sceol, *& perditio nunquam implentur*: & cap. 30.: *Tria sunt insaturabilia*, *&c. Infernus*, Sceol, *& os vulvæ*, *& terra*, *quæ non satiatur aqua:* quibus referuntur etiam ea verba Cap. 1.: *Deglutiamus eum*, *sicut Infernus*, Sceol, *viventem*, *& integrum quasi descendentem in lacum*. Isaiæ Cap. 5. *Dilatavit Infernus*, Sceol, *animam suam*, *& aperuit os suum absque ullo termino*: cui simile testimonium legitur etiam *Cap.* 2. Habacuc. Hæc quis aptare se commode posse credat sepulcro? Nam, ut sapienter animadvertit Pererius in *Caput* 37. *Genes.* „ Si de sepulcro dicta illa „ acciperentur, non essent vera: immo „ essent futilia, & ridicula. Sepulcrum „ enim facile, & cito impletur. Non „ enim est capax nisi unius cadaveris, „ aut paulo plurium, quæ, quoad ab„ sumpserit, alia non potest capere. „ Ridiculum itaque esset ad denotan„ dam amplissimam capacitatem, com„ parare eam sepulcro, cum in prom„ ptu esset capacitas, & insatiabilitas „ maris, quod omnia flumina, omnes„ que aquas recipit, nec tamen redun„ dat, ut initio Ecclesiastæ traditur. „ At vero in locum Inferni, in quem „ descendunt animæ post mortem, bel„ lissime quadrat sententia illa Salomo„ nis. Cum enim tot millia animarum „ ab initio usque mundi receperit, nec„ dum tamen capacitas ejus impleta „ est, sed imposterum totidem, atque „ etiam plures capere potest „.

Classis quarta eas authoritates Scripturæ comprehendit, in quibus *Sceol* attributum aliquod additur, quod magnam exprimit profunditatem. Deuteronomii Cap. 32.: *Ignis succensus est in furore meo*, *& ardebit usque ad Inferni*, Sceol, *novissima*, sive ut alii legunt, *ad Infernum profundum*, vel ut Græcus vertit ᾅδου κατώτατα. Job Cap. 17.: *In profundissimum Infernum*, vel, ut alii, *ad fulcra usque Inferni*, Sceol, *descendent omnia mea*. Proverb. 9.: *Et ignoravit*, *quod ibi sint gigantes*, *& in profundis Inferni*, Sceol, *convivæ ejus*. Et Cap. 15.: *Via vitæ super eruditum*, *ut declinet de Inferno*, Sceol, *novissimo*. Isaiæ Cap. 7. *Infernus*, Sceol, *subter conturbatus est*, *&c.* Quis in hisce locis *sepulcrum* comminisci audeat?

Ad quintam classem ea revocantur, quibus vel de his admonemur, quæ in *Sceol* recta perducunt, vel media edocemur, quibus *Sceol* effugere debeamus. Proverb. Cap. 2. de muliere meretrice dicitur: *Pacti Dei sui oblita est*: *inclinata est enim ad mortem domus ejus*, *& ad Inferos*, Sceol, *semitæ ipsius*. Et Cap. 7. de eadem: *Viæ Inferi*, Sceol, *viæ illius*, *penetrantes in interiora mortis*. Cap. 23.: *Noli subtrahere a puero disciplinam*, *&c. Tu virga percuties eum*, *& animam ipsius de Inferno*, Sceol, *liberabis*. Hæc, & alia similia loca fusius infra expendam, ostendamque nonnisi de damnatorum sede esse intelligenda. Satis interim mihi est, ex illis constare, *Sceol* pro sepulcro explicari non posse, quemadmodum nec de morte, aut statu mortuorum in genere. Neque enim ad hæc vitanda, quæ piis, & impiis æque communia sunt, ac necessario tandem obveniunt, monita suggeruntur: & nativa ipsa verborum vis aliud quidpiam insinuat.

In Classe postrema ea testimonia continentur, in quibus, vel ex ipso textu, vel ex circumstantiis, vel ex antecedentibus, aut consequentibus vox *Sceol* ita definitur, ut de sepulcro commode intelligi nequaquam possit. Hujuscemodi sunt: Geneseos Cap. 37.: *Descendam ad filium meum lugens in Infernum*, Sceol. „ Nam de sepulcro, ut Drusius ait „

„ locus.

„ locus iste accipi non potest, nisi le-
„ gas *propter filium meum*: Sed parti-
„ cula אֶל proprie significat *ad*. Ideo
„ Hieronymus bene vertit *ad filium*
„ *meum*, quem à mala fera devoratum,
„ ac discerptum fuisse, non sepultum,
„ sibi persuaserat „. Atque eodem sensu accipienda sunt alia ejusdem Jacobi verba: Cap. 42., & 43. *Deducetis canos meos cum dolore ad Inferos*, Sceol. Cap. 13. *Sin autem*, &c. *descenderint viventes in Infernum*, Sceol; & postea: *Descenderuntque vivi in Infernum*, Sceol. Hic plane de sepulcro vox illa exponi nequit, sed de vasta quadam profundaque voragine, in quam terra sub pedibus dehiscente, absorpti sunt seditiosi viri, Core, Dathan, & Abiron. Job Cap. 14. *Quis mihi tribuat, ut in Inferno*, Sceol, *protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Næ qui ita petit abscondi, de sepulcro non loquitur, qui prope terram ipsam est, & hominibus ipsis pervium: *Sed de occultiore regione terræ*, ut inquit Drusius, qui etiam merito observat eodem pacto intelligendum esse illud ejusdem Jobi Cap. 24. *Usque ad Inferos*, Sceol, *peccatum illius*; atque adeo, & illud Cap. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna*, Sceol, *descendunt*: Sicut etiam duo illa loca Davidis, alterum Psal. 9. *Convertantur peccatores in Infernum*, Sceol, *omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum*; Alterum Psal. 15. *Erubescant impii, & deducantur in Infernum*, Sceol. Non nisi quoque de infimo sub terra loco accipi possunt textus, sive Psal. 48. *Sicut oves*, &c. in quo, *Sceol*, bis repetitur: sive Isaiæ Cap. 14. *Ad Infernum detraheris, in profundum laci*, vel ut 70. *ad fundamenta terræ*: sive Ezechielis Cap. 31. *Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos*, Sceol .... *operui eum abysso: a sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum deducerem eum ad Infernum*, Sceol, *cum his, qui descendebant in lacum: & consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis*. Et Cap. 32. v. 21. & 27. *Loquentur ei potentissimi de medio Inferni*, Sceol, *qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt*, Habes hic præter Sceol, *lacum*: habes *terram infimam*: habes commune quoddam receptaculum: habes *medium* Sceol, in quo plurimi detrusi sunt in pœnam, & ignominiam. Quid aliud cogitare licet, nisi abditissimum terræ locum, aut voraginem profundissimam?

Hæc fusius fortasse, quam opus esset, dicta sunt de germana, ac nativa significatione vocis, *Sceol*. Hanc tamen præstabilire necesse fuerat, ut de medio sublatis impedimentis omnibus, plana, & aperta via patefieret ad validissimum, quod ex voce *Sceol* in sacris libris adhibita conficimus argumentum, ut subterraneam Damnatorum sedem comprobemus. Cum enim & Veterum omnium consensu, & Scripturarum locis diligenter exploratis, in quibus vox hæc occurrit, evidens sit juxta nativam, & usitatam notionem suam significare non *sepulcrum*, *statumve mortuorum a loco sejunctum*, sed profundam voraginem terræ, aut cavitatem intimam, sive abditissima ejusdem loca, quid amplius reliquum est ad omnem argumenti firmitatem, & robur, nisi ut ostendamus etiam juxta sacras litteras in hoc *Sceol*, sive subterraneo loco existere Damnatorum sedem, sive etiam generatim animarum vita functarum? Siquidem, ut jam præmonuimus, si semel constiterit etiam justos homines antiqui fœderis abiisse post mortem in locum sub terra positum, nullus ex adversariis negat potiore titulo ibidem collocandas esse reproborum animas. Inter alios porro, qui *Sceol*, nunquam in sacris libris sumi *pro loco Damnatorum* contendunt, duo maxime sunt, Bochartus nempe explicatione artic. Symb. *Descendit ad Inferos*, & Joannes Clericus tum in notis ad Opera S. Augustini, tum præsertim lib. 1. *Bibliot. Selec.* in examine libri Jacobi Windethi Doctoris Londinensis, qui *Sceol, non raro in Scriptura pro mortuorum, & damnatorum loco accipi docuerat*: ubi etiam Scriptor ille temere affirmat, tum nullum esse Scripturæ textum satis apertum, qui ita *Sceol*, sumendum esse persuadeat, tum neque afferri posse sive ex Patribus hebraicæ linguæ peritis, sive ex Interpretibus, sive ex anti-

antiquis Rabbinis, qui hoc sensu vocem *Sceol*, interpretati sint. At quam falso hæc ab illo dicta sint, & dicantur ab aliis, qui secum sentiunt, palam ostendere facillimum est, adeoque & propositionem nostram in aperta luce collocare.

Et primum quidem ex iis, quæ notata jam sunt, perspicuum est tum Authores priscarum versionum, tum antiquos Rabbinos, tum Veteres Patres, eos etiam, qui *hebræam linguam non ignorabant*, ut Origenes, Epiphanius, Eusebius, Hieronymus, &c. *Sceol*, pro animarum vita functarum sede exposuisse, quod & luculentius ex dicendis constabit. Quod vero *suppetant textus aliqui in veteri Testamento, qui hujus interpretationis veritatem confirment*, id quod Clericus cum aliis perfracte negat, ex accurato eorumdem examine manifestum erit. Et quidem plurima loca sunt, quæ possem expendere, quorum alia clariora mihi videntur; alia, licet seorsim pari fortasse claritate non gaudeant, simul tamen sumpta plenam efficiunt probationem.

Primi generis testimonia petuntur ferme ex libro *Proverbiorum* Salomonis, in quo, cum Sapiens totus sit in erudiendis hominibus, eaque edocendo, quæ rite informandis maxime adolescentum moribus opportuniora visa sunt, non figuris uti debuit abstrusioribus, non metaphoris longe petitis, & a communi usu, & loquendi consuetudine alienis, sed plano simplicique sermone, prout Magistri manus exigit. Igitur Salomon *Cap.* 9. *V.* 13., ut a Mulieris meretricis conversatione adolescentem avocet, ejus artes, & illicia describit, quibus incautos seducit, & fascinat. *Mulier*, inquit, *stulta*, *& clamosa*, *plenaque illecebris*, *&c. sedit in foribus domus suæ*, *&c.*, *ut vocaret transeuntes per viam*, *&c. & vecordi locuta est & ignoravit*, (רפאים שם בעמקי שאול Rephaim xjam, beghuimque Sceol *Gigantes ibi*, *in profundis inferni*) *quod ibi sint Gigantes*, *& in profundis Inferni*, Sceol, *convivæ ejus*: Sive juxta hebraicum, *& non novit*, *quod Gigantes*, *Rephaim*, *ibi*: *& in profundis Inferni invitati ab ea*: eodemque modo legunt Aquila, Symmachus, & Theodotion: 70. vero: *Et nescit filios terræ apud eam periisse*, *eosque illam in Infernum usque deducere*. Hinc genuinus, ut liquet, hujusce sententiæ sensus hic plane est: quod meretrix Mulier convivas suos, aut illecebris invitatos, ac seductos transmittit ad Infernum, sive *ad profunditates*, *aut loca profundissima Inferni*, ut interpretatur Drusius, & cum eo quique graviores expositores, adeoque ad *Tartarum*, aut Damnatorum carcerem. Hunc esse sensum legitimum, nec *Sceol* hic posse intelligi vel de communi mortuorum conditione, vel de sepulcro, aut alio quocumque loco a Gehenna distincto, patet, tum quia *profunda*, *sive profunditates*, *Sceol* neutri illorum conveniunt: tum quia Sapiens revocare satagit adolescentem a domo, & blanditiis meretriciæ mulieris proposito illorum, qui ab ea seducuntur, exitu infelicissimo, qui certe alius non est, nisi æterna damnatio. Tum demum quia ibidem memorantur, ut alibi sæpe, *Gigantes*, sive Rephaim, quo nomine, ut notum est Scripturæ sacræ peritis, designari solent homines nequitia insignes, Deo rebelles, terrenarum voluptatum amatores, certoque damnati (*a*) juxta illud Cap. 21. V. 16. ejusdem libri: *Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur*: & Cap. 2. V. 16. ubi de eadem meretrice dicitur: *Pacti Dei sui oblita est: inclinata est enim ad mortem domus ejus*, *& ad inferos semitæ ipsius*: in Hebræo habetur loco Sceol, Rephaim, idest Gigantes: sed Vulgatus *Inferos* tropice vertit, ut perinde significet *tendere ad Inferos*, ac ad gen-

(*a*) Videtur hic Sapiens specialiter alludere ad Gigantes Antidiluvianos, qui eo tempore vixerunt quo omnis caro corruperat viam suam, & ingruente diluvio submersi sunt, & in Tartara dejecti: ut sensus sit: *& nescit filios terræ voluptatum illecebris captos propter meretricium periisse*, *sive præcipites corruisse in Infernum*.

gentem Inferni carceri mancipatam, & a via salutis extorrem. Hinc statim subjecit: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam*, scilicet meretricem, *non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ*. Cujus vitæ? Non temporariæ plane, sed æternæ.

Lucem ampliorem accipit hujusce sententiæ sensus ex alia, quæ legitur *Cap.* 7. ubi fusa descriptione præmissa lenociniorum mulieris Meretricis ad Juvenes seducendos, ita sermonem claudit: *Nunc ergo, fili, audi me .... Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus: multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique dejecti sunt ab ea. Viæ Inferi*, Sceol, *domus ejus penetrantes in interiora mortis*: 70. *deducentes in promptuaria mortis*: Syrus & Pagninus, *ad cubicula mortis*, alii *ad penetralia mortis*: videlicet: *viæ meretricis mulieris deducunt ad Sceol, Infernum, ad eum, inquam, locum, ubi mors intimum suum cubile habet, penetrale, vel Regiam*. De morte namque secunda, sive damnatione æterna hoc esse intelligendum, & textus ipse clamat, & quæ immediate verba præcedunt: *Et nescit* (stultus adolescens) *quod de periculo animæ illius agitur*.

Duo alia fortassis etiam clariora loca suggerit in eodem libro divinus Author. *Cap.* 15. *V.* 24. hæc habet juxta vulgatam: *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de Inferno novissimo*. In Hebræo legitur: *Via vitæ sursum intelligenti, aut super intelligentem, ut declinet de Inferno infimo* משאול תחתיה atque ita ferme Chaldæus: *Via vitæ sursum est intelligenti, ut declinet de inferno inferiori*. 70. apud Authorem Catenæ Græcæ ita vertunt: *Viri prudentis cogitata sunt viæ vitæ: præstant enim ut salvus evadat ab Inferno*. Concors est quoad sensum omnium tum Hebræorum, tum Christianorum Interpretum expositio. Ex Judæis Aben Ezra ita locum hunc commentario illustrat: „ Semita vitæ superna est intelligenti, idest sapiens laborat, ut conditoris sui voluntati obtemperet, quo carpere possit iter vitæ, quæ superna est, hoc est animæ, quæ desiderio flagrat redeundi ad Deum, Inferni sedibus devitatis, in ima sede constitutis „. Atque ita exponit etiam R. Levi Gersom. Ex Protestantibus autem unicum dumtaxat Drusium laudo ab ipso Clerico jure, meritoque magni habitum, qui in *Cap.* 24. *Jobi ad V.* 19. ait: *Vox* Sceol *sæpius infernum notat. Est enim duplex sepulcrum, unum quod proprie* קבר *dicitur: alterum, quod a Salomone* (in præsenti textu) *vocatur Infernus infra. Diciturque etiam Sepulcrum* Inferius, *& est ipse infernus, locus supplicii reproborum*. Atque eodem modo interpretantur Catholici omnes expositores, ex quibus Tirinus, & A Lapide notari volunt, tum ex aliis pluribus, tum ex hoc maxime loco evidenter constare etiam in Veteri Testamento clarissime proposita Hebræis fuisse, sicut æternam felicitatem, ita æternam calamitatem in Gehenna Inferni, a qua Sapiens studet avertere homines præceptionibus suis. Porro cum æternam hanc miseriam Salomon diserte collocet *in Inferno novissimo*, sive *infimo*, aut qui *subter*, vel *deorsum est*, a quo *declinat*, qui non terrena, sed superna cogitat, quis negare ausit efficaciter inde concludi *Sceol*, nedum pro Damnatorum carcere sumi, sed & hunc subterraneum esse, sive subter terram, & in infimis existere ejusdem penetralibus?

Ejusdem, ut mihi videtur, claritatis est locus alter, qui prostat Cap. 23. V. 14.: *Noli subtrahere a puero disciplinam .... Tu virga percuties eum, & animam ejus ab Inferno*, Sceol, *liberabis*. Quæ vulgata versio cohæret Hebraico textui, cæterisque versionibus. Hic autem vocem *Sceol* nequaquam explicari posse, sive de morte temporaria, aut mortuorum statu, sive de sepulcro, ubi cadavera conduntur, sed de Gehenna accipiendam esse aut pœnarum loco, satis exploratum est ex toto contextu. Quandoquidem Salomon, ut parentes ad filios suos, cum opus est, corripiendos inducat, ante oculos ipsorum maximum hunc exposuit correptionis, ac disciplinæ fructum, quod nempe filiorum anima ob illam a *Sceol* liberetur. Nunquid disci-

disciplina, & correptio eos a temporali morte, aut sepulcro eximunt? An non communia hæc sunt filiis, sive hominibus tum bene, tum male moratis? De sempiterna igitur morte Sapiens loquitur, sive de Gehenna, in quam præcipites ruunt, qui nullo adhibito fræno juxta desideria cordis sui ambulare finuntur. Hinc Salomon signanter dixit: *Et animam ejus ab Inferno liberabis*, ut insinuaret se non loqui de separatione animæ a corpore, sed liberatione ejusdem a carcere Inferni. Quem sensum definiunt etiam sequentia verba a Sapiente prolata, sermone ad filium converso: *Non æmulctur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die: quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur*. Quam spem in novissimo habituri sunt, qui a peccatorum semitis declinant, vitamque suam in Dei timore componunt? Num effugiendi mortem temporalem? Num evitandi sepulcri obscuritatem? Apage.

A libro Proverbiorum transeo ad libros Prophetarum, ex quibus occurrit in primis celeberrimus Isaiæ textus Cap. 14. V. 9.: *Infernus, Sceol, subter conturbatus est in occursum adventus tui: suscitavit tibi gigantes: omnes Principes terræ surrexerunt a soliis suis &c.* Locus iste plane decretorius est adversus Swindenium. Cap. namque 9. lucubrationis suæ affert, ac probat interpretationem Gualteri, & Molleri, qui locum illum differte exponunt de Inferno, sive de animarum sede. Quare cum probatum fuerit *Sceol* subterraneam voraginem designare, jam abnuere nequit *subtus terram* hanc esse damnatorum stationem. Sed non minus efficax est adversum quoscumque alios. Nam præter quam quod omnes Sancti Patres, qui de loco hoc mentionem fecere, Hieronymus, Hyppolitus, Ephrem Syrus, Eusebius, Cyrillus, & graviores quique interpretes tum Catholici, tum Heterodoxi, de Damnatorum, aut de animarum regione exponendum decernunt, ipsa prophetici textus verba non aliam explicationem patiuntur, ut erudite ostendit sæpe laudatus Vitringa inquiens: „ Fingit Vates in cantico hoc dramatico Orcum velut excitantem Reges & Principes fato functos, facientemque, ut illi junctim obviam procedant Regi Babylonis, & acerba oratione ejus casui insultent, gratantesque Sarcastice adventum in aulam Plutonis, si mihi sic loqui liceat, sive regionem mortuorum „. Atque inde pluribus explodit explicationem *sepulcri*, quam Sanctius hic adhibuerat, demonstratque fictionem orationis totam esse compositam secundum hypothesim hominum illius temporis poetice ornatam, animas nempe hominum a corporibus solutas migrare in vastam voraginem subterraneam, commune animarum receptaculum, sed pro qualitate personarum in varia loca discretum. Equidem illud fateri necesse est cum eodem Vitringa sermonem Prophetæ parabolicum esse, ac poetice ornatum, neque omnia, quæ de illo dicuntur, ad doctrinam dogmaticam pertinere, ut Ex. C. quod mortuorum animæ instruantur cognitione rerum humanarum, quod in statu quietis, & silentii sint, quod de sedibus suis exsurgere valeant &c. Sed non idem dicendum de his, quibus hæ poeticæ fictiones, & ornamenta veluti superstruuntur, ut *quod animæ Regum, & Principum, aliorumque omnium post fata superstent, & communi aliquo subterraneo loco concludantur*. „ Erat, subjicit apposite idem Author, hæc hypothesis „ communiter recepta, & quis dicere „ ausit esse falsam? Primorum sæculo„ rum Christiani omnium animarum a „ corpore separatarum sedem fecerunt „ inferiora terræ, licet diversa his assignaverint loca .... Quod si de „ piorum animabus dicendum non videatur, quis neget verum esse de impiorum, & sæcularium animabus? „ His hypothesibus superstruitur fictio, „ eæque hic nobis sufficiunt, nihil curantibus fabulosa a Poetis exteris huic „ doctrinæ adspersa, quæ occasionem „ præbuerunt impuro sophistæ (Luciano) traditiones poeticas περὶ τοῦ ᾅδου „ peri tu Adu ... juste irridendi in „ Dialogis suis. Sed factum id ab homine profani animi, vera æque, ac „ fal-

„ falſa ridere ſolito, quod nos plane „ non moratur „. Negari itaque Vitringa haud poſſe cenſuit, inferiora terræ ſedem eſſe ſaltem animarum impiarum juxta communem tum Hebræorum, tum primorum Chriſtianorum conſenſionem: idque veluti certum, exploratumque præſumi in laudato Iſaiæ textu. Quid ergo deſideratur, ut ſententiam hanc Canonici ſcriptoris, atque adeo Dei ipſius authoritate firmaram ad doctrinam Religionis dogmaticam pertinere dicamus, præſertim cum ex ſacris aliis Scriptoribus, & jam adductis Proverbiorum oraculis, non Poeticis fictionibus, & ornamentis, ſed ſimplici, & catechetico ſermone expreſſis, majorem lucem, ac robur accipiat?

Quod ſi *Sceol* in citato Iſaiæ textu ſubterraneam Damnatorum, aut mortuorum ſedem aperte deſignat, eodem plane ſenſu ſumatur oportet in ſex, aut ſeptem aliiſve Prophetiæ locis, ubi parem vim habere dignoſcitur, quemadmodum & in cap. 31. & 32. Prophetiæ Ezechielis, ubi, quæ hic de Rege Babylonio, de Pharaone iiſdem omnibus phraſibus, & adjunctis efferuntur. Alterum dumtaxat memorare lubet ejuſdem Iſaiæ textum ex *Cap. 5. V. 14*, nempe: *Propterea dilatavit, Sceol, Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino:* quem ſic interpretatur S. Hieronymus: *Infernus, & mors dilatavit animam ſuam, & devoravit in perpetuum puniendos. Infernus autem animam habere dicitur, non quod animal ſit juxta errorem quorundam, ſed quod verbis humanæ conſuetudinis rerum inſenſibilium exprimamus affectum.* Et S. Cyrillus Alexandrinus in eumdem locum: *Quæ eſt Inferno anima? locus potius eſt Infernus, & animarum miſerarum carcer horridus. Animæ igitur eorum, qui in hac vita deliciis, & voluptatibus indulgent, ad Infernum deſcendent, & implebunt quaſi ejus animam.* Suffragantur recentiores Interpretes Forerius, Vitringa, & cæteri alii. Ex quo conſequitur eodem ſenſu *Sceol* accipiendum eſſe, tum Proverb. Cap. 1. V. 12. *Deglutiamus eum ſicut Infernus*, Sceol, *viventem*, Et Cap. 27. V. 20. *Infernus*, Sceol, *& perditio nunquam implentur:* atque etiam *Cap. 30. V. 16.* In iis quippe omnibus locis ſenſus idem exprimitur.

Plura non deſunt veritatis ejuſdem teſtimonia in Pſalmis Davidicis. Pſal. 85. 13. Propheta ita Deo gratias agit: *Confitebor tibi Domine Deus meus: quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori* מִשְּׁאוֹל תַּחְתִּיָּה *Myſceol tabhtia*. Hic Regius Vates commendat, ac ſe perpetim commendaturum ſpondet inſignem, quam Deus ſibi ipſi præſtiterat miſericordiam, eruendo animam ejus ex Inferno inferiori, ſcilicet, ut ait Auguſtinus in hunc Pſal. *A talibus peccatis, per quæ poſſet deduci ad tormenta Inferni inferioris*. Senſus iſte emicat fulgentiſſime ex toto contextu, ut illum egregie commentatur Euſebius inquiens: „ Cum multa in præcedentibus bona „ dixiſſet, confeſſionem peccati neceſſa- „ rio revocat in memoriam, ut ne ex „ conceſſa ſibi venia, & ex collatis ſibi „ poſt remiſſionem muneribus mollius, „ ſegniuſque verſari videretur. Se ſe „ igitur vertit, & commovet, ac pec- „ cati ſui memoriam repetit, ut hinc „ majore erga Deum gratiarum actione „ utatur. Quamobrem ait: *Confitebor* „ *tibi*, ac ſubjicit: *Eruiſti animam meam* „ *ex Inferno inferiori*. Nam peccatum „ mortale hujuſmodi eſt, ut in profun- „ diſſimum Infernum detrahat. Cum „ enim multa ſint peccatorum genera; „ videntur alia ad ſuperficiem Inferni „ perducere, alia ad infimam, ſive, ut „ quis dixerit, ad ipſum profundum. „ Carnales ipſos Rabbinos, ſcribit Hieronymus a S. Fide, viderunt ſermonem hoc in loco non eſſe de liberatione ab aliqua temporali calamitate, ſed æterna, adeoque *gratias Deo egiſſe Davidem, quod in profundum Inferni non deſcenderit ob commiſſa peccata, quæ hujuſmodi pœnam merebantur*. Ex hoc autem loco colligere pronum eſt affines alias ejuſdem Prophetæ ſententias haud abſimili in ſenſu accipiendas eſſe, ut Pſal. 29. *Domine eduxiſti ab Inferno*, Sceol, *animam meam; ſalvaſti me a deſcen-*

scendentibus in lacum: Psal. 48. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu* Sceol, *cum acceperit me*. Psal. 88. *Quis est homo*, *qui vivet*, *& non videbit mortem*: *eruet animam suam de manu Sceol*: Psal. 14. *Quoniam non derelinques animam meam in Sceol &c.* De quo loco alibi. In his enim præter alia, *Sceol* applicatur animæ, quæ certe non habitat in sepulcro, sed alio in loco pro meritorum conditione.

Non me quidem latet postremæ huic animadversioni adversarios reponere vocem נֶפֶשׁ *Nephesc animam* nonnunquam in sacris litteris sumi pro corpore, sive pro cadavere, ut Levitici cap. 21. V. 1. juxta textum hebraicum. Hoc enim effugium præclare intercludit Genebrardus in expositione illius periochæ: *Non derelinques animam meam in Inferno*, inquiens: ,, Illic, loco nempe laudato ,, Levitici, Hebræa vox נֶפֶשׁ *Nephesc*, ,, idest anima, non ponitur pro corpo- ,, re, sed per synecdochem *pro homine* ,, *mortuo*, vel potius per metonymiam ,, *pro hominis mortui funere* sumitur, ,, pro cujus anima fiebat supremum il- ,, lud officium, ubi est mysterium curæ ,, antiquæ vivorum pro mortuorum ani- ,, mabus. Moses itaque *animam* appel- ,, lavit illic officium supremum pera- ,, ctum pro mortuo, neque respexit ,, corpus, sive cadaver. Non enim ejus ,, causa illa parentalia tam solemniter ,, fuissent peracta. Quid igitur est: *Ob* ,, *animam ne contaminetur Sacerdos?* Hoc ,, nempe: *Ob mortui hominis funus*, *&* ,, *exequias*, *in quibus pro animabus pa-* ,, *rentabatur*. Similiter Levit. 19. V. ,, 28. Hebraice sic est: *Incisionem ob a-* ,, *nimam non facietis in carne vestra*. ,, Latinus autem Interpres sic habet: ,, *Super mortuo non incidetis carnes ve-* ,, *stras*, idest *pro anima mortui*. Nam- ,, que istis locis, ut dixi, anima non ,, significat simpliciter mortuum, sed ,, animam mortui, pro qua ista perage- ,, bantur: nimirum ut olim Amorrhæi ,, pro requie animarum se incidebant, ,, putantes prodesse ipsis: & Romani ,, pro iisdem februabant, & diem ani- ,, marum celebrabant..... Unde non re- ,, peritur in hac notione nomen *animæ*, ,, nisi quando agitur de funeribus, & ,, exequiis, quasi illa fierent proprie ,, propter animam, & in favorem ani- ,, mæ, non autem corporis. ,, Hæc Genebrardus: quibus addendum puto futilissimum esse argumentum, quod ex eo loco adversarii colligunt: ut enim admiserimus vocem נֶפֶשׁ *Nephesc animam* uno, vel altero Scripturæ loco pro corpore, vel cadavere tropice sumi, nihil ex hoc confici valet, ut argumentum ex laudatis textibus depromptum infringatur. Præsumptio siquidem semper militat pro sensu, quo sexcentis aliis in locis *animæ* vocabulum accipitur. Illud ab adversariis probandum foret, vel vocem Nephesc æque in utroque significatu occurrere in sacris libris, vel peculiares esse rationes, cur in locis a me adductis sumi debeat pro corpore, vel cadavere. At id neque probant, nec probaturi sunt unquam; quin immo specialia motiva occurrunt, ut in illis Nephesc pro *anima* intelligamus, ut attente consideranti manifestum est. Sed alia quædam Davidica testimonia perpendamus.

Psal. 48. V. 15. de Impiis jam fato functis hæc scribit Regius Propheta: *Sicut oves in Inferno*, Sceol, *positi sunt: mors depascet eos*: *& dominabuntur eorum justi in matutino*, *& auxilium eorum veterascet in inferno*, Sceol, *a gloria eorum*. Germana, & quæ Hebraico textui consonat, hujus sententiæ explicatio est: *Sicut oves stolidæ*, *& brutæ ad macellum ultro*, *& gregatim cursitantes*, *in infernale stabulum coguntur impii maximo numero*, *ibi mors depascet eos*, *hoc est pabulum erunt mortis*, *& Gehennæ æternum*. *Et auxilium*, Hebraice robur, *eorum*, *seu quod a gloria eorum pristina*, *& opum affluentia promanabat*, *in Inferno deficiet*, *peribit*, *nullum erit*. Hunc & non alium esse hujus sententiæ, atque adeo, & *Sceol* legitimum sensum, liquet apertissime. Nam Propheta aliquid hic de impiis enunciat, quod de justis negat, quibus potius dominium in illos, ac præeminentiam quamdam concedit. Si de cadaveribus in

in *sepulcro* positis Propheta loqueretur, perperam dixisset eos instar ovium in stabulo gregatim, & confertim in illo collocari; & a justorum sorte segregasset. Nonne eodem modo ponuntur in sepulcro justi, & peccatores? Quodnam igitur illud discrimen esset, quod tantopere prædicat hic Propheta, dum ait: *Et dominabuntur eorum justi in matutino*, sive in principio futuri sæculi, ut explicant sacri Interpretes (*a*)? Necesse igitur est, ut hic vox *Sceol* semel atque iterum adhibita de Inferno Damnatorum accipiamus, prout reipsa acceperunt tum Paraphrastes Chaldæus, Symmachus, & Aquila: tum Veteres omnes Patres, Origenes, Hieronymus, Æphrem Syrus, Eusebius, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Chrysostomus, Ruffinus, Euthymius, Nicephorus, Cassiodorus, Haymo, Bernardus, quibus assentiuntur omnes ferme recentiores Interpretes.


Item Psal. 9. V. 18. legimus, *Convertantur peccatores in Infernum*, Sceol, *omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum*. Verbum illud convertantur non optantis, aut imprecantis est, sed simpliciter enuntiantis, quid aliquando futurum sit, idemque valet juxta vim locutionis hebraicæ, ac *convertentur peccatores in Infernum*, in eum scilicet locum, qui peccatis ipsorum debetur, iisque omnibus deputatus est, qui vel Deum minime norunt, vel ita vivunt, ac si minime nossent. Quid frigidius, aut quid violentius, quam hic *Sceol*, vel mortuorum statum in genere, vel sepulcrum interpretari? An non etiam justi, qui Deum & agnoscunt, & reverentur, ejusque mandatis fideliter obsequuntur, aliquando morientur, aut condentur in sepulcro? Oportet itaque, ut locum hunc de Inferno sumamus, in quem homines immemores Dei, præceptorumque ipsius contemptores, puniendi detruduntur. Atque ita pro loco pœnarum hic *Sceol* accipiunt Eusebius, Didymus, Chrysostomus, Tertullianus, Hieronymus, Origenes, Athanasius, Basilius, Clemens Alexandrinus, Hesichius, Ruffinus, Cassiodorus, & communiter Interpretes, ex quibus Genebrardus apposite advertit ab Hebræis in libro, qui inscribitur *Derach*; Sceol hic exponi *Gehinnon*, sive Gehennam, immo a Talmudistis *infimum Gehennæ*, aut Inferni oblitteram ה, qua Sceol exprimitur.

Plures sunt ex nostratibus, qui ut evincant vocem *Sceol* pro Damnatorum sede accipi in sacris litteris, maxime urgent loca illa duo, quæ habentur in lib. *Numerorum*, in quibus dicuntur seditiosi viri Core, Dathan, & Abiron, dehiscente terra viventes descendisse in Infernum, in Sceol. Ego tamen his insistere nolim: quamquam enim perduelles illos in Damnatorum carcerem abiisse non ambigam, haud puto hoc posse locis hujusmodi idonee probari, quod ibi *Sceol* pro vasta dumtaxat terræ voragine, in quam absorpti sunt, intelligi commode valeat. Sed nec alia plura testimonia judicio meo validiora ad id probandum conferam, cum ea, quæ attulimus, satis esse credamus, ut firmissimum conficiamus argumentum pro sententia, quam modo defendimus, de subterranea Inferorum sede. Etenim ex his, quæ copiose tractata sunt, liquet in primis vocem *Sceol*, in Testamento veteri sæpe adhibitam juxta propriam, ac nativam vim suam non significare

N 2. neque

(*a*) *Et dominabuntur &c.* Peridonea, & litteralis est hujus loci explicatio, quam Veteres Patres, & meliores Interpretes secutus tradit Bellarminus his verbis: „ Pergit narrare „ (Propheta) impiorum miseriam ad Inferos descendentium, ac dicit eos, in *Matutino* hoc „ est in principio novi, & futuri sæculi, quod incipiet in resurrectione universali, futuros „ omnino justis subjectos. Justi enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri sæcu- „ li, Judices erunt Impiorum, eisque in æternum dominabuntur: & nihil erit, quod impios „ eo die adversus justos juvare possit. Omne enim auxilium eorum, quod in robore, & pote- „ state situm erat, *veterascet*, id est inutile fiet in Inferno, *a gloria eorum*, idest post gloriam „ eorum, quam in hoc mundo habuerunt &c. „

neque mortem, sive mortuorum statum in genere a loco sejunctum, nec sepulcrum, aut tumulum, in quo conduntur cadavera, licet per metonymiam, aliumve tropum ad ea etiam significanda aliquando assumptam fuisse largiamur: sed subterraneam cavitatem, sive voraginem, aut profundiora telluris loca. Liquet etiam præterea vocem *Sceol* in pluribus Scripturæ textibus ita usurpari, ut subterraneam illam voraginem specialiter designet, quæ Damnatorum, aut saltem mortuorum receptaculum est. Quid ergo aliud hinc colligere necesse est, nisi juxta Scripturam Damnatorum locum intra tellurem positum esse, nec alibi quærendum?



CAPUT QUARTUM.

De voce ᾅδης *Adis ad Damnatorum sedem significandam in Scripturis adhibita: Quid de hac senserint recentiores aliqui. Ea neque solum mortuorum statum significat, neque sepulcrum, sed subterraneum locum, qui defunctorum animas post mortem excipit. Græcorum omnium in hac significatione consensio. Loca plura V. ac N. Testamenti producta, quæ non alio sensu explicari valent. Argumentum ex his confectum pro sede impiorum subterranea. Pauca quædam de voce* Tartarus *quæ prostat in 2. Petri Epistola.*

QUod ex hebraica voce *Sceol* pro subterranea Damnatorum sede adstruenda desumptum argumentum est; idem quoque, & fortasse quidem splendidius, validiusque conficitur ex voce græca ᾅδης Adis, qua ad inferos significandos sæpius utuntur sacræ litteræ tum novi Testamenti, tum veteris in iis Libris, quos Græce dumtaxat habemus. De propria, ac genuina vocis hujusce significatione nulli quidem deberet esse controversiæ locus, nec quidquam profecto laborandum mihi foret, ut illam præstabilirem, nisi ad hoc onus suscipiendum me quorundam Heterodoxorum morositas, ac tricæ compellerent, qui vel limpidiores notiones tenebris offundere student, ut præconceptis suis falsis opinationibus famulentur. Theodorus Beza in iis locis V. Testamenti, in quibus Adis ᾅδης occurrit, semper vertit *taphon* τάφον *Sepulcrum*. Gaspar Suicerus in *Thesauro Ecclesf.* verbo Adis, *Sepulcrum* in primis significare pertendit, sumique docet etiam *pro statu animarum post mortem corporis*, adeoque pro communi mortuorum conditione, quam sententiam secuti sunt Samuel Bochartus, Christianus Schottanus; aliique plures, præsertim ex Calvinistarum grege. Verum propria, & germana vocis hujus significatio alia non est penes tum antiquos, tum recentes doctissimos Scriptores, nisi loci cujusdam subterranei, qui defunctorum animas post mortem excipit. Dixi, hanc esse propriam, & germanam significationem ᾅδης Adis: neque enim inficias eo, nonnumquam per tropum, aut figuratam locutionem ad significandum, vel *Sepulcrum*, vel in genere mortuorum statum, ubicumque sint illi, transferri, aut saltem non incommode transferri posse: in quo turpiter, ut mihi videtur, hallucinati sunt Bochartus, & alii, qui inde collegerunt Adin ᾅδην universim denotare, vel *sepulcrum*, vel *mortuorum statum* in genere, quod hoc sensu sumi aliquando valear. Quodnam enim vocabulum est ita proprium rei alicujus, cui interdum alia significatio, præsertim analoga aptari nequeat?

Et quidem ᾅδης Adis proprie, & secundum nativam notionem suam non significare dumtaxat *mortuorum statum*, seu conditionem in genere, sed locum aliquem, aut receptaculum earumdem, comperta adeo res est, ut vel iisdem testimoniis probetur, quæ pro illa significatione Adversarii proferunt, ut satis aperte liquet consideranti textus, quos Suicerus collegit ex Ugone Brouctone Anglo, & Gerardo Vossio. Siquidem neque Irenæus, neque Tertullianus, neque Origenes, neque alii, dum dicunt tam pios, quam impios *in Adin descendere*, designanr tantummodo mortuorum statum, sed & definitum locum, aut receptaculum, in quod omnium animas, etiam justorum, ad supremam usque resurrectionem ablegari putabanr. Et certe Nyssenus in verbis ipsis ab illo laudatis, *receptaculum* nominat, *in quod omnes hinc putant animas migrare*. Hoc etiam probant verba ex *Sinaxario* relata, *justorum animas in certo loco detineri, a peccatorum tamen animis separatas:* sicut & ipsa explicatio nominis Adis ᾅδης adducta ex Theophane, scilicet: Adis *dicitur animæ domicilium a visibili ad tenebricosum, & invisibile migrantis. Nihil enim aliud hoc nomine, cum apud externos Scriptores, tum in Sacris litteris significatur, in quo animam corporeis

poreis vinculis solutam esse dicunt. Hinc autem suborta est Adversariorum deceptio, quod ipsi nolint in Ade plura distinguere animarum receptacula, aliud pro impiis, & damnatis, aliud pro justis, qui ante Christi mortem defuncti sunt, quodque de justis novi Testamenti quidam ex laudatis Patribus ad usque supremum Judicii diem credidere. Quare cum legunt apud aliquos Patres justos etiam in Adin migrare, colligendum putant eos nomine Adis non definitum locum, sed communem animarum omnium conditionem denotari.

Sed neque Adin proprie significare *Sepulcrum*, sed regionem animarum subterraneam exploratissimum est, adeo ut Henricus Stephanus Genevensium Chalcographus, qui in gratiam Bezæ etiam *pro sepulcro* Adim accipi dixerat in suo Thesauro linguæ Græcæ, nullum potuit afferre Authorem, qui hoc sensu acceperit, cum alios complures afferat, qui ea voce usi sunt ad Infernum proprie dictum significandum, in quo cruciantur impiorum animæ. Unde Joannes Scapula in suo Lexico, quod *Thesauri* Stephani compendium est, commentum illud prætermisit, scripsitque eam dictionem apud *Græcos idem esse, quod Orcum, Tartarum, Inferos* apud Latinos. Quin & ipse Beza, qui in exponendo V. T. Adim pro *Sepulcro* usurpaverat, in N. T., ubi plus quam duodecies occurrit, nunquam ausus est vertere *Sepulcrum*, sed *Inferos* semper, aut *Infernum* reddidit. Ex quo facile colligas illum vel sententiam mutasse, vel contra conscientiam suam in V. T. pro *Sepulcro* accepisse. *Nam si in Veteri*, inquit Delvius in *Adagialibus*, *cur non etiam in Novo? An forte cum lege veteri significationes quoque vocabulorum abolitæ sunt?*

Sententiam nostram extra omnem dubitationis aleam ponunt, convelluntque adversantium expositionem, Græci omnes, & qui græca lingua olim scripsere, qui τάφον *taphon* quidem ad sepulcrum, ᾅδην *Adin* vero ad animarum corpore solutarum sedem, aut receptaculum significandum constanter adhibuerunt. Immensus plane forem, si omnes, etiam cursim, persequi vellem: sed aliquorum saltem loca attigisse non inutile fuerit. Sic Homerus in ipso suæ *Iliadis* initio, Musam invocat, *ut præsto sibi sit iram Achillis descripturo, qui plurium Heroum animos demisit ad Orcum, Adin, eorumque corpora canibus prædam projecit*. Et in *Odyss. XI.* Ulysses descensum suum in Adin, sive ad Inferos describit, quos *esse*, ait, *commune animarum corpore solutarum* habitaculum, ubi multos tum olim familiarium suorum, tum aliorum, de quibus fando audierat, bonos malosque sibi obvios habuerat. Eodem sensu Adin accipiunt Theognis in sententiis: *Postquam tenebrosas sub latebras terræ iveris in ædes luctuosas Adis.* Phocilides in Carm. *Non licet* ἐν ᾅδῃ *in Inferno opes habere .... Deus animabus imperat: communia domorum tecta, & patria Adis*. Diphilus apud Clementem, alibi laudatus: *Hinc Inferorum (Adis) ponimus duplicem locum: hunc destinatum impiis, illum piis: uterque quamvis conditus terra latet*. Euripides in *Hecuba*, *in Oreste*, *in Medea*, *in Hippolyto*, *in Alceste* triginta ferme in locis, aliique Poetæ omnes. Sic etiam Plato in Cratillo *Adin* vocat *locum, in quem abit anima nudata a corpore*, quod & habet in *Phædone*, *& lib. 2. de Repub.* locum illum intra terram statuens. Sic itidem Jamblicus *in Proserp.* Herodotus *in Historia Rampsinitis*, Diogenes Laertius *lib. 2. in Vita Anaxagoræ*, & *lib. 6. in Vita Antisthenis*, Xenophon, Plutarchus, Demosthenes, Lucianus, uno verbo Authores omnes Græci, quibus adde Josephum Hebræum, qui semper vocem *Adin* hoc sensu usurpat, sive dum loquitur de Samuelis anima ex Inferis evocata, sive dum refert animarum post mortem subterranea domicilia juxta vel Pharisæorum, vel Esseniorum dogmata, sive etiam, dum hæc negasse Sadducæos memorat.

In eodem sensu *Adin* accepisse veteres Ecclesiæ Patres, adeo certum est, ut Suicerus, qui *pro Sepulcro* Adin etiam sumi asseruerat, ne locum quidem unum ex ipsis proferre potuerit clare, ac disserte assertionem suam confirmantem.

Duo

Duo quippe loca, quæ attulit, alterum ex S. Joanne Crhysostomo, alterum ex Divo Athanasio, ut minus dicam, ambigua, & obscura sunt, facileque ad sensum illum revocantur, quem cum cæteris tradunt sexcentis in locis operum suorum cæteri Patres, ut si res posceret, ostendere possem. Satis hic superque erit præter definitiones Græcorum Patrum supra jam traditas, duas aut tres alias sive Patrum, sive veterum Sacrorum Scriptorum adducere: ac in primis illam ab ipso Suicero allatam ex Theophane scribente: *Adis dicitur animæ domicilium a visibili ad tenebrosum, & invisibile migrantis. Nihil enim aliud hoc nomine tum apud externos Scriptores, tum in sacris litteris significatur.* *Non absimilis est definitio S. Hippolyti in lib. adversus Græcos inquientis: Hades locus est in ipsa creatione inconditus, inornatus, receptaculum subterraneum, in quo lux mundi non splendet.* Quibus consonat Euthymius dicens in Psal. 17. *Adis significat insuavem, & injucundum locum, qui sub terra est.* Qui plura de re hac desiderat, adeat inter alios Nicolaum Leth in laudata *Differt. de Descensu ad Inferos*. Nam diutius immorari non lubet in re penitus certa, & quæ, ut inquit Author Anglus *Historiæ Symboli Apostolici, prolixa probatione opus non habet: cum nemo sit in scripturis Græcorum versatus, qui ubique inter illos receptam non observaverit opinionem, quod hominum vita excedentium, justi illi fuerint, injustive, corpus quidem sepulcrum, animam vero Adis, sive Inferi accipiant.* Quare nec textus Scripturæ, sive veteris, sive novi Testamenti, in quibus vox *Adis* occurrit, sub examen voco. Nam ex iis, quæ mox dicemus, perspicuum fiet nonnisi de subterraneo loco intelligi posse, aut explicari. Illud solum adnoto 70. Interpretes, ubi vox *Sceol* occurrebat, vel *Adis* fere semper vertisse, vel *lacum*, quem pro ipso *Ade* acceperunt: nunquam vero Adin, & Taphon confudisse inveniuntur.

Hac autem vocis *Adis* significatione constituta, en argumentum, & quidem meo facile judicio, robustissimum, quo evincimus subterraneam Damnatorum sedem. Si enim apud veteres profanos omnes Scriptores, tum apud Judæos, tum apud antiquos Ecclesiæ Patres, eo sensu vox *Adis* usurpata est, jure plane nullo negari potest, eodem prorsus usurpatam fuisse etiam apud Scriptores Canonicos in iis omnibus locis, in quibus illam adhibuere. Si quidem, ut scite animadvertit laudatus Author *Historiæ Symboli*, cum ii Scriptores *voces ex lingua, qua utebantur Gentiles, derivaverint, alio, quam recepto significatu, eas usurpasse, dici non possunt. Quin potius sensu usitato iis usi fuerint, atque hoc ipsum, quod vulgo notabant, iis exprimere voluerint, necesse esse videtur.* Quid ergo superest, ut posita thesis undequaque firma consistat, nisi ut aliquos saltem Scripturarum textus paulisper expendamus, ostendamusque vocem *Adis* in illis nonnisi de animarum, aut Damnatorum loco intelligi posse? Et primum quidem a V. T. textibus orsa ducam.

Sapientiæ Cap. 2. a V. 1., ita Impii loquentes inducuntur: *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est, qui agnitus sit reversus ex ᾅδε ab inferis. Venite ergo fruamur bonis*, &c. Impii nimirum homines, ut pravis appetitionibus suis liberius indulgeant, suadere sibi conantur, animas simul cum corporibus interire, fabulosaque esse, quæ de bonorum præmiis, & futuris malorum suppliciis referuntur, eo quod nemo sit, qui ab Inferis reverteretur ad hæc renuntianda mortalibus: quo in loco evidens est *Adin* sive *Inferos*, nec pro *morte* sumi, nec pro *Sepulcro*, sed pro *animarum receptaculo*, in quo impii pœnas luunt. Non me latet Heterodoxos hunc, & sequentes libros non recipere tanquam Canonicos. At saltem tanquam magnæ Authoritatis abnuere nequeunt, eosque ut nobis exhibentes, quæ veteres inter Judæos persuasio obtineret. Ecclesiastici C. 21. V. 11. dicitur: *Via impiorum complanata lapidibus, & in fine illorum Inferi ᾅδε*, & tenebræ: scilicet ut Grotius, Baduellus ex Græco legunt: Ὁδὸς ἁμαρτωλῶν ὡμαλισμένη ἐκ λίθων, καὶ ἐπ' ἐσχάτῳ αὐτῆς βόθρος.

βάραθρον ᾅδου, ſive *baratrum* Inferni. Et cap. 51. V. 9. *Vita mea appropinquans erat* Inferno deorſum, in Græco: *ἡ ζωή μου ἦν σύνεγγυς ᾅδου κάτω*, ſeu profundo loco Inferni, aut, ut Grotius legit, *Orco infimo*, a quo, Dei munere, Sapiens ereptus fuerat. 2. Machab. Cap. 5. Eleazarum dixiſſe perhibetur, potius quam vetitos cibos ſimulate comedere, ſe præmitti malle in Infernum, *εἰς τὸν ᾅδην*. Plane dum ita loquebatur, de ſepulcro non cogitabat, ſed de ſubterranea regione, in quam per mortem ſe deſcenſurum credebat. Sed de his ſatis. Ad novum Teſtamentum accedamus.

Celeberrimus in primis locus eſt, planeque decretorius, qui legitur Lucæ Cap. 16. & quidem juxta vulgatam noſtram hoc modo: *Mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt in Inferno*: juxta vero Græcum textum: *Mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt. Et in inferno καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ, elevatis oculis* &c. prout legit Chryſoſtomus in *homil. de Divite, & Lazaro*, & alii Græcorum cum S. Auguſtino, ut ſit ſenſus, Divitem, qui felicitatem ſuam collocarat in opum, ac deliciarum affluentia, ſimiliter ac pauperculum Lazarum, mortuum fuiſſe, atque ſepultum. Ex omnium conſenſu, qui hic a S. Luca memoratur, Adis, Infernum ſignat, ſive damnatorum locum: quod evidenter conſtat, & ex antiquiſſima, ac juxta nonnullos temporibus Apoſtolorum coæva verſione Syriaca, quæ ſic effert: *Dives mortuus eſt, & ſepultus. Et quum cruciaretur in Inferno* &c. & ex toto ipſo narrationis contextu. Nam quod prius S. Evangeliſta vocaverat Adin, vocat ſubinde *locum tormentorum*. Nec ſane ullum inveni etiam inter Proteſtantes Authores, qui de hoc ſenſu vel dubitandum putaret. Nam & Beza ipſe, qui, ut ſupra diximus, Adin in Veteris Teſtamenti locis *Sepulcrum* verterat, hic nedum vertit *Infernum*, ſed etiam contra Brentium *cæcutire* aſſerit *in meridie, qui ex hiſtoria Lazari, & Divitis non deducunt verum locum Inferorum, ubi damnati torquentur*. Quin immo ex hac eadem parabola ſatis conſtare arbitror, nedum damnatorum locum, verum etiam *ſinum Abrahæ* hic pro loco ſubterraneo accipi. Cum enim dicitur *Chaos magnum* Lazarum inter, & Divitem *firmatum eſſe*, Græce, ut obſervat Eraſmus, habetur *χάσμα* Chaſma, quod *hiatum terræ* ſignificat, vel juxta alios *voraginem*, quod figura terræ in immenſam divergat profunditatem. Itaque, inquit Grotius præter innumeros Catholicos Interpretes, & Sanctos Patres, *Fuit Dives quidem in hade, ſed fuit in hade etiam Lazarus, diſterminatis hadis regionibus*. Nam & Paradiſus, & Gehenna, ſive ut loquuntur Græci, *Eliſii*, & *Tartara*, ſunt in Ade. In cujus rei confirmationem ſententias affert plurium Scriptorum Gentilium, & etiam Joſephi Hiſtorici, quæ probant ita, non Gentiles tantum, ſed & Judæos olim ſenſiſſe de Piorum, Impiorumque poſt mortem manſionibus: additque Adis loca appellata eſſe *ὑποχθόνια*, hoc eſt *ſubterranea*.

Sequitur locus alter apud Matth. *C.* 11. *V.* 23.: *Et tu Capharnaum nunquid uſque ad cælum exaltaberis? Uſque ἐν ᾅδου en Adu in infernum deſcendes*: ſive apud Lucam Cap. 10. V. 15. *Et tu Capharnaum uſque ad cælum exaltata, uſque ad infernum demergeris*. Senſus horum verborum emicat clariſſime ex ſcopo doctrinæ, & ex verbis antecedentibus, & conſequentibus. Huc nempe collineabat tota Chriſti oratio, ut Corozaitas, Bethſaimitas, & Capharnaitas ad pœnitentiam adduceret metu Divini Judicii, in quo ratio exigenda fuerat de beneficiis a Deo receptis, & abuſu cæleſtis miſericordiæ. Unde S. Evangeliſta ita refert: *Tunc cœpit* (Jeſus) *exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam: Veh tibi Corozain, veh tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent: Veruntamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum* &c. *quia ſi in Sodomis &c. Verumtamen*

dico

dico vobis; quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. Quis ex tota hac narratione non perspicit agi in hoc loco de punitione habitatorum Civitatum illarum non temporali, sed sempiterna, ad quam ob gratiarum cælestium abusum damnandi erunt in divino judicio, atque adeo hic Adin nonnisi pro damnatorum carcere explicandum esse?

Quædam alia loca strictim attingamus. Matth. C. 16. Christus ita ad Petrum loquitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ Inferi καὶ πύλαι ᾅδου pilæ Adu non prævalebunt adversus eam*. Nec ipse Beza ausus est vertere hoc loco aliud, quam Infernum. Palam quippe nimium est sermonem ibi esse de Satanæ viribus adversum Ecclesiam Christi nunquam prævalituris, atque *Adin* sive Infernum metonymice poni pro Inferni Principe, sive Tyranno. Actuum 2. V. 27. *Non derelinques animam meam* εἰς ᾅδου, *in inferno*. Et V. 31. *Neque derelictus est en Adu in inferno*. De Christo hæc dicta esse, cujus anima in inferno derelicta non fuit, alibi ostendendum. Apocalyp. C. 1. V. 18. *Habeo claves mortis, & inferni*, Adis, idest plenum mihi dominium est in mortem, & infernum, juxta beneplacitum meum ab iis servo, vel illis traditos ad vitam revocabo. Et Cap. 20. V. 14. *Infernus*, Adis, *& mors missi sunt in stagnum ignis*, scilicet, ut Drusius exponit, *mortui, qui erant in inferno: continens pro contento. Sic cælum ponitur pro cælicolis, & terra pro his, qui terram incolunt*. Duo alia loca suggerit idem liber nempe Cap. 6. V. 8. *Mors, &* Adis, *infernus sequebatur eum:* Et Cap. 20. V. 13. *Mors, & infernus, Adis, dederunt mortuos suos*, in quibus, ut Interpretes advertunt, *mors*, *& Adis* inducuntur quasi duæ personæ tragicæ, quarum munus est, ut altera vitam mortalibus auferat, altera jam mortuos deglutiat, & subterraneis cavernis recludat. Unde duæ hæ tragicæ personæ associantur: quos enim mors occidit, infernus devorat, & absorbet. Atque hæc omnia abunde evincunt, quod probandum sumpsimus, vocem Adin sæpe in Scripturis adhibitam juxta germanam, ac propriam vocis hujus notionem significare Damnatorum, sive animarum vita functarum sedem, & hanc esse subterraneam.

Adi subnectere placet *Tartarum*: quæ vox semel occurrit in sacris litteris, nempe 2. Petri Cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni* (juxta Græcum *catenis tenebrarum*) *detractos in Tartarum tradidit cruciandos*. Tartarum esse ubi sceleratorum animæ, ut & ipsi Cacodæmones æternum detinendi sunt, extra omnem controversiam est. At Tartarum etiam locum esse profundissimum terræ, quis ambigat? cum hoc sensu constanter usurparum sit a Græcis omnibus Scriptoribus. Nam, ut nonnulla producam, ita sumit Homerus in Iliad. sic inducens Jovem Diis inferioribus comminantem: *Aut ipsum prehensum projiciam in Tartarum caliginosum, procul admodum, ubi profundissimum sub terra est barathrum* &c. Ita Hesiodus in Theog. *Tartaraque obscura, hæc terra conduntur in ima*. Ita etiam Aristophanes, Æschylus, cæterique Græci tum Poetæ, tum Philosophi, quos inter Plato in Phædone, ubi affert, approbatque cum laude carmina Homeri. Atque eodem sensu usurpant etiam Latini, ut ex Virgilio, Ovidio, & ex aliis compertum est. Unde Joannes Clericus *Tom. 1. Biblioth. Selec. art.* 8. meritissime refellit Windethum scribentem Tartarum, de quo S. Petrus, esse quidem locum inferiorem, sed hujusce aeris nostri. Inquit enim ,, ostendi nullatenus posse communi apud ,, Græcos loquendi usu *Tartarum* ,, fuisse unquam pro aere usurpa- ,, tum. Quod si, subjicit, Pla- ,, tonicus aliquis, aut interpres al- ,, legoricus fabularum id significasse ,, putavit, nos compellere minime ,, potest ad huic assensum præ- ,, standum: cum hæc interpretatio ,, violenta admodum, penitusque ar-

„ bitraria ſit : (*a*) „ Quare novum argumentum accedit pro aſtruenda Damnatorum ſede ſubterranea.
ex hac voce, quam S. Petrus adhibuit,

(*a*) Habes ex his, unde falſitatis apertæ revincas explicationem eamdem, qua uſus eſt Burnetus in lib. *de ſtatu Mort.*, *& reſur.* ad elevandam vim Apoſtolici dicti, nimirum, cum illud ſibi objeciſſet, reſpondet *ea voce apud antiquos ſignificari mundum hunc inferiorem, atque aerem caliginoſum, quo circumcingimur, ut ſatis notum eſt eruditis: & in hunc Tartarum, ſive regionem aeris inferiorem, & impuram detruſos eſſe Angelos degeneres a ſuis ſedibus æthereis expulſos.* Quid minus veritati conſentaneum? Quid magis *eruditorum* ſententiæ repugnans!



C A-

CAPUT V.

Duo alia metaphorica nomina ad designandam Damnatorum sedem in Scripturis adhibita, quæ non minus eam subterraneam esse convincunt, Abyssi *nempe, &* Lacus. *Quid nomine* Abyssi *intelligendum veniat, exponitur. Afferuntur in eamdem rem plura Scripturarum loca. Quid proprie significetur nomine* Lacus. *Textus nonnulli sacrorum Librorum, qui illud pro Damnatorum sede usurpant, intra terram sitam esse confirmant.*

PRæter *Sceol*, & *Adis* sunt & alia in sacris litteris nomina, quibus Damnatorum sedes non infrequenter exprimitur, quæ non minus intra terram sitam esse demonstrant: & illud quidem in primis, quod in novo præsertim Testamento non semel, & iterum occurrit, scilicet *Abyssus*. Sed antequam loca promamus, propria hujusce vocis notio definienda est. *Abyssus* Græca vox est, quæ, ut notat Erasmus, idem significat, ac latina *vorago*, & hebraica תהום Theom.

Apud Scriptores profanos sumitur frequentius pro profunda voragine aquarum: apud sacros autem sæpe quidem de aquarum profunditate dicitur, sed sæpe etiam profundiorem terræ locum designat: numquam vel pro aere, vel pro alia superiore orbis terraquei parte usurpatur. Hinc Pineda in Cap. 28. V. 14. Job ad illa verba: *Abyssus dicit: non est in me*, jure meritoque Cajetanum castigat, quod textum hunc de aere intellexerit. „ Nam *Abyssus*, inquit, quantumvis (ut Hebræis placet) voraginem, & sine fundo profundum significet, nunquam pro aere reperitur. Nam semper ad aquarum profunditatem, vel ad terræ partes profundiores, & opertas aquis pertinet, atque adeo e regione opponitur superiori, & aereæ regioni: Genes. 49. 25.: *Benedicat te benedictionibus cœli desuper, benedictionibus Abyssi jacentis deorsum*. Et Psal. 106. 26. *Ascendunt usque ad cœlos, descendunt usque ad Abyssos*. „ In hanc notionem conspirant Græci Patres, qui abyssos docent esse loca infima *subterranea*, imperscrutabilia, ut Chrysostomus, Euthymius, & Nicephorus: vel *imos profundos locos*, ut Apollinarius: vel *immensam*, & *profundam aquarum multitudinem*, ut Theodoretus: id quod etiam pluribus Scripturæ locis comprobatur, quæ alio in sensu nequeunt explicari: ex quibus duo tantum, vel tria sic exposita ex V. T. sufficiat afferre, nempe Job 38. V. 16.: *Nunquid ingressus es profunda maris, & in novissimis, sive in profundis Abyssi deambulasti?* Psal. 134. *Omnia quacunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus Abyssis, in profundissimis* nempe *penetralibus terræ*. Eccles. Cap. 24.: *Gyrum cæli circuivi sola, & in profundum Abyssi penetravi*.

Hæc igitur vox, quæ subterraneum profundiorem locum proprie designat, translata est per tropum, præcipue in Novo Testamento, ad significandum Infernum, aut Damnatorum sedem; prout ex pluribus locis manifestum est. Lucæ in primis *Cap.* 8. *V.* 31. Dæmonia Christum rogasse referuntur, ne illis imperaret, ut in *Abyssum* irent. Præter SS. Ecclesiæ Patres, graviores quique Interpretes, quos inter Maldonatus, Brugensis, Grotius, Drusius, Hammondus, nomen *Abyssi* hic sumendum esse consentiunt pro Damnatorum ergastulo, adeo ut Dæmones oraverint, ne imperio Christi præcipites agerentur in Infernum, sive *Tartarum* nunquam inde amplius emersuri: & ut Grotius adnotat, *dubium non est, quod idem sit hic Abyssus, quod Tartarus apud Petrum*. Quanquam enim Dæmones, ubicumque sint, supplicium suum circumferant; quadam tamen veluti voluptate afficiuntur, dum nequitiam suam in homines exercent, summamque reputant sibi malorum accessionem fieri, sicubi nocere non possint.

Locus alter est in Epist. ad Rom. Cap. 10. V. 7.: *Quis ascendet in Cœlum*

lum? &c. Quis descendet in Abyssum, hoc est Christum a mortuis revocare? Quamquam non una, & eadem sit apud Patres, & Interpretes horum verborum expositio, in eo tamen conveniunt omnes Abyssi nomine significari, vel Infernum proprie acceptum, vel saltem imam regionem terræ. Apta, meo judicio, ac nitida explicatio est, quæ traditur ab Erasmo dicente: „ Mihi videntur hoc loco præsertim Latini Interpretes vehementer laborare, cum sensus perspicuus sit. Dixerat enim (Apostolus) ab Evangelio tantam requiri fidem. Porro fides non flagitat experimentum. Animo cernit, & suis quibusdam oculis videt, qui credit. At qui diffidit, etiam sensuum exigit testimonium, dicens apud se id, quod legitur *Deuteron. 30.: Quis ascendet in Cælum?* Idque de lege dictum Paulus interpretatur accommodans Christo. Nam id, inquit, est Christum de cælo detrahere, ut aut non credatur illic esse, aut cogatur huc reversus denuo se nostris exhibere sensibus. Aut *quis descendit in Abyssum*, hoc est, quis credet, quæ de Inferis dicuntur, nisi viderit? Hoc est, inquit, Christum a mortuis reducere, vel quasi non descenderit ad Inferos, vel quasi flagitent, ut iterum, videntibus illis, descendat ad Inferos: cum haud ita procul petenda sint argumenta rerum, si fides adsit in corde. „

Sed omnium plane certissima putanda sunt loca, quæ habentur in libro *Apocal.*, quæque nulla egent expositione, cum seipsis satis manifesta sint. Cap. 9. sic sibi factam revelationem orditur S. Evangelista: *Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram; & data est ei clavis putei Abyssi: Et aperuit puteum Abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ.* Hinc V. 11. descriptis *locustis, quæ exierunt de puteo, & habebant*, inquit, *super se regem Angelum Abyssi, cui nomen hebraice* Abaddon. Item Cap. XI. V. 7.: *Bestia, quæ ascendit de Abysso, faciet adversus eos bellum, &c.* quod & Cap. 18. V. 8. repetitur. Ac demum Cap. 20. *Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clavem Abyssi, & catenam magnam in manu sua: Et apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas .... & misit eum in Abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes.*

Quisnam realis sit, aut litteralis horum textuum sensus, nostra non interest hic attentius perscrutari. De significatione tantum quærimus vocis *Abyssi*, quæ profecto se manifesto prodit pro *Inferorum loco, & quidem subterraneo.* Proderit nihilominus audire celebres duos e Protestantium secta Scripturæ expositores in eum locum, *Angelum Abyssi &c.* Prior est Ludovicus Capellus, qui ita disserit (a): „ Angelus iste est Satan omnium Cacodæmonum Princeps, qui sic dicitur *Abaddon*, tum ob effectum: quia omnia, præsertim vero homines, perdere satagit; tum etiam locum, cui addictus est, *Abyssus* nempe, sive *Tartarum*, cujus *Angelus* ideo esse dicitur: quia locus ille ipsius, & omnium ejus sequacium supplicio a Deo destinatus est, & in eo carcere tamquam in propria aula dominatur, & regnat אבדון Abaddon autem in V. T. vox est synonima cum *Sceol*, Psal. 87. 11. Job 26, 6. 28. 22., & 31. 12., Proverb. 22. 20. Ad quæ loca videtur respexisse Joannes, cum Satanam hic vocat Abaddon ... Ita Joanni *Abyssus, & Abaddon* idem erant: & Satan ab eo dicitur *Angelus Abyssi*, & *Abaddon*: quia Tartari (qui utraque illa voce significatur) est veluti Imperator, illic proprium exercet Imperium. Nec mirum videri debet, quod nomen a loco, in quo dominatur, sit illi impositum, quando videmus in Evangelio principem multorum Diabolum „ legio-

(a) in Crit. Sac. p. 1951.

,, *legionem* ideo vocari, quod multis
,, aliis imperaret ,,.

Alter non minus illustris ejusdem loci interpres Drusius est, qui ita illum exponit (*a*)
,, Angelum *Abyssi*, hoc
,, est *Inferorum*. Supra V. I. & data
,, est ei potestas putei *Abyssi*. Tarta-
,, rum Socrates quoque apud Platonem
,, *Abyssum* vocat, quam ait esse circa
,, centrum, aquarum omnium princi-
,, pium, & originem . . . . Abaddon
,, Vox hæc aliud significat in Vetere,
,, & aliud in novo fœdere. In vetere
,, tria significat, *perditionem*, *sepulcrum*,
,, *&* *infernum*. Joannes denotat Ange-
,, lum *Abyssi*. Notatum est ex libro
,, perantiquo *Zoar* inscripto (cujus Au-
,, thor R. Simeon filius Johai: vixisse
,, creditur paulo post Christum) apud
,, Inferos duas regiones esse invicem vi-
,, cinas, & contiguas, unam, quæ di-
,, citur *Sceol*, & alteram, quæ vocatur
,, אבדון, atque in illam quidem, qui
,, descendunt, judicari, & puniri, pœ-
,, naque persoluta deinde subduci in
,, aliam habitationem superiorem, do-
,, nec penitus inde subducuntur: in hanc
,, vero, qui veniunt, nullo unquam
,, tempore, aut ævo inde liberari, aut
,, educi. Manhæmus Ricinensis in Mo-
,, sem ait, *Abaddon* alio nomine תחתית
,, qui est locus imus Inferorum: item
,, *Sepulcrum inferius*, & terram *caligi-*
,, *nis*, unde nomen exit, & habitacu-
,, lum imum omnium ,,. Hæc Drusius,

ex quibus tum legitimus apparet verborum Sancti Joannis sensus, tum obiter etiam tria illa loca, quæ intra terram distinguuntur a Catholicis, antiquissimis Hebræorum etiam fuisse perspecta, alterum scilicet pro damnatis ad æterna supplicia, alterum pro temporariæ pœnæ addictis, ac tertium demum pro animabus justis liberationem a Deo expectantibus.

Præter vocem *Abyssi* alia vox suppetit præsertim ex Testamento veteri ad Inferos significandos translata, quæ magis firmandæ sententiæ nostræ subservit, nimirum *Lacus*. Lacus, ut observat Vossius (*b*) proprie dicitur de locis terræ profundis, in quibus sunt aquæ resides: & derivatur a Græca voce λάκκος laccos, quæ proprie *fossam* signat, ac sæpius, Hesichio teste, idem est, ac *χάσμα*, *hiatus* terræ, hebraice Hor. Transferri in sacris litteris ad significandum subterraneum animarum, præcipue damnatarum, locum antiqui omnes tum Patres, tum Hebræi, tum etiam recentes saltem celebriores, Scripturæ interpretes consentiunt. S. Hieronymus in Cap. 32. Ezechielis, *Quod lacus*, inquit, *vocetur Infernus*, *perspicue psalmus ille demonstrat*, *in quo Pœnitens loquitur*: assimilatus sum cum descendentibus in lacum. Rationem cur ita sæpe vocetur *Infernus*, assignat Eusebius *in Psal.* 27. dicens:
,, Opportune autem lacus dicitur ani-
,, marum in Inferno domicilium.
,, Quemadmodum enim lacus recepta-
,, culum est aquarum desuper, & de
,, sublimi isthuc descendentium; sic &
,, mortis regio, cui nomen *Infernus*, eas,
,, quæ a supernis ex humana vita isthuc
,, decidunt animæ, excipiens jure *lacus*
,, appellatur ,,.

Sunt equidem nonnulli, qui sicut vocem *Sceol* ad sepulcra, vel ad mortuorum statum a loco sejunctum significandum trahunt, ita vocem חר Hor, sive lacum idem significare contendunt, quoties occurrit in sacris litteris. Sed summa plane violentia, & aperta contra nativum sensum, qui ex ipso textu splendidissime promicat. De Sceol jam satis diximus: restat, ut id quoque evidentius probemus de voce Hor, seu *lacus* aliquas Scripturæ sententias paululum expendentes. Et primo patet id ex conjunctione utriusque vocis, quam invenire sæpe est in libris sacris ad rem eamdem denotandam: ut Psal. 28. V. 4. *Domine eduxisti ab Inferno* Sceol *animam meam*: *Salvasti me a descendentibus in lacum Hor.* Proverb. Cap. I. V. 12. *Deglutiamus eum sicut Infernus* Sceol *viventem*, *&* *integrum quasi descendentem in lacum* Hor. Isaiæ Cap. 38. V. 18. *Quia non Infernus confitebitur tibi*, *neque mors* lau-

(*a*) in Crit. Sac. p. 1951. (*b*) T. I. V. *Lacus*.

*laudabit te : non expectabunt , qui de-
scendunt in lacum* חור Hor *veritatem
tuam* . Aliquando ponitur , ut voci
Sceol majorem addat vim, & energiam.
Sic inter alia Isaiæ Cap. 14. V. 5.
Verumtamen ad Infernum Sceol *detrahe-
ris in profundum laci* : אֶל־יַרְכְּתֵי־בוֹר

Nonnunquam adjungitur ipsi vox *in-
ferior* , vel *novissimus*; ut psal. 87. V.
7. *Posuerunt me in lacu inferiori , in
tenebrosis , & in umbra mortis*, sive ut
legit S. Hieronymus: *Posuisti me in la-
cu novissimo*. Interdum ita circumscri-
bitur , ut omnem aliam prorsus rejiciat
interpretationem . Sic Psal. 27. *Ad
te , Domine , clamabo , Deus meus, ne sileas
a me : nequando taceas a me, & as-
similabor descendentibus in lacum*. Quæ
de Inferno intelligenda esse , quæ se-
quuntur manifestant . Subditur enim:
*Ne simul trahas me cum peccatori-
bus ; & cum operantibus iniquitatem
ne perdas me* , utique in futura vita.
Hoc etiam repetit Psal. 142. *Non
avertas faciem tuam a me , & (sive
alioquin)similis ero descendentibus in la-
cum* . Quis ita desipiat , aut potius
deliret , ut hæc ad sepulcra pertra-
hat , aut ad mortuorum statum in
genere ? Sed hic præstat audire ju-
dicium Vitringæ Interpretis accurati ,
& ingenui inter Protestantes *in Cap.
14. Isaiæ* ad illa verba; *Verumtamen ad
Infernum detraheris in profundum laci* ,
sive ut legit ipse ex Hebræo , *detrude-
ris in Infernum ad latera putei* , ubi sic
ait . ,, Alterum , observatum est per
,, *latera putei* hic intelligendum esse
,, *profundissimum , sive infimum Inferni
,, locum* . Scandit enim oratio Pro-
,, phetæ, ut passim. Quippe cum di-
,, xisset : *Dejicieris in Infernum* , ac si
,, minus adhuc dixisset , quam res
,, est , aggravat dictum , subjicitque
,, mox dejiciendum *in profundum In-
,, ferni* , sive putei (voraginis , sive
,, Abyssi subterraneæ , quæ capit mor-
,, tuorum animas) : unde nulla ex-
,, pectari poterat liberatio . Interpres
,, Græcus ἢ εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς: Hie-
,, ronymus in *profundum laci* . Uter-
,, que perite , Sic sumitur vox hebraica
,, veluti in phrasibus , *penitissima spelun-
,, ca , intima navis , intimum domus ,
,, extrema terræ* , & quæ hujus generis
,, plura . Propheta ipse mox V. 19.
,, *fundamenta putei*. Intima autem, &
,, infima τοῦ ᾅδου supponuntur plena esse
,, tristitia , anxietate , desperatione :
,, summa ibi caligo, & tenebræ: nulli
,, radii lucis ,,. Juxta quem sensum si-
militer postea explicat V. 19. : *Tu au-
tem projectus es cum his qui descende-
runt ad fundamenta laci* , quem vide ,
si lubet.

Verum extat & aliud apud eumdem
Isaiam clarissimum testimonium Cap.
24. V. 22. his verbis : *Congregabuntur
in congregatione unius fascis in lacum, &c.*
Quod sic ab eodem Authore egregie
exponitur . ,, Principes hic dicuntur
,, collectionis instar vinctorum inclu-
,, dendi esse foveæ , & claudendi in car-
,, cere , & post multos dies visitandi :
,, Consentiunt hic Interpretes in ver-
,, bis : *Et colligentur collectione vincti
,, in fovea &c.* Desumpta est metapho-
,, ra, ut quisque videt, a captivis bel-
,, lo factis , aut quibusque aliis crimi-
,, nis gravioris consortibus, qui grega-
,, tim vincti , manus , pedesque ligati
,, traduntur in carcerem , & arctæ man-
,, dantur custodiæ . Nec tamen integra :
,, Spectat enim præcipue ad homines
,, sævos , & feroces , quos Principes tam-
,, quam sibi , aut Reipublicæ infestos ,
,, dum aliter coerceri nequeunt , neces-
,, se habent dare in arctam , quæsitam-
,, que custodiam , ut sævire desinant .
,, Emblema idem est , quod de Satana
,, usurpatur in Apocalypsi detrudendo
,, in Abyssum occludendam , & obsignan-
,, dam , & ibi vincto detinendo per mil-
,, le annos , *ne seduceret gentes* ,,.

Semel tantum in novo Testamento
nomen lacus pro reproborum carcere ac-
cipitur , nempe Apocal. *Cap.* 14. *V.* 19.
& 20., ubi dicitur : *Misit Angelus fal-
cem suam acutam in terram , & vinde-
miavit vineam terræ , & misit in lacum
iræ Dei magnum* . Allegorice hic describi
æternam impiorum punitionem in Infer-
no docent Interpretes communiter : ne-
que plane aliud intelligi potest præter
reproborum locum , qui divinæ iræ , &
indi-

indignationis objectum est: immo cum ibidem addatur *exisse sanguinem de lacu per stadia mille sexcenta*, Ribera, & A Lapide colligendum putant capacitatem Inferni probabiliter esse leucarum communium sexaginta quatuor in longum, latum, & profundum, quemadmodum supra adnotatum fuit: quam sententiam, ut non approbo, ita neque rejicio.

Ex his itaque omnibus obvium jam argumentum est, quod pro subterranea Damnatorum sede conficitur. *Abyssi* namque, & *lacus* nomina, quibus eam sacræ litteræ appellant, ut ut tropica sint, sive a nativa significatione translata, non alium in memoratis locis sensum exprimunt, nisi voraginis intra telluris viscera positæ. Neque opus est, ut ad argumentum amplius explicandum quidpiam addamus.



CA-

ita locutus fuerat V. 17. *Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei*: quod confirmant verba sequentia: iniquis enim Sapiens pœnitentes opponit, inquiens: *Pœnitentibus autem dedit vitam justitiæ, & confirmavit deficientes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis*. Germanus illius sententiæ itaque sensus est: ,, Iniquitates, ,, & iniqui sunt in oculis Dei, ac servantur in ejus mente, & recordatione usque ad Judicii diem. Tunc enim ,, Deus vindex exurget ad judicandum ,, omnes, atque impios, immisericordes, impœnitentes, & morientes in ,, iniquitatibus suis meritis pœnis damnabit, eosque detrudet in Infernum, sive *in interiores partes terræ* ,,.

Non minus apertus est locus ille, qui habetur *Cap.* 24. Sapient. V. 5. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*, sive ut Tigur. legit: *Imas omnes terræ partes penetro, dormientes video quoscumque, & spem in Domino ponentes omnes illumino*. Equidem hic non est de Damnatis impiis sermo, sed potius de justis: at juxta jam constitutam regulam, & ab adversariis probatam, negari minime potest sedem impiorum esse *subterraneam*, si & hæc propria tunc justorum sedes erat. Sive igitur *descensum hunc*, de quo loquitur Sapiens, de Divina Incarnata Sapientia intelligas visitante in triduo mortis, ac liberante SS. Patrum animas in Lymbo existentes, ut Expositores frequentius; sive illum metaphorice exponas per energiam dictum de potentia Dei, supponuntur hoc loco intra viscera terræ pii dormientes, & animæ sperantes in Domino, atque adeo jure potiori etiam reproborum animæ, spem nullam in Deo habentes. Quapropter sensus hujus Sententiæ est juxta Interpretes sacros: ,, Adeo ,, lux Sapientiæ meæ splendida est, ut ,, non solum illuminem gentes omnes ,, in superficie terræ degentes, sed etiam penetrem imas terræ partes, ibique inspiciam, & visitem omnes dormientes, sive defunctos, & reprobos ,, quidem terrore percellam: pios vero ,, sperantes in Domino illuminabo, hoc ,, est luce cognitionis meæ perfundam, ,, consolabor Patres omnes illuc degentes, & sperantes in Domino, & liberationem avidissime expectantes ,,. Illud dumtaxat reponere possunt Adversarii, deesse nunc in textu Græco laudata verba: sed olim non defuisse, non est dubitandum, cum ea sæpe laudaverint antiquissimi Ecclesiæ Patres.

Verum quidquid de relatis usque modo testimoniis cavillentur, qui contra nos sentiunt, effugere certe nullo modo valent authoritatem, & vim, ut mihi videtur, prorsus ineluctabilem textuum Ezechielis, quibus etiam solis tota hæc controversia dirimi, atque expediri posset. Pluribus quippe in locis Propheta iste nedum impiorum receptaculo ea nomina attribuit, *Scéol*, *Abyssi*, *lacus*, quæ supra jam expendimus, sed etiam illud conceptissimis verbis appellat *terram novissimam*, *infimam*, *ultimam*, ut ostendat non alibi, quam infra terram illud esse quærendum. De re hac differit ille in tribus Capitibus Prophetiæ suæ, nempe 26. 31. & 32. Priore loco a V. 19. hæc habet ad Tyrum, sive ad Tyri gentes, aut Principes sermone converso: *Hæc dicit Dominus Deus: cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates, quæ non habitantur . . . . & detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocavero te in terra novissima, sicut solitudines veteres cum his, qui deducuntur in lacum, ut non habiteris. Porro cum dedero gloriam in terra viventium, in nihilum redigam te, & non eris, & requisita non invenieris ultra in sempiternum*. Si velis hic κατὰ γράμμα describi excidium, sive temporarium, sive æternum urbis, aut gentium Tyri, perinde est, quoad præsens institutum meum attinet: illud enim concedere oportet descriptionem esse allegoricam, fierique hic allusionem ad futurum improborum excidium. Pro *terra novissima*, quæ hic exprimitur, in textu Hebraico habetur בארץ תחתיות *Beeretz tahhtijot* quod significat *in terra profunditatum*, vel

inferiorum, idem per hypallagen ac *in terræ inferioribus*; pro *in terra inferiori*, quod significat *terram profundam*, aut *profundum terræ*. Septuaginta legunt; *in profundis terræ*: S. Hieronymus, *in profundo terrarum*: Pagninus *in terra inferiore*: Grotius, *in terra inferorum*, atque ita cæteri. Hunc autem textum sic pulcre exponit S. Hieronymus inter alios, quos afferre possem: „ Quando detraxero te, o Tyre, „ cum his, qui descendunt in lacum, „ sive in foveam, ad eos, qui in Inferno sunt, de quibus, & in Psal. „ legimus: *Introibunt in inferiora terræ*, „ *tradentur in manus gladii: partes vulpium erunt*. *Ad populum sempiternum, ubi est fletus oculorum, & stridor dentium*. Et posuero te in *terra novissima*, in qua antiquus Draco „ constitutus est. Et sicut *veteres solitudines*, atque deserta, ubi nulla „ bonorum recordatio, sed pœnæ erunt „ sempiternæ: neque te fecero suscitari in *terra viventium*, de qua scriptum est; *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram*: & in alio loco: „ *Placebo Domino in terra vivorum*. „ *Tum redigeris in nihilum*, sive peribis in æternum, & ultra non eris, „ secundum illud, quod in alio Psalmo „ scriptum est: *Dimitte mihi, ut refriger, priusquam abeam, & amplius non ero*, non quod esse desistat, qui „ in pœnis est sempiternis, sed quod, „ qui Deo non vivit, in Scripturis „ sanctis dicatur non subsistere „.

Altero loco, scilicet C. 31. a V. 15. hæc de Pharaone & Ægyptiaco populo cum Assyrio comparato scribit S. Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus: in die, quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum Abysso . . . a sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum deducerem eum ad Infernum* (Sceol) *cum his, qui descendebant in lacum, & consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia, atque præclara in Libano . . . . Nam & ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio . . . . Cui assimilatus es, o inclyte, inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus, dicit Dominus*. Hic etiam in Hebraico, *pro terra infima*, aut ultima habetur בארץ תחתית *Beeretz tahhtit*, quæ Chaldæus vertit *terram inferiorem*, 70. *terræ profundum*: Pagninus, *terram inferiorem*, & *terram infimam*. Sermonem esse in hac prædictione de ultione divina sumenda de impiis in vita futura, vocesque *Sceol*, *lacus*, *terræ infimæ* accipi pro *Damnatorum* loco constat, tum quia *operiri* Abysso non convenit, nisi positis intra telluris viscera: tum quia Propheta loquitur de Tyranno populoque impio ad inferos descendente, ubi Gigantes gemunt sub aquis, hoc est *pelagi Abysso*. Tum demum præter alia, quia plures cum eo descendisse dicuntur ad interfectos gladio: quo satis aperte insinuat se loqui tam de insepultis, quam de sepultis, ac de descensu in commune omnium animarum receptaculum. Sed audiamus Doctorem Maximum hæc ita exponentem „ *Omnes*, ait, *traditi sunt*, subauditur, Reges, *in mortem, ad terram ultimam*, hoc est ad „ Infernum: *in medio filiorum hominum*, „ nequaquam inter arbores (metaphora quippe est in verbis Prophetæ). „ *Ad eos, qui descendunt in lacum*, „ haud dubium, quin inferna significat. Post succisionem arboris Assyriæ: „ sive in die, quando descendit ad inferos Assyrius; & *induxit Dominus luctum*: rursus per translationem de „ eo loquitur, quod opertus sit Abysso „ . . . . Et omnia flumina, omnes videlicet nationes, cum ultra rigare „ cessaverint: & *contristatus sit*, sive „ contenebratus, super eam, idest arborem, vel eum, idest Assyrium, „ *Libanus*. Ac ne putaremus de arbore „ esse sermonem, sequitur: *a sonitu ruinæ ejus commovi gentes*. Quæ enim „ tanta ruina esse unius arboris potest, „ ut ad sonitum ejus commoveantur „ universæ gentes? *Quum deducerem*, „ inquit, *eam ad Infernum*: juxta litteram arbor ad inferos deduci non „ potest. Cum aliis, qui *in lacum* idest „ ad

„ ad inferos, *descendebant*. *Et consolati* „ *sunt in terra infima*, in corde videlicet terræ, *omnia ligna voluptatis*, „ sive deliciarum: nam & ipsæ arbores cum eo, hoc est Assyrio, descendent ad Infernum: ad interfectos, „ sive vulneratos, gladio. Ligna gladiis non vulnerantur, sed cæduntur, „ nec descendunt in Infernum. Ad extremum fit apostrophe ad ipsum Assyrium, sive ad Pharaonem. Cui assimilatus es, o inclite, atque sublimis inter ligna voluptatis? Nullus „ tibi, inquit, par fuit, sed omnes „ Reges potentia superasti: & tamen „ cum cæteris Regibus, qui erant in „ comitatu tuo, ad terras ultimas, „ idest ad inferos, deductus es, dicente Scriptura: *Ingredientur ad extrema* „ *terræ: tradentur in manus gladii: partes vulpium erunt*„. Hæc Hieronymus Hebraicas voces, *Sceol*, *Hor*, *Erets*, *Tachihit* constanter sumens pro reproborum loco: ubi obiter etiam hic observes, velim, quam vere scripserit Clericus nullum esse antiquum Patrem hebraicæ linguæ peritum, qui *Sceol* pro Inferno acceperit proprie dicto. An etiam Hieronymum imperitiæ hujus linguæ insimulabit? At pergamus.

Postremo loco, sive *Cap.* 32. *a V.* 18. paria scribit Sanctus Propheta, quæ præcedentium sententiarum sensus amplius confirmant, inquiens: *Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti, & detrahe* (sive detrahendam prædices) *eam, & filias gentium robustarum, ad terram ultimam cum his, qui descendunt in lacum. Quo pulcrior es? descende, & dormi cum incircumcisis* . . . *Loquentur ei potentissimi robustorum de medio Inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti gladio, quorum data sunt sepulcra in novissimis laci* .... *ibi Ælam, & omnis multitudo ejus* .... *qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerunt terrorem suum cum his, qui descendunt in lacum* .... *ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo ejus* .... *ibi Idumæa, & Reges ejus, & omnes duces ejus, qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his, qui descendunt in lacum: ibi Principes Aquilonis omnes, &c.* Hæc tota Ezechielis descriptio ita graphice depingit nobis *sedem impiorum*, & quidem *subterraneam*, ut cæcus sit, oportet, qui eam non videat, adeo ut hæc de sepulcris, seu tumulis cadaverum interpretari pene dementia sit. Expositores proinde omnes, quos consulere licuit, in hac explicatione consentiunt. S. Hieronymus, ut & in præcedentibus, ita hic pariter *terram ultimam* interpretatus est *profundum Inferni*. 70. *profundum terræ*: Pagninus *terram inferorum*: Castalio verba illa, *deprime eum*, *&c.* exponit, *cum descendentibus in Tartara*: Munsterus & Clarius *in inferioribus partibus terræ*; atque ita cæteri. Appositissima est in locum hunc animadversio Delrii (*a*): „ Hic habet, inquit, Propheta „ *terram ultimam*, habet *lacum*, habet „ Infernum, & sepulcrum. Nec quidquam eorum eadem voce exprimitur, „ qua *sepulcrum*: nec potest apte sepulcrum significare. *Terra* tamen *ultima*, *& lacus* debent de Inferno accipi. Dicitur enim: *detrahe ipsam*, *&* „ *filias gentium robustarum ad terram* „ *ultimam cum his*, *qui descendunt in* „ *lacum*. Hebraice pro terra ultima, „ Erets Tachiol, quod Pagninus vertit „ *terram inferorum*, ne de ultimis, & „ remotissimis gentibus accipiatur. Ideo „ etiam 70. dixerunt *profunda terræ*. „ Chaldæus *terram inferiorem*, ut appareat, quæ sit illic nostra *ultima* „ *terra*. Confirmat illud *in lacum*: nam „ agitur de occisis prælio, & Hebraice „ est חור hor. 70. habent vocem genericam Βόθρον *foveam*, *&c.* Item *V.* „ 22., & 23. agitur de sepulcris: ipsa „ nominantur: *in circuitu*, inquit, *illius sepulcra ejus*: item: *quorum data sunt sepulcra in novissimis laci*. „ His locis semper Hebraice est Chebura: quæ vox sine dubio sepulcrum „ denotat: & ideo 70. vertunt aliquan-

P 2 „ do

(*a*) in Adagial.

„ do τάφον; aliquando μνῆμα *mnima*
„ *monumentum*, non vero *Adin*, vel
„ *laccon*, ut faciunt, quando de Infer-
„ no proprie loquuntur. Itaque hæc
„ (supradicta scilicet, in quibus est
„ vox chever) de proprie dicto sepul-
„ cro accipio. Quia vero in *V.* 23. men-
„ tio additur, *novissimorum laci*, ca-
„ piendum id de sepulcro metaphorico,
„ nempe *Gehenna*, translatione a cor-
„ poribus ad animas impiorum dedu-
„ cta, quasi diceret illos, qui forte in
„ terra insepulti, apud inferos sepul-
„ tos, sicut legimus de Epulone. Rur-
„ sus V. 21. *Loquentur ei potentissimi*
„ *robustorum de medio Inferni*. Et V. 27.
„ *Non dormient cum fortibus, qui de-*
„ *scenderunt ad Infernum cum armis suis;*
„ ubi non vult armatos ad Infernum
„ penetrare, sed tropica locutione si-
„ gnificat, nihil illis arma profuisse,
„ quin armati, & valentes occideren-
„ tur. Utroque loco Hebræi *Sceol*,
„ Græci uno *Adin*, altero loco *Bathos*,
„ profundum Tartari, ut capiunt Chal-
„ dæus, & Hieronymus. Vocem In-
„ ferni retinent Pagninus, & Arrias:
„ & quis dicat cadavera de medio se-
„ pulcri ad invicem loqui „? Hæc il-
le; ex quibus omnes serio & accurate perpensis tam clarum est Damnatorum sedem constitui a S. Propheta locum *subterraneum*, ut ne pervicacissimus quidem hoc inficiari possit.



CAPUT VII.

Aliæ Scripturæ locutiones, quæ intelligi commode non possunt, nisi de subterranea Inferorum sede. Nonnulla de verbo descendere, *quo Scriptura semper utitur, dum impios in Infernum abeuntes describit: sicut &* de Gigantibus, *quos subtus terram collocat. Quid apud Job veniat nomine* portarum mortis. *Duo alia Apostoli Pauli, & Joannis Evangelistæ testimonia in rem eandem producta, & vindicata.*

QUuamquam ea, quæ hactenus producta sunt Scripturarum testimonia, satis esse deberent ad Thesim nostram comprobandam, præstat tamen ad cumulum eorumdem addere locutiones alias, quæ ad illam quavis parte obfirmandam conspirant, omnemque discutiendam, si qua forte superesset, dubitationis nebulam. Et illud quidem in primis invictissimum, judicio meo, argumentum est, quod petitur ex pluribus Scripturæ textibus, quibus nititur germanus sensus ab Ecclesia Catholica continenter probatus Articuli Symboli Apostolici *descendit ad inferos*. At quoniam argumentum istud in sequenti parte hujus *Dissertationis* fuse pro rei dignitate tractabitur, ideo dumtaxat indicasse sufficiat, & ad alia progredior: illudque primo loco animadvertendum censeo, quod sumitur ex verbo *descendere*, quo sæpissime utuntur sacræ litteræ, dum aliquem referunt, aliquosve abeuntes ad Inferos, aut ad suppliciorum locum. Sic C. E. Job *Cap.* 7. *V.* 9. dicitur: *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet*. Et Cap. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Item Psal. 54. V. 10. *Descendant in infernum viventes*; Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum*, atque ita passim apud Prophetas Isaiam, Ezechielem, Baruch, aliosque V. T. Scriptores canonicos. In novo pariter Testamento Matth. *C.* 11. *& tu Capharnaum, &c. usque ad infernum descendes*, & alibi. Notum porro omnibus est, verbum istud *descendere*, designare motum a superiore ad inferiorem locum: quemadmodum e converso verbum *ascendere* significat motum ab inferiore loco ad superiorem: de quo videri potest Wolfius in Cosmol. n. 355. Adeoque juxta sacras litteras infra nos ponendus Infernus est, sive intra tellurem.

Qui contra nos sentiunt, reponere solent, duas hasce voces *descendere*, & *ascendere* haud raro usurpari in Scripturis pro *ire*, *pergere*, *tendere*, quin locum inferiorem, superioremve definiant, atque hæc afferunt exempla: *Ecce ascendimus Hierosolymam: Descendebat ab Jerusalem in Jerico: ascendit Abraham in Ægyptum*, & similia.

Verum etsi hoc concederem nonnunquam *descendere* haud significare motum in locum inferiorem: sicut nec *ascendere* in superiorem, plura tamen confluunt in locutionibus de *descensu ad inferos*, quæ plane nos cogunt, ut eo sensu determinate sumamus. Namque in primis & ipsi Adversarii diffiteri non possunt, hebraicas voces frequentius accipi hoc sensu in sacris libris: id quod sexcentis exemplis fas esset ostendere. Præterea cum de motu *ad Inferos* Scripturæ loquuntur, vocem hanc, similesque, ut *detrahere*, *deducere &c.* semper usurpant, nec uspiam occurrit opposita vox *ascendere*. Ulterius sæpe verbum *descendere ad Inferos* contraponitur verbo *ascendere*, ut apud Jobum: *Qui descenderit ad Inferos, non ascendet*: apud Psalmistam: *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in Infernum, ades*: apud Matth. & Lucam: *Nunquid usque in cælum exaltaberis, usque in Infernum descendes, & similia*. Quis autem in his locutionibus non perspicit, tum *ascendere*, tum *descendere*, non *ire*, aut *tendere* solum significare, sed motum vel in superiorem locum, vel inferiorem? Postremo mera Adversantium hallu-

hallucinatio est, dum opponunt supralaudata exempla, ut probent *descendere*, vel *ascendere* perinde esse in Scriptura, ac *pergere*, aut *tendere*. Ideo namque cum de itinere sermo est vel in Judæam, vel in Palæstinam, usurpat verbum *ascendere*, *descendere* vero, cum ab illa receditur: quia terra illa situ altior est, aut saltem esse putabatur, ac cæteræ aliæ circum regiones, atque adeo non nisi *ascendendo* ad illam tendebatur, *descendendo* autem ad alias. Hinc illud observare facile est, nuspiam in Scriptura legi *descendere* in Hierusalem: nuspiam in Judæam, aut Palæstinam, sed semper *ascendere*: quemadmodum nec legitur *ascendi* ab Hierusalem, aut Palæstina in finitimam aliam sive civitatem, sive regionem: falliturque Calmetus, dum pro sententia sua hoc etiam producit exemplum ex Cap. 13. Geneseos: *Ascendit Abraham in Ægyptum*: siquidem eo loco legitur: *Ascendit Abraham de Ægypto*, veluti ex terra situ depressiore in altiorem. Hinc ergo majus robur accedit argumento nostro. Si enim Sacræ litteræ verbum *descendere* non usurpant, nisi cum iter habetur ad locum situ humiliorem, nonnisi inferiorem locum, sive intra terram positum denotare dicendæ sunt, dum ab hac tellure nostra in infernum *descendi* perpetuo pronuntiant.

Non minus, ut mihi videtur, idoneum argumentum est, quod sumitur ex iis, quæ de Gigantum supplicio Scriptura commemorat. *Gigantum* nomine in sacris Libris venire homines nequitia insignes, superbos, rebelles, contumaces, jam supra innuimus, & sacrorum Interpretum concors opinio est textuum plurimorum authoritate subnixa, in quibus de iisdem mentio fit. Psal. 87. *Numquid mortuis facies mirabilia*, & רְפָאִים *Rephaim* Gigantes juxta Hebræum, *ad te laudandum consurgent*. Proverb. 22. V. 18. *Inclinata est ad mortem Domus ejus* (meretricis) *& ad Inferos* Hebraice *Gigantes*, semitæ ejus. Et Cap. 21. V. 16. *Vir, qui erraverit a veritate doctrinæ in cœtu Gigantum commorabitur*. Baruch C. 13. V. 26. *Non hos* (Gigantes) *elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt*. Hoc ipsum ex Isaia C. 14. V. 9. & Cap. 26. V. 14. & 19., sicut & Sapientiæ C. 14. V. 6., & Ecclesiast. 16. V. 8. De loco igitur, in quem detrusi sunt facinorosi isti damnatique homines, differens S. Job, hæc habet cap. 26. V. 5. *Ecce Rephaim*, *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis: nudus est Infernus*, Sceol, *coram illo, & nullum est operimentum exterminii*. Quam sententiam ita inter alios egregie exponit Author Commentarii in Job inter opera S. Hieronymi, qui vulgo Philippus creditur ejusdem S. Doctoris Discipulus: „ Gigantes, „ inquit, appellat Scriptura divina homines superbos, rebelles, & contumaces. Diabolus quoque, & Angeli sui propter superbiam, translato nomine, *Gigantes* nuncupantur. Quod „ autem ait *sub aquis Gigantes gemere*, „ ita inquit veluti si dixisset, *sub terra*, „ idest *in inferioribus terræ*, ubi inferi „ esse perhibentur; unde & ipsi *inferi* „ nominati sunt. Aquæ enim ejus naturæ sunt, ut sine terra esse non possint. *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*; „ qui gemitus utique de doloribus, & „ squallore tartareæ habitationis eis nascebantur „. Quod sequitur: *nudus est Infernus &c.* hunc eumdem sensum confirmat, & Munsterus in hunc locum observat, Hebræos etiam hic intelligere *centrum terræ, & interiora ejus*, & pro eodem *centro terræ*, interpretantur Clarius, Drusius, Codurcus, & alii passim (a) Novi

(a) Augustinus Calmetus hunc locum ita exponit: „ Videtur isthic vetus traditio, quæ „ docet Gigantes sub aquis sepultos esse, seu hæc sententia ex Scripturis sanctis sit deprompta, „ quæ docent Gigantes impios sub aquis Diluvii fuisse submersos, seu ex alio quodam fonte „ proficiscatur, aperte in pluribus Poetarum, atque Profanorum historicorum locis memoratur „ de-

Novi equidem quosdam non deesse, qui vocem Rephaim hoc loco intelligendam putent, vel de marinis monstris, qui versantur in aquis, vel de seminibus, & ovis piscium, aut plantis, quæ sub aquis germinant. Verum quam frigida hæc interpretatio sit, immo quam ab omni specie veritatis aliena, quis non cernat? Nullum quippe Scripturæ locum proferre valent, ubi vox illa talem significationem obtineat. Tum vero, quia allata jam verba, quæ immediate sequuntur: *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum exterminii*, eam interpretationem omnino respuunt. Etenim tenebrosa, & obscura designant perditionis loca, in quibus impii post mortem torquentur, quæ *nuda*, & aperta sunt oculis Dei. Ac demum communis Interpretum Sacrorum explicatio a nobis producta mirifice cohæret cum reliquis Proverbiorum, Isaiæ, & Ezechielis textibus, qui sane aliter exponi nequaquam possunt, sicut e contra exposita sententia minime cohæret, nec cum verbis sequentibus, nec cum textu hebraico, qui hunc sensum reddit. *Rephaim, vel Gigantes in dolore versantur sub aquis*, non secus ac incolæ obscurissimæ illius regionis.

Huic textui S. Job alium placet adnectere, qui habetur Cap. 38. V. 17. ejusdem libri: *Nunquid tibi apertæ sunt portæ mortis, aut ostia tenebrosa vidisti?* Quem locum sic apposite commentatur Pineda: „ Ad alicujus rei inferioris, &
„ elementi pertinet profecto hæc senten-
„ tia ex frequenti consensu aliorum in-
„ terpretum: sed dissentiunt in illo as-
„ signando. Nam Cajetanus de mari in-
„ terpretatur, in quod, qui descendit,
„ & enavigat, narrat, videtque ejus pe-
„ ricula: hæ sunt *portæ mortis*, dein-
„ de graviora alia quædam discrimina,
„ & imminentem mortem appellari *ostia*
„ *tenebrosa*, sive ut in Hebraico *por-*
„ *tas umbræ mortis*. Scio verbum *mor-*
„ *tis* ad pericula referri; sed mortis,
„ vel domum, *vel portas*, *vel arcem*,
„ aut *regiam* nemo constituit in mari;
„ In terra sæpe docemur in sacro Ser-
„ mone. Ergo procul dubio *de terræ*
„ *profunditate*, & altissimis specubus
„ (intelligendum est) tum propter se-
„ quentem sententiam, ubi agitur de
„ terræ latitudine, nunc autem de il-
„ lius profunditate, tum quod terræ pro-
„ funditas non semel proponatur in Scri-
„ ptura ad excellentiam, supra Cap.
„ 11. V. 18. &c. Habet autem peculia-
„ rem cognationem terra cum morte,
„ quod terra mortuos excipiat gremio;
„ tum etiam, quod illius specus, & ca-
„ vernæ speciem habeant sepulcri, im-
„ mo, &, ut Poetæ fingunt, illæ sunt
„ terræ fauces hiantes in prædam mor-
„ talium. Quare inferorum regnum di-
„ citur non esse in terra, sed potius sub
„ terra, Sapientiæ 1. V. 14. quod pro-
„ prie ex Græco legas: *Neque Inferni*
„ *regia super terram*: q. d. mors non
„ est invecta a Deo in mundum; quin
„ potius, si quid ille ad mortem perti-
„ nens in mundo constituit, abdidit in
„ viscera terræ, ibique fabricavit am-
„ plissimum quoddam sepulcrum, quod
„ exciperet eos, qui sua culpa æterne
„ mortis damnarentur. Illa igitur est
„ domus regia mortis, ubi umbræ, &
„ similitudo mortis, &, ut superius di-
„ xit C. 10. 21., illa est *terra tenebro-*
„ *sa, ubi umbra mortis & nullus ordo,*
„ *sed sempiternus horror inhabitat*: Qui
„ locus omnino adeundus est pro com-
„ mentario nostræ sententiæ. Ergo mors
„ hoc loco erit locus ille mortuorum,
„ &

„ deprehenditur. Virgilius, Gigantes in Abyssorum imo collocat Æneid. 6.

Hic genus antiquum terræ Titania proles
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

„ Homerus Iliad. 8 eos ad terræ, marisque extremitates remittit, in tenebricosa obscuritate,
„ quo viventibus accedere non licet. Scriptura quoque nobis exhibet *Rephaim*, vel Gigantes velu-
„ ti sub tellure clausos, atque in obscurissimis latebris coacervatos, &c Nihil magis simile inveniri
„ potest iis, quæ veteres Poetæ de Inferno cecinere, quam quod in Prophetis, in Proverbiis, at-
„ que in hoc loco Jobi intuemur. Sacri Scriptores hac in re juxta Gentilium populorum opinio-
„ nem loqui potuerunt „: Hæc quidem aliquo modo probanda videntur; non ita tamen, ut insinuare videtur Calmetus, quod Sacri Scriptores eas expressiones delumpserint a Gentilibus Poetis, quos longo intervallo temporum præcessere tum Prophetæ, tum Salomon, tum maxime Jobus.

,, & damnatorum in ipsis terræ visceribus profundissimus, tum etiam alii ,, profundissimi recessus, & cavernæ, atque voragines quædam altissimæ, &c. ,, Hæ igitur erunt *portæ mortis*, quæ ,, dicuntur *apertæ*, si ea, quæ abscondita sunt in imis visceribus patere possent, &c. Quod autem additur *ostia* ,, *tenebrosa*, expositio est præcedentis: ,, repetitur enim in Hebræo *portæ umbræ mortis*. 70. autem, & Græci eleganter promovent illam *portarum mortis* translationem legentes: *Aut tibi* ,, *aperiuntur metu portæ mortis: aut janitores Inferni videntes te, timuerunt?* ,, ut significet, non solum vim divinæ ,, Sapientiæ penetrantis occulta, sed etiam potestatis tremefacientis firmissimas terræ partes suo nûtu, & conspectu ,,. Hactenus Pineda, cui succinunt celebriores quique Interpretes, Munsterus, Clarius, Vatablus, & alii, quos inter Drusius ad sensum hujus loci refert, quod dicitur in Psalmo: *qui exaltas me de portis mortis: innuit autem*, subdit, *locum inferiorem*.

Altera probatio ex duabus deducitur authoritatibus Apostoli Pauli in Epistol. ad Philip., & S. Joannis Evangelistæ *in Apoc.* Prior *Cap.* 2. *V.* 10. ait: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Quibus verbis significat creaturas omnes quocumque in statu sint, quocumque in loco, cujuscumque conditionis, & gradus supremam Jesu Christi Dei, & hominis majestatem colere, ac revereri debere, sive cultu libero, atque spontaneo, sive violento, & coacto. Porro dum *cælestes* nominat, procul dubio intelligit Angelos, Sanctosque in Cælo degentes: dum *terrestres*, mortales homines, qui hanc terram inhabitant. Demum dum *infernos*, quos alios intelligere potuit præter defunctos, ac præsertim Dæmones, Damnatosque existentes in Inferno, qui Christum veluti supremum Judicem agnoscunt, & licet inviti, venerari coguntur? Quos propterea non nisi intra inferiores terræ partes collocare licet, sicut etiam liquidissime constat ex verbo Græco, quo Apostolus usus est, scilicet καταχθονίων catachthonion, sive *subterraneorum*. Atque hoc sensu sententiam hanc exponunt Sancti Patres (*a*), & graviores quique Interpretes, nedum Catholici, sed etiam Heterodoxi, ex quibus Grotius inter cæteros ita scribit. ,, Videntur per καταχθονίων hic intelligi debere ,, *mortui*, quo modo Græcis ea vox usurpari solet, ut intelligantur ii, qui ,, nunc mortui, & sub terras abditi sunt, ,, reverentiæ signa exhibituri Christo, ,, ubi nempe per eum excitabuntur ,,.

Luculentius fortasse dicendum est testimonium alterum, quod habetur *Apocalyp. C.* 5., ubi cum S. Evangelista dixisset se in dextera sedentis super thronum vidisse librum scriptum intus, & foris signatum sigillis septem, e vestigio subjicit, *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram* Græce ὑποκάτω τῆς γῆς *aperire librum, neque respicere illum*. Locus iste apertus est, eumque sic inter alios aptissime interpretatur S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialog. C.* 42.: ,, In libro quid aliud, quam ,, sacra Scriptura designatur, quam solus Redemptor noster aperuit, qui ,, homo factus, moriendo, ascendendo, ,, cuncta mysteria, quæ in eo erant, ,, patefecit? *Et nullus in Cælo:* quia ,, neque Angelus: *nullus in terra;* quia ,, neque homo vivens in corpore: *nullus* ,, *subtus terram dignus inventus est:* ,, quia neque animæ corpore exutæ ,, aperire nobis præter Deum sacri eloquii secreta potuerunt. ,, Egregia ,, quo

(*a*) Audiamus tantum ex Patribus S. Hieronymum in Caput 3. Epist. ad Ephesios: ,, Non ,, ad genua, ait, corporis, sed ad subjectionem mentis, & inclinationem animæ, cordisque obsequium pertinet . . . . Res enim spiritualis, & incorporea anima rei corporali pavimento ,, quomodo potuit adhærere? Esto quippe in nomine Jesu flectant genua *terrestria*, nunquid & ,, Angelos, cæterasque virtutes, quæ in *cælestibus* perseverant, possumus affirmare speciem habere corpoream, ut in nomine ejus flectant genu? Vel apud Inferos animas vinculis corporis ,, liberatas genu, quod non habent, esse flexuras? ,, Hæc ille certe supponens non nisi de spiritibus in Inferno detentis Pauli Testimonium esse accipiendum.

quoque hujus loci S. Hilarii interpretatio est *in Psal.* 2. ita loquentis: ,, Esse ,, hujus infernæ regionis, vastæque abyssi ,, incolas plures B. Joannis Apocalypsi ,, docemur: cum nullus *neque in cælo*, ,, *neque super terram, neque infra terram* ,, obsignatum librum dignus est repertus ,, aperire. Non utique de mortuis, & ,, in terram sepultis significare intelligi- ,, tur, cum ad tertii incolatus demon- ,, strationem, non qui intra terram, ,, sed qui infra terram, neque qui mor- ,, tui sunt, sed qui vivunt, ullum in se ,, exsignandi libri habuerint autho- ,, rem . . . . cujus rei Sacramentum o- ,, mne Beatus Apostolus Paulus expo- ,, suit dicens: *Qui cum in forma Dei* ,, *esset, non rapinam arbitratus est esse* ,, *se æqualem Deo; propter quod Deus* ,, *exaltavit illum, & dedit illi nomen*, ,, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, ,, *cælestium, terrestrium, & inferno-* ,, *rum* . . . . Non terrena sola, sed ,, superna etiam, Infernaque docentur, ,, & ea quibus terra concluditur, &c. ,,

Ad hoc Sancti Joannis testimonium jam a Bellarmino Heterodoxis objectum, hæc reponit Junius Calvinista apud Gretserum, ex quorum solutione efficacia ejusdem amplius enitescet. Primum ait locum negativum esse: *negatio autem per se nihil ponit*: deinde *in sensu figurato esse accipiendum, sicut figurate dicuntur omnes creaturæ* laudare Deum, & genuflectere coram Christo, etsi non omnibus vox est, qua laudent, nec genua, quæ flectant. Tum vero, *per illud membrum: neque sub terra*, significari in populari *sensu aquas; & maria, quæ sub terra sunt*.

Sed plane futiles hæ sunt responsiones: & prima quidem mera cavillatio est. ,, Negativus est, inquit Gretserus, lo- ,, cus Apocalypsis quoad dignitatem per- ,, sonæ, cum nemo repertus fuerit, qui ,, dignus esset signacula libri solvere: ,, affirmativus quoad locorum distinctio- ,, nem: exhibet enim nobis tria habita- ,, culorum genera, nimirum *cælestia*, ,, *terrestria, & sub terra*; sive subterra- ,, nea. Si quis diceret, neque Genevæ, ,, neque Leidæ in Holandia, neque Lau- ,, sanæ virum doctum inventum esse, ,, qui Calvini figmenta de Inferis solide ,, tueretur; an non confiteretur Gene- ,, vam, Leidam, Lausanam esse certa ,, quædam loca, in quibus homines ha- ,, bitent? Num tali in locutione inclu- ,, ditur negatio hujusmodi locorum? ,,

Ad alteram quoque parata responsio est. Nam licet in sacris litteris nonnunquam quævis creaturæ, sensu etiam, ac ratione destitutæ ad laudes Deo modo suo decantandas invitentur, propositum tamen Apocalypseos locum nonnisi de creaturis rationalibus par est explicare: tum quia contextus ipse, & verba id omnino poscunt: tum quia *aperire librum*, itemque *respicere*, sive legere, & arcana ejus mysteria reserare, actus, aut officium est soli creaturæ ratione, & intellectu præditæ conveniens: atque adeo dum dicitur, quod *nemo subtus terram inventus sit*, qui librum aperiret; seu mysteria in eo contenta reseraret, textus Apostoli de animabus illis intelligendus est, sive spiritibus, qui in receptaculis subterraneis inveniuntur. Nam si de illis non intelligatur, de quibus intelligetur, cum *subtus terram* alia substantia non sit compos rationis, & intellectus? Et ex his facile refellitur postrema Junii responsio. Indicare quippe nobis ille debet, quinam homines in aquis habitent, qui *subterranei* appellentur, inter quos nemo potuerit inveniri, qui signacula libri solvere dignus esset. An illi sunt, qui commorantur in Insulis? At quis, etiam popularem sensum secutus dixit unquam istos esse *subterraneos*, vel *sub terra* vivere? Est igitur evidens non alio in sensu textum Joannis sumi commode posse, quam a nobis explicato.

Aliud argumentum suppeditat celebre Samuelis factum, quem Scriptura refert, visum esse e terræ penetralibus ascendisse, cum a Pythonissa evocatus Sauli apparuit. Sed quoniam de hoc alibi sermo futurus est, ideo illud memorasse satis.

CAPUT VIII.

Præcipua adversariorum evasio ad laudata Scripturarum testimonia præcluditur. Quo pacto eam promoveant Anonymus quidam Author, & Campejus Vitringa. Absurda maxima, quæ ex illa consequuntur. Sapiens Cani in Scripturarum Interpretatione judicium. Argumentum expenditur ex Scripturæ locutionibus desumptum de motu Solis, ac stabilitate terræ a Copernicanis tropice explicatis. Plures in illud animadversiones, quæ nullius roboris esse ostendunt. Daniel Cramerus Lutheranus castigatus.

PRopositis Scripturarum textibus, ita plures ex Adversariis convincuntur, ut ingenue fateantur sacra Eloquia Infernum, sive Damnatorum Carcerem exhibere nobis, ut *subterraneum locum*, sive *intra terræ recessus* constitutum, præsertim cum nuspiam in iis occurrat locus alius, in quo alibi quam intra terras posuerit. Nihilominus ab hac, qua premuntur, divina authoritate elabi se posse existimant hac animadversione, quam ipsi sibi fingunt valde verisimilem; Scripturam nempe, se vulgi opinioni accommodasse, retinuisseque popularem legendi consuetudinem. Inter alios, qui viam hanc consectantur, recenseri in primis potest Anonymus Anglus Author *Historiæ Symboli Apostolici*, qui in expositione articuli, *descendit ad inferos* tradit: „ locutiones Scripturæ (ut etiam „ Patrum), quoad Inferni locum orras esse a recepta apud plerosque opi„ nione, quod *sub terra animarum se„ paratarum receptacula*, vel in ipsis ejus „ visceribus delitescant, unde & *Inferi* „ nomen apud Latinos, & κατωχθονιοι „ apud Græcos, itemque κατωτέρω „. Huic suffragari videtur Campejus Vitringa in expositione C. 13. Isaiæ ad illa verba, *Infernus subter &c.*: ibi enim docet primum, ut supra jam recitavimus, *Orationem Prophetæ totam esse compositam secundum hypothesim hominum illius temporis poetice ornatam, animas nempe hominum a corporibus solutas migrare in vastam quamdam voraginem subterraneam, commune animarum receptaculum, & ex ipsis desumptas esse locutiones Sanctorum de statu defunctorum, &c.*: Additque subinde „ ex fictione illa parabolica non „ esse plus colligendum, quam ad sco„ pum ejus facit, nec petendam doctri„ nam Religionis vere dogmaticam, ne „ idem vitium committamus, quod ve„ teres, qui ex Parabola Domini de Di„ vite, & Lazaro, & utriusque post „ mortem fato, collegerunt, *sinum Abra„ hæ esse infra terram*, & proximum „ loco damnatorum, qui *Gehenna* dici„ tur, aut qui ex phrasibus *finis cælo„ rum, portæ inferorum, clavis Abyssi, &c.* „ colligere vellet cælis, qua terram te„ gunt, esse suos terminos, atque adeo „ terram non esse rotundam, Inferni esse „ *portas*, & quidem nonnisi *clave* ape„ riendas „. *Fictiones*, subjicit deinde; *parabolicæ, & figurata, & similis generis loquendi modi fundantur super vulgares hypotheses, de quibus hypothesibus ipsis interea, num vera, vel falsæ sint, nihil definitur*. Addit nihilominus: *Verum tamen est, præcipuas hypotheses, in quibus fundata est hæc figura* (Prophetæ Isaiæ), *satis esse vero consonas. Animas enim Regum, & Principum superstare post fata, & quidem cum sensu sui status, & in communi aliquo loco, sive Adi quis neget? . . . . . Locum illum esse infra terræ superficiem hic quoque supponitur, fateor, sed erat hypothesis communiter recepta, & quis dicere ausit esse falsam?* Hæc Vitringa: ex quibus constat hunc Authorem sententiam de Inferni loco *subterraneo* profiteri apud Veteres fuisse communem, nec posse falsitatis convinci, quin neque absque audacia repudiari (*& quis ausit dicere esse falsam?*) At veritatem ipsius astruendam non esse veluti dogmaticam; & Scripturarum testimoniis comprobatam: quoniam hæ vulgari opinioni hominum in locutionibus suis se se attemperarunt.

Quamquam non ille ego sim, qui velim

velim omnia contemnere, quæ in hac Vitringæ animadversione asseruntur, quin potius nonnulla, ut plausibiliter, & vere dicta approbem, uti sunt illa præsertim, quæ *de finibus cælorum*, *de Inferorum portis*, *de clave Abyssi* effert; quæ figurata esse nemo sapiens non intelligit. Non idem tamen judicium fieri debere contendo de Scripturarum locutionibus, in quibus de subterranea Inferni sede sermo est. Plura siquidem sunt, quæ in sensu obvio, ac nativo, quem præferunt, sumendas esse demonstrant, atque adeo colligendam ex illis doctrinam vere *dogmaticam*, sive quæ ad Dogma Ecclesiæ quadantenus pertineat, aut saltem revocetur, ut proinde nonnisi ausu temerario rejici, multoque magis, quod nonnulli faciunt, irrideri queat. Ac in primis si adducta responsio semel obtineat in re, qua de agimus, nihil, meo facile judicio, tam clarum est in sacris Scripturis, tam exploratum, atque diserte assertum, quod constans, & firmum sit, nihil quod pro cujusque arbitratu, ac voluntate eludi nequeat, semperque Scriptura docebit, quod nos ipsi volumus, non quod Sanctus Spiritus docere nos voluit. Si enim tot luculentissimi textus, quos pro *subterranea* impiorum sede produximus ex libris fere omnibus utriusque Testamenti tum propheticis, tum asceticis, tum etiam historicis, non ad veritatem rei demonstrandam prolati, sed juxta vulgi opinionem expressi existimari possunt, quænam, amabo, erit in sacris litteris verbis adeo perspicuis expressa veritas, quam æque hac responsione eludere non liceat? Non ne etiam, E. C., in illis, quæ de animæ immortalitate, de bonorum præmiis, & malorum suppliciis, de finali judicio, &c. Scripturæ memorant, eodem jure respondere fas erit, Scriptores sacros ad inolitas in populo se accommodasse opinationes, communemque retinuisse loquendi consuetudinem, prout re ipsa non sine sapientum omnium indignatione, & horrore dixere ex Socinianis nonnulli (*a*)? Profecto non video, quo potiore fundamento colligi certe putet Vitringa ex laudatis Isajæ verbis; *animas hominum superstare post fata, & in communi aliquo loco versari*, si colligi certo nequeat easdem esse in subterranea regione, id quod eadem sententia a Propheta, Vitringa ipso fatente, pronunciatur.

Verum ut ut concedamus Vitringæ, Prophetis in more fuisse positum, fictionibus parabolicis uti, ac vulgaribus hypothesibus superstructis; id sane nec Vitringa, nec quisquam alius, ut arbitror, asseret de cæteris sacris Scriptoribus, sive *asceticis*, sive *historicis*, qui simpliciore stylo, ac loquendi genere utuntur. Porro easdem, ac Isajam, & Ezechielem, &c., de loco Inferni locutiones adhibere canonicos alios Scriptores, Mosem, Davidem, Salamonem, Evangelistas, Apostolos ex dictis compertissimum est. Si & hos, non ex propria, sed ex vulgi sententia locutos dixerimus, quisnam in cæteris quibuscumque rebus proprius sit, & receptus Scripturarum sensus qua firma ratione detegere possumus? Præstat hic audire gravissimum Virum Melchiorem Canum ita eleganter æque, ac solide, de more, pari in argumento disserentem *lib. XI. Cap. 5.*: „ Si ad hanc „ regulam, inquit, liceret Scripturæ „ historias interpretari, diceremus, „ cum Apostolus ait Saulem regnasse „ 40. annis, cum vulgo loquentem hoc, „ quod fama crebrior haberet, dice„ re voluisse . . . . . Diceremus rur„ sum Matthæum *virum Mariæ Jo„ sephum* appellare, non quod reve„ ra esset, sed quod vulgo esse cre„ deretur: turbatum quoque Hero„ dem, & omnem Jerosolymam cum „ illo, non re quidem, sed opinio„ ne

(a) Collocutores Raccovienses apud Claffenium T 8 Collect. Gronovii ita scribunt: „ Animadvertendum est Christum, & Apostolos coactos fuisse quodammodo hominum opinionibus, quæ tunc plerumque vigebant, se accommodare: quemadmodum satis aperte docet Parabola Divitis, & Lazari. Nam aliquem in Inferno fuisse, & ibi torqueri, alium in sinu Abrahæ decumbere, sunt plane fictitia, & similia his, quas Poetæ de Ixione, Sisipho, Tantalo scribunt. „

„ ne vulgi : mortuum denique , si ita „ placet , esse Christum non vere , „ sed ad vulgi existimationem appa„ renter . Certe si consuetudinis Scri„ pturarum est , ut opinationem mul„ torum sic narret historicus , quo„ modo eo tempore ab hominibus „ credebatur , omnia , quæ de Na„ buchodonosore, Dario , Cyro, Ale„ xandro , Samsone , Machabæis Scri„ ptura refert , poterit quis inficias „ ire , quod videlicet Authores sacri „ ea narrarint , quæ vulgo erant per„ suasa, non quæ ipsi vera esse credi„ derint . Quod quam sit dictu hor„ ribile , ac pertimescendum , nemo „ fidelium non videt „.

Præterea cur potius ex tot Scripturæ sententiis non colligamus ipsam authoritate sua confirmasse communem apud omnes opinionem de sede Inferni , quemadmodum de pluribus aliis popularibus opinionibus animadvertunt Sancti Ecclesiæ Patres , sacrique Interpretes ? Vitringa ipse candide professus est vulgarem hanc hypothesim veritati consentaneam esse , nec nisi temere , & audacter posse quemquam veluti falsam traducere , *& quis ausit* (verba ejus sunt) *dicere esse falsam* ? Si igitur nemo illam falsitatis convincere valet, si nonnisi temere eam traducit ut falsam , quid quæso erit , quominus a Scriptura probatam, suoque testimonio munitam asseramus? Quo fundamento existimabitur noluisse Deum authoritate sua confirmare sententiam, quam pluries ipse per canonicos Scriptores conceptissimis verbis tradit , ac docet ?

Sed ulterius regula est in sacrarum litterarum explicatione ab Expositoribus communiter admissa, &, si alias, hic plane admittenda, nempe , *a litterali Scripturæ sensu, & a propria vocum significatione recedendum non esse , nisi efficax aliqua occurrat ratio , quæ cogat omnino eam aliter interpretari* . Porro nullam in præsenti controversia rationem efficacem occurrere , quæ recedere nos cogat a sensu proprio locutionum Scripturæ de sede Inferni , certissimum est. Nam a nemine adhuc hæc sententia impossibilis demonstrata est , neque sane demonstrari poterit, conatusque omnes a Swindenio adhibiti , ut hoc persuaderet, quam ridicularii sint, & inutiles jam in priore hujus Operis parte abunde ostendimus. Sed neque absurda ullatenus dici potest. Quis enim in ea absurditatem ullam concipiat ? Rationes etiam siquæ sunt aliæ ab illo Authore productæ futilissimas esse validissime probatum est. Quid ergo obsistere contra valet, ne in proprio, ac litterali sensu, quem præferunt Scripturarum verba, accipiamus ? Atque hinc facillime corruunt a Vitringa, & ab aliis exempla opposita. Cum enim Scriptura memorat *cæli , ac terræ extremitates* , eas esse intelligendas quoad apparentiam , evidens ratio , & experientia convincunt , immo & sacra ipsa Scriptura , quæ aliis in locis *cælum terramque sphærica esse* aperte tradit. Pariter *Inferni portas, & claves Abyssi* in sensu tropico sumendas esse quis statim non intelligit ? Hujusmodi quippe metaphoræ sive figuratæ locutiones , in oculos cujusque legentis incurrunt ; nec sane dicuntur illæ juxta communem hominum opinionem, quæ nunquam extitit, quod in Inferno vero *portæ* aliquæ existant *clavibus aperiendæ* .

Unicum, quod hic Adversarii urgere valeant, argumentum alicujus apparentis roboris, ex illis petitur Scripturarum locutionibus, in quibus de mobilitate solis, ac immobilitate terræ sermo est . Has namque ita Copernicani systematis defensores exponere se commode posse arbitrantur , ajentes Scripturas se se ad vulgi opinionem accommodasse , ac retinuisse communem loquendi consuetudinem, ut ad rudis popelli sensum , & captum se attemperaret : quod responsum Ecclesia nulla hactenus censura inussit , & viri plures sapientes, atque Catholici defendunt .

Verum neque exemplum hocce, quod cæteris validius apparet , adversum sententiam nostram quidpiam emolumenti Adversariis conferre , facile quivis perceperit , qui hæc , quæ subjicio, attente consideret. Et primum quidem fateor , nondum Ecclesiam, aut Apostolicam sedem

tidem damnasse sententiam de telluris motu, solisque immobilitate, neque pro hæreticis habuisse, qui eam sunt amplexi; attamen jure, ac merito propter plura Scripturarum testimonia, quæ adversa videntur, vetuisse, ne illam quispiam veluti thesim tueretur, quousque evidens aliqua inventa foret demonstratio, quæ cogeret Scripturæ textus per metonymiam, aliumve tropum interpretari: quod Decretum vel ipsi probarunt, probantque sapientiores, & æquiores inter Protestantes: Ea quippe Scripturæ verbis debetur reverentia, ut ab eodem litterali, & obvio sensu non recedamus, nisi urgentissima aliqua ratio compellat. Quanto igitur potiore titulo recedere nefas ab obvio, & litterali sensu Scripturarum, quæ de *subterranea Inferni sede* loquuntur, cum nulla nos cogat ad id demonstratio, nec ullum contra absurdum apponatur?

2. Copernicana hypothesis, quamquam certa non sit, nec demonstrativa ratione probata, nititur tamen conjecturis, sive congruentiis nonnullis, quæ illam haud inverisimilem apud permultos Astronomos efficiunt. Non ita asserere fas est de opinione, quæ intra terram impiorum sedem constituit. Nulla namque, vel solum probabilis, ratio adhuc producta est, sed neque, ut arbitror quidem, producetur impofterum, quæ eidem adversetur; neque enim quas Swindenius attulit post improbum totius ingenii sui laborem, atque conatum, cordatum virum movere valent. Quare nihil plane est, cur hac in re deferere debeamus proprium, ac litteralem Scripturæ sensum, aliumque supponere verbis ejusdem omnino repugnantem.

3. Non sine verisimili aliqua ratione dicunt Copernicani divinam Scripturam in asserenda mobilitate solis, ac immobilitate terræ, se ad vulgi sensum accommodare, ita ut, non quæ reapse sint, sed quæ nobis videntur, enunciet. Nam revera ita sensibus nostris apparet, nec aliud ignarum vulgus percipit, atque comprehendit. At vero subterranea impiorum sedes, nec aspectui nostro subjecta est, nec ullo alio sensu percipitur, solaque authoritate credimus, ac tenemus. Quid enim est aliud, quod in hanc communem opinionem inducere homines potuerit, nisi sola authoritas a vetustissimis usque temporibus, ut supra jam adnotavi, profecta, & in nationes omnes derivata, atque a Deo revelatione primis nostris parentibus facta, ac deinde sacrarum Scripturarum authoritate firmata? Ex quo sententiæ nostræ novum robur accedit.

4. Denique, idque permaxime observare velim, observantque plures ex ipsis, qui Copernicanam hypothesim, vel consectantur, vel non improbabilem judicant, quod scilicet in rebus ad Physicam, Geographiam, Astronomiam, cæterasque liberales artes pertinentibus, quandoque in Scripturarum interpretatione ea regula uti liceat, quod vulgarem retineant loquendi consuetudinem, seque ad rudis populi attemperent opinionem, atque sensum: Non enim, ut inquiunt, Deo per suas Scripturas loquenti is scopus extitit, ut *inanem erga res haud scitu necessarias, erga mundi elementa, erga alia sive cælestia, sive terrestria corpora curiositatem hominum pasceret*, vel eadem accurate traderet. At nefas hoc esse consentiunt in rebus aliis, quæ vel fidei, morumque doctrinam spectant, vel eidem illigata, connexaque sunt. Quis porro negat sententiam de sede Inferni ad dogma proxime pertinere de futura impiorum ultione a Deo exigenda, vel saltem cum illo veluti implicari, atque copulari: quemadmodum & piorum beatissima sedes cum ipsorum sempiterna felicitate conjungitur? Ex quibus omnibus serio animadversis efficitur vim nullam inesse adversum sententiam, quam defendimus argumento, quod ex Scripturæ locutionibus de motu solis, terræque stabilitate ad vulgi sensum a Copernicanis explicatis, Adversarii repetunt, aut repetere facile possunt.

Verum hoc loco prætereundus omnino non est Daniel Cramerus Lutheranus, qui in suo libro *De descensu Christi ad Inferos Cap. 5. pag. 166.* &c. aliam excogitavit responsionem, qua conatur eludere vim textuum omnium sacræ Scripturæ, quibus subterranea Damnatorum sedes

fedes adſtruitur. Tradit ille in primis *Enthuſiaſtam eſſe, ac temerarium*, qui Inferni locum definire nititur in inferioribus terræ partibus. At nonne has Scriptura ſæpe memorat? Nonne iis nominibus, ac locutionibus utitur, quæ ſubterraneum eſſe aperte deſignant? Hoc utique fatetur Cramerus, ſed explicandæ non ſunt, inquit, locutiones illæ prout ipſæ ſonant, verum in ſenſu *myſtico, ac ſpirituali* intelligendæ, adeo ut non ſitum, ſive ſedem Damnatorum ſignificent, ſed potius *indignitatem, & abjectionem eorumdem, quæ per corporalium rerum ſimilitudinem congruenter delineantur. Liquet hoc ex oppoſito*, ſubdit, *ex Paulo; ille enim, cum myſticam ſublimationem cordium a nobis requirit, eadem* ἀνθρωποπαθείᾳ *anthropopathia utitur, inquiens Col. 3. V. 1. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, ubi qui ſibi geometricam aliquam menſurationem fingit, deſipit, & jam eo ipſo, non quod ſurſum, ſed quod deorſum eſt, ſapit. Idem Paulus, dum ſedem Beatorum, ubi Chriſtus viſibiliter, & glorioſe verſatur, in eminentiſſimam, & ſupremam tollere vult ſublimitatem, eam ſuper omnes cælos cælorum extollit, Epheſ. 4. V. 10. Ergo quoque ex oppoſito de Inferno dicendum, non quod Infernus ſit in infimo, & intimo terræ centro, ad quod animæ damnatæ cum Virgiliano Ænea deſcendant, ſed quia nihil eſt in mundo remotius, profundius, abjectius, & abſtruſius, quo extremitatis hujus infernalis immenſurabilitas, & diſtantia a Dei gratioſa luce poſſit vel leviter ſaltem adumbrari. Et hæc eſt vera ratio, cur Damnati, & qui a Deo abſunt,* καταχθόνιοι *dicantur*. Atque eodem modo exponere adnititur Tertulliani ſententiam, diſertiſſime licet Inf. ros intra tellurem collocet.

Diſpendium operæ plane facerem, ſi hæc pluribus refellenda ſuſciperem: cum jam ſponte ſua corruant, & quam ea ſint imbecilla, quin & abſurda, facile quiſque perſpiciat. Ubi enim *myſticæ* ſolum, ac *ſpiritualis* locutionis odor, aut ſapor in tot Scripturarum textibus a nobis allatis, qui de Inferno, & Damnatorum ſede loquuntur? Nonne tot recitata nomina *Sceol, Adis, Lacus, Terræ Infimæ, Terræ Inferioris, Terræ Noviſſimæ*, totque alia verba, atque expreſſiones, locum aliquem determinate deſignant, *non indignitatem*, aut *abjectionem*? An in omnibus Scripturæ libris exemplum invenias, ubi vox aliqua communi omnium ſenſu, ac intelligentia recepta, ac pro materiali quodam loco uſurpata, perpetuo ab illis in myſtica ſignificatione ſumatur? Quid deliras dum in exemplum affers, quæ de feliciſſima Beatorum ſede nobis ediſſerunt ſacræ litteræ? Etiamne hæc myſtice accipienda putas, adeo ut non ſublimem locum, ſed ſublimem gloriam dumtaxat exhibeant? Hoc igitur etiam fateare neceſſe erit, neque Chriſtum Dominum in ſuperiorem aliquem locum aſcendiſſe, ſed illuſiſſe diſcipulis ſuis, cum *videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Profecto ſi ita explicare fas eſt clariſſima Scripturarum teſtimonia, nutant omnia, quæ ab illis traduntur, nihilque tam certi, aut exploratì ex iis haurire poſſumus ad doctrinam aliquam aſſerendam, aut confirmandam, quod myſticæ locutionis beneficio facillimo negotio non eludatur, ſicut in alio argumento adnotatum eſt a Tillotſono Anglo adverſum Socinianos. Sed hæc ad hoc diſſipandum figmentum plus quam ſatis. Namque ineptirem plane ipſe, ſi ineptientem hominem diutius perſequerer.

CAPUT IX.

Perpetua Ecclesiæ traditione sententia de sede Inferni subterranea roboratur. Hujus testes sunt Sancti Patres. Ignatii Martyris, Justini, Theophili, ac Clementis Alexandrini testimonia. Eam constanter docuerunt Origenes, ac Tertullianus. Alii primi, secundi, ac tertii Sæculi Patres Ecclesiæ producti.

PErvulgatæ inter Christianos Sententiæ de Sede Inferni subterranea, quam hactenus ex Scripturarum testimoniis ostendimus, majus robur accedit ex perpetua Ecclesiæ traditione, cujus testes sunt, ac interpretes egregii Sancti Patres, a quorum concordi doctrina Christiano viro secedere neutiquam licet. Horum sententias de hac re præstat exponere, ut revincantur nuperi quidam Heterodoxi, quos inter *Usserius*, qui veteres Patres de loco Inferni differentes, in contrarias opiniones distractos fuisse, mira confidentia, deprædicant. Equidem nec Patres omnes, nec omnes eorum textus, quos afferre fas esset, huc congeremus, tum ne prolixiores simus, quam oporteat, tum etiam quia plurimi referendi sunt *in Tertia hujus Dissertationis parte*, in qua de Articulo Symboli, *Descendit ad Inferos*, disputandum erit. Quoniam, ut non semel diximus, quæ probant extitisse etiam justos homines in inferioribus partibus terræ, eo validius conficiunt in iisdem existere Damnatorum Spiritus, atque illic futuram sempiternam eorumdem sedem. His igitur modo prætermissis textibus, nonnullos adducam dumtaxat, quos ad perennem Ecclesiæ traditionem colligendam sat esse existimo.

Patrum omnium chorum ducat S. Ignatius Martyr, qui in Epist. ad Trallenses (*a*) ita scribit: *Jesus Christus vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato: vere crucifixus, & mortuus est, videntibus cælestibus, terrestribus, & subterraneis*, ἐπουρανίων, ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων: vel ut apud Theodoretum ὑποχθονίων. Sive nomine ὑποχθονίων, aut καταχθονίων *Ipoctonion*, *aut catactonion* cacodæmones intelligas, sive defunctorum Spiritus, quos Christus invisit post mortem, subterraneos agnovisse S. Ignatium admittere cogeris.

S. Justinus Martyr, sive quicumque ille sit, antiquissimus certe, Author Quæstionum ad Orthod. quæst. 75. inquit: „ Post exitus animarum e corpore, illico justi ab injustis segregantur: abduntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudine, & aspectu fruuntur Angelorum, & Archangelorum, &c. Injustorum autem animæ in ipsius Orci loca pro eo, atque dictum est de Nabuchodonosore Rege Babylonis: *Infernus subter exacerbatus est in occursum adventus tui*, & cætera. Et asservantur quæque in locis se dignis usque ad resurrectionis, & compensationis diem „. Legendus quoque indubius S. Justinus in Cohortatione ad Græcos, ubi refert, approbatque tamquam a Mose, & Prophetis deprompta, quæ de Inferis, eorumque pœnis prodidere Plato, & Homerus, quos plane eorumdem situm in visceribus terræ posuisse extra controversiam est.

S. Theophilus *lib. 2. ad Autolycum* de Inferis loquens refert pariter veluti quoad substantiam rei, loci improborum veritati consentaneum Hesiodi effatum: *Tartaraque tenebricosa in recessu terræ spatiosæ*: & infra, Homeri carmina dicentis: *Anima ex membris avolans in Adin descendit*: & etiam alibi: *Sepelite me ut quamprimum portas aidu Inferni transeam*.

S. Clemens Alexandrinus præter Diphili Comici carmina superius laudata, profert hæc *lib. 5. Strom. Quid vero* non

(*a*) Tom. 2. Cotelerii pag. 23.

non novit Plato? Et fluvios ignis, & *terræ altitudinem* (sive profunditatem), *eam, quæ a barbaris gehenna vocatur*, Tartarum *nominans* prophetice &c., & *quædam hujusmodi, quæ ad castigationem, disciplinamque inducunt, loca suppliciorum*.

Pluribus in locis de hoc argumento disserit Origenes. Et primo quidem *lib.* 4. *Periarchon* ait: „ Hi, qui de hoc mun-„ do secundum communem mortem „ istam recedentes pro actibus suis, & „ meritis dispensantur, prout digni fue-„ rint judicari, alii quidem in locum, „ qui dicitur *Infernus*, alii in sinum „ Abrahæ, & per diversa quæque, vel „ loca, vel mansiones . . . . Nam il-„ le Infernus, ad quem hinc morien-„ tium animæ ducuntur, credo, ob „ hanc distinctionem, *Infernus inferior* a „ *Scriptura* nominatur, sicut dicitur in „ Psalmis: *Quia liberasti animam meam* „ *ex Inferno inferiori* „. Clariora sunt, quæ habet *Homil.* 2. *in libros Regum*, ubi nedum locum Damnatorum, sed & Sanctorum Patrum Lymbum sub terra fuisse pro certo ponit. Loquens enim de Samuele a Pythonissa evocato inquit: „ Ita ne si talis, ac tantus vir „ *sub terra* erat, ut evocavit illum ven-„ triloqua, in animam propheticam Dæ-„ mon potestatem habet? . . . . Sa-„ muel apud Inferos? Samuel in *sub-„ terraneis*, qui Heli propter filiorum „ scelera, & impietates a Providentia „ condemnato successit? Quare non & „ Abraham, & Isaac, & Jacob apud „ Inferos? „ Et post plura: „ An non „ Christus erat, licet aliquando apud „ Inferos fuerit? An non fuit Filius „ Dei, licet in subterraneis degeret lo-„ cis καταχθονίῳ τόπῳ, ut omne *genu-„ flecteretur in nomine Jesu cælestium*, „ *terrestrium*, & *infernorum*? Non ali-„ ter Christus erat, licet inferius es-„ set, ut sic dicam; etsi in inferiori „ loco ageret, voluntate superius erat. „ Eodem pacto, & Prophetæ, & Sa-„ muel quamvis eo descendant, ubi sunt „ animæ, quæ in Infernis, loco qui-„ dem inferius sunt, at non inferius sunt „ voluntate „. Paria scribit *T.* 2. *pag.* 282. Edition. Huetii his verbis: „ Jam „ quasi differant inter se loca, quæ In-„ ferni sunt, superlative dicitur: *Po-„ suerunt me in lacu infimo*: & illud: „ *Qui descendit ad infimas partes terræ*, „ *hic etiam est, qui ascendit*. Quocir-„ ca coram Christo procident omnes „ descendentes *ad inferiores partes terræ* „ in Infernum: quoniam verum est il-„ lud: *Non est in morte, qui memor* „ *sit tui* „.

Author Histor. Symboli Apostol. hæc sibi visus est reponere posse ad Authoritatem Origenis: „ *Immo*, scribit, & *Origenes alicubi subterraneum locum appellat Infernum: quamvis aliis in locis dubie admodum*, & *hæsitanter loquatur de situ ejus differens*. Ubi quæso? cedo locum. En subdit ille, *ut quando Christum ad Inferos scribit descendisse*, *in Joann. dicens*: *quicumque etiam sit ille Infernus*. Decretorius hercle locus, quasi Origenes ita loqui non potuerit, non quia dubitaret de subterraneo Inferni situ, sed de loco illo definito inter recessus subterraneos, ad quem Christus post mortem descendit, num scilicet ad Lymbum Sanctorum Patrum, atque justorum, an etiam ad Damnatorum carcerem. Nonne Catholicus quisque eadem effari potest, quæ Origenes, quamquam persuasum habeat, nec ullatenus dubitet de subterranea Inferni sede? sed pergamus.

Disertissima sunt Tertulliani verba, quæ leguntur lib. de Anima *Cap.* 54. *pag.* 502. Edit. Pamelii: „ Apud Pla-„ tonem in æthere sublimantur animæ „ sapientes: apud Arium in aerem: „ quod Stoicos sub lunam. Quos quidem „ miror, quod imprudentes animas cir-„ ca terram prosternant, cum illa a „ sapientibus multo superioribus erudire „ adfirment . . . . Reliquas animas ad „ Inferos dejiciunt. Hos Plato veluti „ gremium terræ describit in Phædone, „ quo omnes labes mundialium sor-„ dium confluendo, & ibidem desiden-„ do exalent . . . . Nobis Inferi non „ nuda cavositas, nec subdiuvalis aliqua „ mundi sentina creduntur; sed in fos-„ sa terræ, & in alto vastitas, & in „ ipsis visceribus ejus abstrusa profun-„ ditas. Siquidem Christum in corde

„ ter-

„ terſæ triduum mortis legimus expun-„ ctum, ideſt in receſſu intimo, & in-„ terno, & in ipſa terra operto, & in-„ tra ipſam cavato, & inferioribus ad-„ huc abyſſis ſuperſtructo „. Et in Apolog. C. 47. definit Gehennam, quod *ſit ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus*. Legendus quoque *lib.* 4. *contra Marcionem*, ubi tum Damnatorum carcerem, tum Abrahæ ſinum, & juſtarum animarum quondam domicilium in inferis *ſub terra* apertiſſime collocat. Quid ad hæc Cramerus? Audi, & mirare. Duo ſibi loca Tertulliani objicit, eaque intelligenda cenſet in eo ſenſu, quo Scripturæ textus exponit, nempe myſtico, & ſpirituali. Dum ergo Tertullianus deſcribit Inferos juxta Catholicam doctrinam *foſſam terræ, & in ipſis viſceribus ejus abſtruſam profunditatem*: dum *intimum, & internum terræ ejuſdem receſſum* vocat, & *inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructum*: dum demum definit, *eſſe ignis arcani ſubterranei ad pœnam theſaurum*, vide ne hæc omnia pro materiali loco concipias: myſtico ſiquidem, ac ſpirituali in ſenſu vult eſſe accipienda Lutheranus Theologus. Cave tamen ne idem exiſtimes *de Inferni igne*, quo plectuntur impiorum animæ: hunc enim non *ſpiritualem*, ſed *materialem* eſſe, ac proprio in ſenſu ſumendum contendit. Quid hiſcis? ſi hoc tibi nequaquam arridet, nimiumque abſurda videtur interpretatio, nonne ſaltem acquieſcere debes judicio, & authoritati Doctoris inter Lutheranos celeberrimi nominis? Sed ad ſeria revertamur.

Nedum Tertullianus, ſed Author etiam Carminis adverſus Marcionem inter opera ipſius ita canit *de ſinu Abrahæ*.

Sub corpore terræ
In parte ignota quidam locus extat apertus
Luce ſua fretus, Abrahæ ſinus iſte vocatur
Altior a tenebris, longe ſemotus ab igne
Sub terra tamen, &c.

S. Zeno Veronenſis Epiſcopus *lib.* 1. *tract.* 16. ſic differit. *Poetæ autem melius, qui duplicem viam apud inferos ponunt, impiorum unam, quæ ducit ad Tartarum* (locum ſcilicet terræ infimum juxta Græcos omnes latinoſque Scriptores) *Piorum aliam, quæ ducit ad Eliſium: eo fortius addentes, quod defunctorum ibidem non tam formæ, quam facta noſcuntur, &c.*

Lactantius Firmianus *lib.* 6. *de falſ. Relig. n.* 3. hæc ait: „ Duæ ſunt viæ, „ per quas humanam vitam progredi „ neceſſe eſt: una quæ in cælum ferat: „ altera, quæ ad Inferos deprimat: „ Quas & Poetæ in carminibus, & „ Philoſophi in diſputationibus ſuis in-„ duxerunt . . . . Nos melius, & ve-„ rius, qui duas has vias *Cæli, & inferorum* eſſe dicimus: quia juſtis im-„ mortalitas, injuſtis pœna æterna pro-„ poſita eſt. Quomodo autem viæ iſtæ, „ vel ad cælum tollant, vel ad inferna „ præcipitent, explicabo, &c. „ Et lib. 7. C. 20. poſt deſcriptionem adventus Chriſti Judicis, ſubdit: „ Poſt hæc „ aperientur inferi (ſcilicet hujus terræ „ voragines) & reſurgent mortui, de „ quibus judicium magnum ideo Rex, „ ac Deus faciet „: profertque ad con-„ firmationem hunc Sybillæ verſum:

Tartareum autem Chaos tunc oſtendet dehiſcens terra.

S. Cyprianus *Epiſtol.* 55. ad Cornelium: „ Exaltatio, & inflatio, & ar-„ rogans ac ſuperba jactatio non de „ Chriſti magiſterio, ſed de Antichriſti „ ſpiritu naſcitur, cui exprobrat per „ Prophetam Dominus, & dicit: tu „ autem (Iſaiæ 14.) dixiſti in animo „ tuo: *In cælum aſcendam: ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam, &c.* & „ addidit dicens: *Tu vero ad Inferos deſcendes in fundamenta terræ* „.

S. Hippolytus Portuenſis, qui floruit circa annum aeræ Chriſtianæ 220. in libro adverſus Græcos (editionis Fabricii:) Hades, ſcribit, locus eſt in ipſa „ creatione inconditus, & inornatus, „ receptaculum ſubterraneum, in quo „ lux mundi non ſplendet. Luce vero „ in iſto loco non fulgente, neceſſe „ eſt tenebras ibi eſſe perpetuas. Locus „ ille tamquam carcer, & cuſtodia de-„ ſtinatus animabus, in quo conſtituti „ ſunt

R

„ sunt Angeli custodes, dividentes va„ rias, & temporarias pœnas secundum „ cujusque mores, & actiones, & fa„ cinora. In isto receptaculo locus qui„ dem separatur, lacus nimirum ignis „ inextinguibilis „. Lib. etiam *de Antic. Cap.* 11. ita refert Isaiæ textum Cap. 14. *Infernus subter exacerbatus est occurrens tibi . . . . Nunc autem in Infernum descendes, & ad fundamenta terræ*. Et in fragmento in Danielem producto ab Eustractio Presbytero, distinguit spiritus cælestes, homines, qui versantur in terra, *& spiritus subterraneos, Tartarum tenentium Angelorum justorumque animas*.

S. Athanasius in Psal. 62. *Ipsi vero in vanum, &c.* hæc habet: „ Exclamat „ demum (Propheta) contra adversa„ rias potestates vim illatam sibi obji„ ciens, rogans æternis ipsos tradi sup„ pliciis. *Rex vero lætabitur in Deo*. „ Postquam finem eorum enarravit, „ qui erga Christum impii fuerunt, & „ declaravit in partem ipsius, & sor„ tem *inferiora terræ*, ad alium homi„ num statum convertit sermonem „. Et in q. q. ad Antiochum (quod opus licet Athanasii fœtus a quibusdam non censeatur, antiquissimi certe Scriptoris est) q. 19. inquirit: „ *Ubinam porro* „ *esse dicemus animas hominum, quæ jam* „ *discesserunt*? atque ita respondet: „ Mi„ ra sane, & metuenda quæstio, homi„ nibusque occulta. Nec enim Deus „ quemquam ad nos redire permisit, „ enarrareque ubinam quoque modo „ sint animæ a nobis profectæ. Verun„ tamen discimus ex divinis litteris pec„ catorum animas in inferis esse infra „ omnem terram, & mare: quemadmo„ dum ait Psal. *In tenebrosis, & in um*„ *bra mortis, & in lacu infimo*: Et ut „ apud Job scriptum est, *In terram te*„ *nebrosam, & caliginosam, in terram* „ *tenebrarum æternarum, ubi nullus* „ *splendor, nec vita est hominibus*. Ju„ storum animæ, ut ex Latrone in cru„ ce discimus, sunt in Paradiso „.

Eusebius Cæsariensis lib. 4. Demonst. Evangel. C. 9. Angelo rebelli applicat ea verba Isajæ, *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, &c.* atque ita refert subinde sententiam sequentem: *Tu vero dixisti in mente tua: ascendam super nubes: ero similis Altissimo: Nunc autem ad Infernum descendes, & ad fundamenta terræ*. Et in Psal. 27. exponens illa verba, *Domine eduxisti ab Inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum*, ait: „ Viden, quo modo eo„ dem in loco *Infernum, & lacum* una „ copulavit . . . . Opportune autem „ *lacus* dicitur animarum in Inferno do„ micilium: quemadmodum enim la„ cus receptaculum est aquarum desu„ per, ac de sublimi isthuc descenden„ tium, sic & mortis regio, cui no„ men Infernus, eas, quæ a supernis „ ex humana vita isthuc decidunt, ani„ mas excipiens jure *lacus* appellatur „. „ Et in Psal. 62. ille quidem (Christus „ Dominus) ad eos qui istic (in In„ ferno) habitabant, descendit, ut ani„ mas justorum ibidem jamdiu deten„ tas libertate donaret. Impii vero *in* „ *inferiora terræ* dejecti, tradentur in „ manus gladii „. Fuse quoque de hoc argumento agit *lib. 7. Præpar. Evangel. C. 16.* quem consule, si lubet.

S. Hilarius præter testimonium, quod supra recitavimus, ex Comment. in Psal. 2., & aliis in locis regionem Inferni *subterraneam* disertissime adstruit. Et primo quidem sic scribit in eumdem Psal.: „ Excipit nos statim (a morte) „ ultor Infernus, & decedentes de cor„ pore, si ita vixerimus, confestim de „ via recta perimus. Testes nobis Evan„ gelicus Dives, & pauper, quorum „ unum Angeli in sedibus beatis, & in „ Abrahæ Sinu locaverunt, alium sta„ tim pœnæ regio suscepit. Adeo au„ tem statim pœna mortuum excepit, „ ut etiam fratres ejus adhuc in super„ nis manerent „. In hac nempe superficie telluris, dum ille interim in ejus gremio acerrime torqueretur. Et in *Psal.* 68. explicans illud Job Cap. 38.: *Venisti autem super fontes Abyssi, aut in vestigiis maris ambulasti*, ita loquitur: „ In vestigiis utique maris tamquam in „ profundo, vel altitudine maris, por„ tas mortis esse significans. Nam cum „ profunda maris inferiora sint terræ, „ necesse est in profundo maris, idest

„ in

„ in inferioribus tedem mortis osten„ di „. Et infra: „ Ne absorbeatur pro„ fundo, neve super se puteus os suum „ claudat, precatur (David); in pu„ teo infernæ mortis sedem significari „ & psalmus alius testis est, cum dici„ tur: *Tu vero Domine deduces eos in* „ *puteum interitus*, demersum hoc, „ profundumque puteorum *inferna ter*„ *ræ* significari demonstrans „.

S. Ephrem Syrus T. 2. Oper. Syriaco-Latin. in Caput 14. Isaiæ ad illud, *Tu quoque*, sicut legit, *infirmatus es*, *sicut & nos*, „ idest, inquit, affli„ ctus, & ad ima projectus. *Et descen*„ *dit gloria tua ad Infernum*, perinde „ ut nostra .... *Quomodo cecidisti de* „ *cælo*, *qui nempe dicebas*: *super astra* „ *Dei exaltabo solium meum* .... Er„ go, qui cælum occupare volebas, ad „ inferos detraheris, & in profundum „ laci, idest sub infima terræ loca mit„ teris, qui summa petebas astra „. Et in Cap. 3. Ezechielis V. 16. *Et electio„ra ligna plantata secus aquas* „ ligna ni„ mirum libani præstantissima, ipsa pa„ riter descenderunt cum eo ad inferos. „ Significat reliquos Principes simili „ affectos fastu, & arrogantia sub ter„ ras detrusos fuisse „.

S. Epiphanius in Ancorato n. 101: ita succinit laudatis adhuc Patribus: „ Ne „ dubitare rursus aliquis posset, alios „ cum ipsis corporibus ad inferos de„ trusit. Quippe terra dehiscens, ac „ fauces suas aperiens Dathan, & Abi„ ron filios Core, & Hunam absorpsit: „ ac corpore, animaque viventes in „ inferos demersi sunt. Igitur eadem „ hora condemnati illi sunt, neque dis„ solutis corporibus, neque ulla relicta „ parte, vel reliquiis; sed toti cum „ corpore simul, & anima suppliciis „ addicti sunt „. Et sermone 67. in Sepulcrum Domini fuse recenset justos, qui in inferis redemptionem expectabant, horumque receptaculum semel, & iterum appellat, *loca infera*, *& subterranea*, *& omni terra hac*, nempe aspectabili, *profundiora*, *quæ sunt a sæculo mortuorum latebrosa domicilia*.

Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. 6. n.* 15. loquens de Simone Mago ait: „ Cum vero error se latius spargeret, „ vitium illud correxit egregium par „ virorum Petrus, & Paulus Ecclesiæ „ Præsules illuc appulsi, Simonemque „ illum videlicet opinione Deum su„ perbe se ostentantem subita morte „ perculerunt ..... Ex sublimi aere „ illum æstimatum Deum ad terram de„ jecerunt, ad καταχθόνια *catactonia* „ subterranea deprimendum „. Et supra Catech. 4. n. 12. de Christo jam dixerat *rursus ascendisse*, *qui ad subterranea descenderat*.



CAPUT X.

Series aliorum Patrum contexitur, qui sequentibus Ecclesiæ Sæculis floruerunt; & Inferos intra terræ viscera posuerunt. Chrysostomi mens in luce posita contra Suicerum. Plura Sancti Hieronymi testimonia. Quænam fuerit Augustini de hoc argumento sententia ex ipso Augustino ostenditur. Tum plurium aliorum Patrum testimonia referuntur in eadem plane convenientium.

SEriem cæterorum Patrum, qui sequentia Ecclesiæ Sæcula illustrarunt, & Damnatorum sedem intra terram hanc collocarunt, persequentibus primum occurrit S. Basilius Magnus, cujus haud plura testimonia proferam, cum ejus menti pervidendæ unicum illud sufficiat, quod habetur in cap. 5. Isaiæ, his verbis expositum: *Locus quidam communis in terræ meditullio positus, obscurus ab omni parte, & obumbratus, Inferorum locus est.* Quis post hoc tam luculentum testimonium alia Magni Doctoris testimonia desideret?

Gaspar Suicerus loco supra jam citato, cum nulla ipsi occurreret, nec apparens responsio, qua hunc Basilii textum eluderet, consentit hunc reipsa Inferos intra penetralia terræ collocasse. Verum ut ostendat sententiam hanc haud communem fuisse inter Patres Græcos, in partes suas pertrahere nititur S. Joannem Chrysostomum, opponitque hanc ipsius authoritatem ex Homil. 3. in Epist. *ad Romanos*, ubi sciscitatur, *In quo loco erit Gehenna?* Respondetque: *in quodam, ut ego existimo, extra universum hunc mundum loco. Quemadmodum enim a regiis carceres, & metalla procul sunt remota, ita etiam extra orbem habitabilem Gehenna erit*: eamdemque sententiam iterum habet *Homil.* 120. additque Suicerus in confirmationem authoritatem Brienii, qui orat. de extre. Jud. &c. hac ipsa Chrysostomi sententia utitur, *ut probet punitionis locum neque esse infernum, neque hujusce orbis universi, partem.*

Hanc ex Leone Allatio objectionem desumpsisse videtur Suicerus; qui propterea responsum ipsius attendere debuisset. Sic itaque animadvertit Allatius *Dissert.* 2. *de lib. Eccl. Græc.* postquam ostenderat tum *Paracletice, tum Sinaxarium* Græcorum Infernum disertissime ponere subtus terram. „ Sententiam, „ inquit, Brienii parum nobis curæ „ fuerit redarguere. Non is est, qui „ solo suo dicto authoritatem faciat. „ Ipse dixit, ac tenuit, non nego: „ quid tum? Ego illi non credo, & „ cum aliter cum Ecclesia sentiam, „ verba ejus, etiam nulla adducta ra„ tione, detestor, & fucum, quem ipse „ verbis Chrysostomi fecit, veritatis „ colore suffundam. Sententia namque „ Chrysostomi est, parum referre, ut „ quis sciat, quonam in loco Gehenna „ jaceat: Satis sit, si illi constet esse: „ tum enim dabit operam, ut pœnas „ effugiat, & bene agat..... Qua„ re concludit, quærendum esse, non „ ubinam Gehenna illa sit, sed mo„ dum, quo illam evitemus. Ne ta„ men huic quæstioni non respondisse „ videretur, respondit Gehennæ locum „ esse extra hunc locum universi, qui „ habitatur ab hominibus, sed longe „ ab illis abesse: & verum dicit; est „ enim *in infimis terræ partibus, & in* „ *corde ipso, & ventre terræ*, nempe „ in recessu intimo, & interno, & in„ ferioribus Abyssi, in quibus nulla „ hominum habitatio est „. Hæc Allatius: & profecto cum Chrysostomus expresse definiat propositionem suam *ad orbem habitabilem*, non omnem hujus orbis terraquei partem, scilicet *intimiorem*, excludit a loco inferni.

Hanc

Hanc esse plane Chrysostomi mentem ex aliis Operum suorum locis manifestum fit. Homil. in Ascens. Domini scribit: ,, Ascendit Christus super Angelos, præterivit Archangelos, nec prius ,, substitit, quam thronum ipsum Dei ,, comprehendit. Non vides, quid me- ,, dium a cælo ad terras? Sed ab imo ,, potius incipiamus. Non vides ab ,, inferno ad terram intervallum quantum? Rursus a terra in cælum: rursus a Cælo ad Cælum sublimius.... ,, Cerne quam humili ante loco ille ,, erat, & quam alte ascenderit.... ,, atque ita perspicue Paulus dicebat: ,, *Qui descendit, ipse est, qui & ascendit*. Et quo descendit? *In inferiores* ,, *partes terræ*. Ascendit autem super ,, omnes cælos ,,: Et Homil. XL. in Epist. ad Ephes. clarius hoc idem explicans: *Ad inferiores*, ait, *partes terræ descendit, post quas non sunt aliæ: & ascendit super omnia post quæ non est aliquid aliud*. Item in Psal. 46. ,, Quando audieris crucifixum esse Do- ,, minum, fuisse sepultum, *ad inferiores terræ partes descendisse*, ne labaris, ne angaris: est enim altissimus, ,, & natura Altissimus. Quando videris ,, eum mortuum, fac animo cogites ,, sublatum lapidem, Angelos, qui cum ,, metu ad sepulcrum maneant, Inferos, qui refringuntur, mortem, quæ ,, consumitur, captivos liberantem: & ,, tunc cernes, quam sit terribilis. ,, Si autem in ipso ignominiæ tempore, tanta fecit in cælo, in terra, apud Inferos, quid non faciet tempore futuri sui adventus? ,,

Immensus essem si omnia, quæ de hoc argumento disseruit S. Hieronymus huc corrivare vellem. In cap. 2. Isaiæ ea verba explicans, *Pete tibi signum*, &c. ,, Vis, inquit, ut scindatur terra, & grandi hiatu Inferi pateant, ,, qui in corde terræ esse dicuntur. An ,, ut aperiantur cæli, &c.,, Et in Cap. 14. ejusdem Prophetæ: *Discimus, quod Infernus sub terra sit, dicente Scriptura, usque ad fundamenta laci*. Clarissima quoque ea testimonia sunt, quæ supra dedimus ex Comment. in Cap. 26, 31, & 32. Ezechielis, nec ullum dubitationi locum relinquunt. Sed & in Cap. primum Jonæ ait: *Per cor maris significatur Infernus, pro quo in Evangelio legimus in corde terræ. Quomodo autem cor animalis in medio est, ita & Infernus in medio terræ esse perhibetur*. In Cap. itidem 4. Epist. ad Ephes. *Quod autem Infernus in inferiori parte sit, & Psalmista testatur dicens: aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron: & ipsum in Numerorum lib. plenius explicatur*. Alios textus omitto.

S. Hieronymi doctrinæ insistens Philippus ejus discipulus, aut si quis alius creditur Author Comment. in Job, ita loquitur super cap. 38. ,, Quod ,, Infernus *in imo terrarum* sit, Jonas ,, Propheta, qui specialiter habuit figuram Salvatoris in oratione sua, ,, quam in ventre piscis effudit, manifeste demonstrat, quemque in Infernum ,, Abyssi aquæ circumvolvunt, & multis aliis locis Scripturæ de qualitate inferorum loquuntur ,,. Idemque prius dixerat in Cap. 26. ad illud: *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*.

De mente S. Augustini litem nonnulli intentant ob ea verba, quæ leguntur in *Cap. 16. lib. 20. de Civitat. Dei*; agens enim S. Doctor de igne inferni, subdit: *Qui ignis cujusmodi & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte, cui spiritus divinus ostendit*. Verum hæc nullam ingerere difficultatem debent, tum quia commode explicari potest S. Doctor, quod scilicet loquatur de definito terrarum loco, adeo ut se nescire dicat in quanam mundi hujus terraquei parte, licet subterranea, siti sint Inferi, ignisque Gehennalis: id enim, & nos incertum esse fatemur, eique notum dumtaxat, cui Deus revelaverit; tum etiam quia, siqua sublit fortasse in Augustini verbis difficultas, ea tota evanescit propter luculentum ejusdem testi-

testimonium; quod habetur in lib. 2. Retract. Cap. 24. ubi corrigens, quod alibi scripserat, ait: *De Inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit*. Quibus adde locum alterum S. Doctoris æque perspicuum ex *lib. 4. in Numer. q. 29.* ubi exponens verba illa; *& descendeunt ipsi &c. viventes in infernum*, subjicit: „ Notandum secundum locum „ terrenum dictos esse Inferos, hoc „ est, *in inferioribus terræ partibus*. „ Varie quippe in Scripturis, & sub „ intellectu multiplici, sicut rerum, „ de quibus agitur, sensus exigit, „ nomen ponitur *Inferorum*, & maxime in mortuis hoc accipi solet; „ sed quoniam istos viventes dictum „ est *ad Inferos descendisse*, & ipsa narratione, quid factum fuerit, satis „ apparet, manifestum est, ut dixi, „ *inferiores partes terræ* Inferorum vo„ cabulo nuncupatas in comparatione „ hujus superioris terræ, in cujus fa„ cie vivitur: Sicut in comparatione „ cæli superioris, ubi Sanctorum de„ moratio est Angelorum peccantes „ Angelos in hujus aeris detrusos cali„ ginem, Scriptura dicit, tamquam „ carceribus Inferi puniendos reser„ vari. „ Dilucidiora ne optas, ut omnem ex animo de S. Augustini mente dubitationem evellas? Videsis etiam eumdem super *Psalm. 65. & lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos*, si hæc non sufficiant.

S. Cyrillus Alexandrinus sic illud Isaiæ Cap. 14. *In Cælum conscendam*, &c. commentario suo illustrat: „ Deo „ æqualem te esse, & supra creaturam „ stolide existimasti..... Cæterum „ deprehensus es frustra hæc cogitas„ se. Arguit tuam sinistram incogi„ tantiam rerum exitus. Descendes „ enim ad Inferos, & ad fundamenta „ terræ „. Et in orat. de exitu animæ, *Tom. 6. p. 2. pag.* 407. „ Tolletur, „ inquit, impius, ne Domini glo„ riam videat ... Tunc a sanctis „ Dei Angelis derelictum prehendunt „ Æthiopes illi Dæmones, & eum cru„ deliter verberantes deferunt ad ter„ ram, eaque discissa, infractis colli„ gatum vinculis, præcipitant in te„ nebricosam, & caliginosam terram „ ad infima loca, in subterraneos Or„ ci carceres, atque custodias, ubi „ conclusi sunt nocentum animi, qui „ jamdiu obdormiverunt, ut ait Jo„ bus, *in terram tenebricosam, atque tetram, terram caliginis æternæ*, „ &c. „

S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. Cap. 42. refert opinionem aliquorum, qui Infernum in quadam terrarum parte esse putabant. Hac autem repudiata Infernum esse *sub terra* duplici Scripturæ authoritate confirmat: aliam ex illo promit Psal. *Liberasti animam meam ex inferno inferiori*: aliam vero repetit ex verbis Joannis in Apocalypsi, qui *cum signatum septem sigillis librum vidisse* se diceret: *quia nemo inventus est dignus, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, & solvere signacula ejus*, adjunxit: *Et ego flebam multum*: quem tamen librum postea *per Leonem de tribu Juda* dicit aperiri: „ Et nul„ lus, subdit S. Doctor, in cælo: „ quia neque homo vivens in corpo„ re: nullus *subtus terram* dignus in„ ventus est: quia neque animæ cor„ pore exutæ aperire nobis præter Do„ minum sacri eloquii secreta potue„ runt. Cum ergo ad solvendum li„ brum nullus *sub terra* inventus di„ gnus dicitur, quid obstet, non vi„ deo, ut sub terra Infernus esse cre„ datur. „

Theodoretus in Isaiam C. 14. ad illud, *Nunc autem ad infernum descendes, & ad fundamenta terræ*, pro ut ipse legit, subjungit: dixit (Propheta) *in fundamenta terræ pro eo, quod est in profundum terræ*. Huic adjungas definitionem *Adis*, sive Inferni ab Euthimio traditam, & supra jam relatam, quod nempe *significet injucundum, & insuavem locum, qui sub terra est*.

S. Pe-

S. Petrus Chryfologus Infernum fubtus terram exiftere procul dubio fupponit, dum *Serm.* 124. dicit: *Si eft fub terra Tartari Carcer, fi eft cauftis ardens, fi eft inferus fine fine cruciatus, fi eft apparitor ifte, qui nos ad ifta rapiat poft fæculi labores; quid ftupemus? Ubi fumus? Quis eft ifte, qui nos eludit fomnus?*

S. Primafius Epifcopus in Cap. 4. Epift. ad Ephefios, fic argumentum conficit, & probat, Inferos fub tellure effe: *In inferiores partes terræ defcendit* (Chriftus). *Ergo fub terra eft Infernus. Qui defcendit, ipfe eft, & qui afcendit fuper omnes cælos, ut impleret omnia. Qui defcendit cum anima in infernum, ipfe cum anima, & corpore afcendit ad cælos, &c.*

Theophylactus in eumdem Apoftoli locum inquit: „ Quo defcen-„ dit Chriftus? Ad inferos. Hos „ enim infimas terræ partes appel-„ lat juxta communem opinionem, „ & intellectum: quemadmodum & „ Jacob ait: *Deducetis canos meos* „ *cum dolore ad inferos*: ac David: „ *Similis ero defcendentibus in lacum*. „ Defcendit igitur ad inferas partes, „ &c. „

S. Joannes Damafcenus *in Sacris Parallelis* ex Serm. Jofeph. con. Plat. ita definit Infernum: *Infernus eft locus in rebus creatis inconditus, receptaculum fubterraneum; in quo lux mundi non fplendet*, &c. Et in Hift. Barlaami Cap. 10. ait: *Corpus quidem tuum* (fic Barlaamum loquentem inducit) *perexiguo fepulcro includetur . . . . Anima vero tua inferno addicta, in inferiores terræ partes ufque ad poftremam refurrectionem conjicietur.*

Andreas Cretenfis *Orat. de vit. hum.* &c.: *Si itaque etiam ipfe* (Chriftus) *elegit, licet Dominus effet univerfi, ad inferos defcenfum palam in fe recipere, & luctuofa inferorum loca, obfcura inquam, & tenebrofa &c. pertranfiit, quid mirum* &c.

Haymo qui floruit circa annum 800. in illud Ifaiæ, *Infernus fubter: Hinc diximus*, inquit, *Infernum fubter terram effe, cujus habitatores hoc in loco nomine inferni defignantur; vel Angelus, qui præpofitus eft pœnis Inferni.*


Rabanus Maurus ejufdem ævi Scriptor in *Cap.* 3. *Hierem.* hæc habet: „ Infernum non irrationa-„ biliter arbitramur effe fub terris; „ cum in veteri Teftam. de Da-„ than, & Abiron legitur: *Ape-„ ruit fe terra, & deglutivit eos*, „ *& vivi defcenderunt ad inferos*. „ Sed quo itinere illuc animæ „ transferantur, quoniam in autho-„ ritate divina non legitur, habe-„ mus incertum. Infernum autem „ habere inferiorem partem, Evan-„ gelii locus ille teftatur, qui di-„ cit: cum impium divitem ul-„ trix flamma torqueret, *levare o-„ culos fuos*, & in finu Abrahæ „ vidiffe Lazarum, &c. „

Rodulfus Ardens, qui floruit circa decimum æræ Chriftianæ Sæculum, in Com. pl. Sanct. *Animæ*, inquit, *reproborum procul dubio in pœnis gehennæ perpetuo cruciantur, quam fubtus terram credimus, dicente Propheta: liberafti animam meam ex inferno inferiori.*

Quid plura congeram, cum apud Scriptores quofque tum Græcos, tum Latinos, qui nullis anticipatis opinionibus præventi funt, compertiffimum fit nullum effe ex Ecclefiæ Patribus, qui de hoc argumento differuerit, qui communem hanc inter Chriftianos fententiam non docuerit, nullum, qui ullo unquam tempore refragatus fit? id quod a Gafparo Barthio notatum eft in Adverfariis *lib.* 22. *cap.* 12., *& lib.* 43. *cap.* 12. Et quidem non ex commentitia, quam finxit Swindenius, opinione de figura telluris hemifphærica, quam nemo ne verbo quidem attigit, fed

ſed ob Scripturarum teſtimonia, quæ non alium referre ſenſum, nec aliter poſſe congrue interpretari, ſive intelligi, tum etiam ob antiquiſſimam Hebræi atque Chriſtiani populi ad eos uſque perductam traditionem, conſtanter crediderunt: Sed & ipſa veritas amplius eniteſcet, & validius roborabitur ex iis, quæ dicenda ſuperſunt in tertia hujus Diſſertationis parte.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



DE



DE SEDE INFERNI IN TERRIS QUÆRENDA

PARS TERTIA,

In qua germanus, atque Catholicus sensus Articuli Symboli Apostolici, *Descendit ad Inferos*, asseritur, & vindicatur adversum nuperos Heterodoxos, novumque hinc argumentum elicitur pro subterranea Inferorum sede adstruenda.

CAPUT PRIMUM.

De articulo Apostolici Symboli, descendit ad Inferos: *In Symbolo Aquilejensis Ecclesiæ Rufini ævo jam recitabatur: unde nec occasione hæresis Apollinaristarum adjectus est. Ante Rufini tempora deprehenditur etiam in nonnullis Symbolis, fideive professionibus aliarum Ecclesiarum Orientalium, & Occidentalium. Ministri Caroli Drelincurtii audacia repressa. Plures Erasmi errores de hac re obiter notati.*



EX omnibus, quibus sedes Inferorum subterranea comprobatur argumentis, illud semper validissimum a Nostratibus creditum est, quod ex Symboli Apostolici Articulo deducitur, quo Christum Servatorem nostrum hac mortali vita functum *ad Inferos descendisse* universa Ecclesia profitetur. Atque hoc quidem inficias ire minime potuit Swindenius noster, quin & a primis Ecclesiæ Patribus veluti sententiæ hujusce præcipuum fundamentum habitum fuisse ingenue affensus est *(a)*. Profecto si illud semel tamquam certum exploratumque constiterit, adiisse animam Christi in triduo mortis suæ inferiorem aliquem terræ locum, in quo veterum Patriarcharum justorumque omnium animæ detinerentur, ut eos in libertatem assereret, cælique gloria sempiterna donaret; nemo sane jure aliquo negaverit in intimiore recessu terræ concludi animas reproborum a Divina justitia æternum puniendas. Quis enim adeo vecors fuerit, ut nobiliorem alium, altioremque locum damnatis animabus assignet, quam piis, & electis ad cœlestem beatitudinem in regno Dei quandoque possidendam? Eo præsertim, quod Divinus Magister Christus Dominus in Parabola Divitis, & Lazari hunc post utriusque mortem in editiore loco præ illo, nobis exhibuerit. Atque hoc videtur esse argumentum jam a Tertulliano confectum lib. de anima *Cap.* 55. scribente: *Si Christus . . . non antea ascendit in subli-*

(*a*) Cap. 3. loquens de primis Ecclesiæ Patribus: *Le grand argoment, dont ils se servoient pour soustenir cette hypothese, etoit tiré de la Descente de Jesus Christ aux Enfers.*

sublimia cælorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret, habes & regionem Inferorum subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbe non putent animas fidelium Inferis dignas. Quapropter genuinum, ac legitimum laudati articuli sensum, unde tota pendet efficacitas argumenti, latius exponere pretium operæ est; penitusque profligare absurdas Novatorum hominum interpretationes, atque cavillationes omnes dissolvere, queis fidei nostræ sacratissimum dogma *de Descensu Christi ad Inferos*, implicare, tenebrisque offundere pertentant: eoque libentius de hoc articulo Apostolici Symboli, ac fundamentis, quibus nititur germanus ejusdem legitimusque sensus ab Ecclesia Catholica perpetuo receptus, mihi disserendum video ob lucubrationes quasdam, quæ nuper ex hæreticorum recentium officinis contra prodiere, dignæque peculiari confutatione mihi plane videntur.

Et primum quidem, ne hoc nobis, ut solent, amplius oggerant Adversarii, libentissime fateor articulum Symboli *descendit ad Inferos*, de quo præsens tota disputatio est, olim non extitisse in ea formula, qua utebatur Ecclesia Romana, sicut neque in illa, qua prioribus Sæculis usæ frequentius sunt Orientales Ecclesiæ. Id disertissimis verbis adnotavit Rufinus Aquilejensis in sermone *de Symbolo* inquiens: *Sciendum est in Ecclesia Romana Symbolo non haberi* descendit ad Inferos, *sed neque in Orientis Ecclesiis; vim tamen verbi eamdem videri in eo, quod sepultus dicitur*. Cui testimonio frustra, meo facile judicio, reluctatur Fevardentius in notis S. Irenæi: quæcumque etenim profert, ut ejus vim elevet, id unum, ni fallor, evincunt, jam ab Apostolorum ævo viguisse in universa Ecclesia fidem de Christi ad Inferos descensu (quod non abnuit Rufinus) non autem fidem expositam fuisse peculiari articulo Symboli Romanæ, & Orientalis Ecclesiæ. At nunquid propterea articulum illum prior introduxit Rufinus in Symbolum, ut scribit Swindenius *Cap.* 3.? Minime gentium, luditque plane Theologus Anglus, ac ludificari vult lectores suos, dum id veluti exploratum præsumit. Rufinus namque non aliud Symbolum exposuit, neque alium allegavit adversus S. Hieronymum, præter illud, quod jam obtinebat in Aquilejensi Ecclesia, & quo regeneratus fuerat per gratiam baptismi, sicut ipse testatur *lib.* 1. *Invectiv.* his verbis: „ Ego, sicut & ipse, & omnes „ norunt, ante annos fere triginta in „ Monasterio jam positus per gratiam „ baptismi regeneratus, signaculum fi„ dei consecutus sum per sanctos viros „ Chromatium, Jovinum, & Eusebium „ opinatissimos, & probatissimos Dei E„ piscopos: quorum alter tunc Presby„ ter beatæ Memoriæ Valeriani, alter „ Archidiaconus, alius Diaconus, si„ mulque Pater mihi, & Doctor Sym„ boli, ac fidei fuit. „

Quo tempore, quave de causa Articulus iste insertus fuerit Symbolo Ecclesiæ Aquilejensis, mea non interest operosius inquirere. Dicam tamen obiter me non posse subscribere sententiæ, quæ a magnis viris cæteroquin defenditur, adjectum fuisse occasione hæresis Apollinaris, qui rationalem animam, aut mentem in Christo non admittebat, sive quorumdam Arianorum, quos eidem hæresi prælusisse colligitur ex Athanasio, ac Theodoreto. In primis enim quoad hosce postremos attinet, eos paucos admodum fuisse, qui animam Christo eripuerint, nullus in Ecclesiastica historia versatus abnuerit, atque adeo verisimile plane non est, ob aliquos, ac vix alicujus nominis hæreticos, novum hoc additamentum fecisse Apostolico Symbolo Aquilejensem Ecclesiam. Quod vero Apollinaristas spectat, illud obstat permaxime, quod in nonnullis formulis Symboli Apollinaris Sectæ antiquioribus occurrat articulus, *descendit ad Inferos*, ut mox notavero: ac præterea descriptum ipsum a Rufino Symbolum, jam in Ecclesia Aquilejensi obtinuisse, cum hæresis Apollinaris primum damnata est, facili negotio probari valet. Nam Apollinaris virus, quod fortassis antea conceperat, dumtaxat disseminare cœpit circa annum aeræ Christianæ 370.; nec hæretica pravitas palam detecta est, nisi anno

anno 372. quo tempore S. Basilius ipsam detulit ad Damasum Papam, qui in Romana Synodo anno insequente 373. celebrata in Apollinarem, ejusque primarium Discipulum Timotheum depositionis sententiam tulit, & utriusque dogma anathemate confixit: qua de re extat Epistola Damasi ad Orientales a Theodoreto descripta *lib. 5. hist. Eccles. Cap.* 10. ex qua etiam colligere licet Damasum primum fuisse, qui vix exortam Apollinaris hæresim damnaverit: scribit enim ibidem: *Damasus vir omni genere laudis florentissimus, simul ut hanc sectam exortam accepit, non Apollinarem solum, verum etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit* (a). Porro ante annum 370. usitata fuit in Aquilejensi Ecclesia ea formula, quam Rufinus, ut errores, quos ipsi objecerat S. Hieronymus, abs se amoliretur, frequenter Symbolum allegat, quod Aquilejæ per gratiam baptismi regeneratus accepit, ac reddidit: quod & repetit in Explicatione ejusdem Symboli (b). Libro autem primo *Invectiv.*; ut jam monuimus, tempus definiens suscepti baptismatis *ab annis fere triginta* se illud recepisse testatur. Cum igitur, ut ex Hieronymo discimus *lib. 3. Apolog. n.* 10. *Invectivarum* libris componendis operam dederit anno Christi 399., consequitur evidentissime jam ab anno 369. aut 370. formulam Symboli a Rufino descriptam obtinuisse in Ecclesia Aquilejensi, atque adeo articulus *descendit ad Inferos*, non ob hæresim Apollinaris, quæ nondum eruperat, aut rumorem saltem in Occidente nullum ediderat, sed ob aliam caussam Apostolico Symbolo adjectus est, cum præsertim Rufinus ipse in explicatione Symboli satis indicet longe antea in usu fuisse in Ecclesia sua formulam illam dicens *a majoribus acceptam fuisse*.

Quid quid vero sit, aut credatur de hac peculiari quæstione, quam mea parum refert uberius pertractare, quamquam lubens admiserim, nec in Romanæ tunc temporis, nec in Orientalis Ecclesiæ communi Symbolo extitisse Articulum *descendit ad Inferos*; ab omnium tamen Orientalium Ecclesiarum formulis absfuisse existimandum non est: quinimo vel ante Rufini tempora in Symbolo Ecclesiæ tum Hierosolymitanæ, tum Cypriensis illum deprehendimus. Primum constat ex Symbolo, quod exponit S. Cyrillus ejusdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Presbyter, ac deinde Episcopus. Nam Catech. 4. n. 3. (c) hæc antea præmittit: *Antequam ea, quæ ad fidem pertinent, tradam, præclare acturus videor, si brevi compendio summa necessariorum dogmatum nunc capita percenseam*. Ac deinde proponit ea, quæ Deum Patrem respiciunt: tum vero, quæ ad Filium attinent, inquiens: *Crede etiam in Filium Dei: hic crucifixus est pro peccatis nostris, in monumento saxeo vere positus, sicut homo .... Descendit ad subterranea, ut illinc justos redimeret &c.* κατῆλθεν εἰς τὰ καταχθόνια ἵνα κἀκεῖθεν λυτρώσηται τοὺς δικαίους .... *Verum qui descenderat ad subterranea rursus ascendit*. Et *num.* 17. concludit: *Hoc signaculum in mente tua semper habeto: quod quidem nunc tibi summatim per capitum recensionem edictum est*. Quibus ad usitatam Symboli formulam Cyrillus respexisse videtur, licet fusioribus verbis ab ipso fortasse propositam. Quoad Cypri vero Ecclesiam satis liquet ex Symbolo, sive Symboli explicatione a S. Epiphanio tradita *lib. 3. advers. Hæreses* in Compendio Fidei Catholicæ. Nam postquam egisset de articulo *sepultus est*, subjicit statim, *in monumento non conclusam esse, nec sepultam Deitatem; sed*

S 2 *simul*

(a) Hinc falli arbitramur Natalem Alexandrum, qui *sect.* 4. *l.* 3. scribit, Apollinaris hæresim tacito Authoris nomine damnatam fuisse in Synodo Alexandrina, quæ anno Christi 362. celebrata est: quod probat ex Epistola Synodica illius Concilii, in qua decretum est *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers*. In hoc enim decreto Concilii Patres respexisse dicendum est ad Arianos memoratos, qui parem errorem insinuaverant, tametsi de *mente* exerte non loquerentur: tum propter ea, quæ animadvertimus, tum quia sub illud tempus, nondum Apollinaris hæresim suam effuderat, nec tamquam hæreticum habitum fuisse in Ecclesia colligitur, & ex Athanasio, cui tunc carissimus adhuc erat, & in *Epist.* 65. *S. Hieronymi* ad Pammachium. (b) *Nos illum ordinem sequimur, quem in Aquilejensi Ecclesia lavacri gratia suscepimus*. (c) Edit. P. Toutè.

simul cum sancta anima descendisse ad inferna, & abstulisse illinc animarum captivitatem, fregisse stimulum mortis &c. ita ut redierit cum anima, non relicta anima in Inferno, quando neque caro ipsa viderit corruptionem. Atque in harum Ecclesiarum Symbolis, quæ Rufinum præcessere, factam esse mentionem *de Christi ad Inferos descensu*, vel ipse assentitur Anonymus Anglus sæpe a nobis laudatus, atque laudandus Auctor *historiæ Symboli Apostolici*.

Verum & in Occidente ante Rufinum invenimus factam esse mentionem de præsenti Articulo in professione fidei Patrum Concilii tertii Sirmiensis. Utcumque enim de ipsorum authoritate quoad aliqua alia sentiamus, in re, qua de agimus fidem certe merentur, quippe qui non aliud proponunt, nisi quod in ore omnium erat, ac Christi fideles palam profitebantur. Hæc igitur est professio fidei Concilii Sirmiensis quoad præsens attinet: *Hunc scimus Unigenitum Dei Filium nutu paterno advenisse de cælis ad demolienda peccata . . . . secundum Patris voluntatem crucifixum, & mortuum esse, & ad Inferos descendisse, ubi quod sui officii erat, peregisse, quem Janitores inferorum conspicati exhorruerunt, &c.* Atque hæc quidem, ut innui, Concilii formula reprobata fuit in Concilio Ariminensi, in quo a principio lecta est, quoad illa capita, quæ virus Arianorum, aut Semiarianorum continebant, sed in reliquis recepta fuit, aut saltem nihil in cæteris repertum est, quod fidei Ecclesiæ non congrueret, ut patet ex anathematismis illius Concilii, & ex testimonio S. Athanasii *in lib. de Synodis* referentis eam formulam Patribus Ariminensibus exhibitam: quam etiam eodem sensu, quoad nostrum Articulum, licet non iisdem verbis, probarunt in Synodo Constantinopoli sequenti anno celebrata Acaciani peculiaris Arianorum familia, ut videre est in nova Baluzii Conciliorum collectione. Ex quibus suspicatur Ernestus Grabius (a) Valentinianorum potius, & Marcionitarum, quam Arianorum, & Apollinaristarum hæresim in causa fuisse, cur articulus *de descensu Christi ad Inferos* Apostolorum Symbolo insereretur: sed meritissime subdit: *Nisi forte quis affirmare malit primas ipsorum Apostolorum Catecheses occasionem dedisse Catechumenis in confessionibus fidei suæ subinde exprimendi, quod Christus ad inferos descenderit. Nam ipse Apostolorum Princeps in primo Sermone Hierosolymis die Pentecostes habito dictum articulum planissime exposuit, dum ait*, quod non derelicta sit anima ejus in Inferno: neque caro ejus viderit corruptionem. Cui consona est Hulderici Zuinglii in expositione fidei sententia dicentis ipsos *Patres Apostolicos in Symbolo adjecisse*, descendit ad Inferos. Quod & Calvinus ipse satis aperte fateri videtur, dum *lib. 2. Instit. Cap. 16.* de hoc articulo agens scribit: *Id certe extra controversiam est, ex communi piorum omnium sensu fuisse desumptum: quando nemo est Patrum, qui non in suis scriptis descensum Christi ad inferos commemoret, tametsi interpretatione diversa*. An *diversa* sit Patrum *interpretatio* hujus articuli postea disputabitur. Interim illud concedit Calvinus *extra controversiam esse ex communi piorum omnium sensu fuisse desumptum*, procul dubio a primis usque Ecclesiæ temporibus, *quando*, ipso teste, *nemo est Patrum, qui non in suis scriptis descensum Christi ad Inferos commemoret*.

Hinc vero habes, unde miram confidentiam castiges Ministri Caroli Drelincurtii, qui in suo *Dialogo de Descensu Christi ad Inferos* audacter asseverat sub finem tantum Sæculi quarti professioni fidei peculiaris Ecclesiæ hunc articulum intrusum fuisse, nec in aliqua alia, quæ præcesserit, ullam penitus de illo fieri mentionem. Nam & anno 370. quo Rufinus lavacrum baptismi suscepit, inerat jam Symbolo Ecclesiæ Aquilejensis, neque tum primum adjectus ipse est, sed *a majoribus*, nullo temporis initio designato, acceptus fuerat: & in lau-

(a) In annotatis ad Georgium Bullum de primis fidei Confessionibus.

laudatis aliis Ecclesiis ejusdem articuli professio in usu erat. Sed illud in hoc Auctore magis mirandum, quod subinde sermonem habens de Symbolo Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quam commendat, ut matrem, & primam Ecclesiarum omnium, cujusque fidem cognoscere plurimi interesse deprædicat, illud caruisse pertendit articulo descensus Christi ad Inferos, solumque fatetur levem aliquam illius mentionem factam esse a S. Cyrillo in expositione sepulturæ Dominicæ, quæ tamen peculiarem articulum non constituat: *quia*, inquit, *explicato*, *Catechesi* 13., *articulo* sepultus est, *orditur in Catechesi sequenti* 15. *ab articulo*, resurrexit a mortuis. Etenim, quod vere mentio fieret in Symbolo Ecclesiæ Hierosolymitanæ de *descensu Christi ad inferos*, ex Catechesibus S. Cyrilli adeo aperte cognoscere licet, ut nonnisi præjudiciis obcæcatus hoc non perspexerit, idque constat ex sententiis illius Patris supra recitatis, videruntque, præter alios, Protestantes etiam Scriptores, quos jam laudavimus. Quod autem peculiarem in ea Ecclesia articulum non constitueret, sed adnecteretur morti, & sepulturæ Christi, nihil omnino refert, cum & in aliis nonnullis Ecclesiis ipsi adjungatur, falsisque sit ad Calvinianum Ministrum refellendum, quod cum sepultura Christi non confunderetur, ut ille garrit, sed eo sensu sumeretur, quomodo sumitur ab Ecclesia Catholica, ut ex ejus verbis liquidissimum est, nosque alibi luce ipsa meridiana clarius ostendemus.

Cæterum post Rufini tempora in Symbolo, aut fidei professione plurium aliarum Ecclesiarum deprehendi articulum hunc nemo in disputationem adduxerit: Prostat ille in Symbolo Athanasio adjudicato, quod saltem ante annum 600. publice legebatur. Prostat in Conciliis Toletanis sexti, & septimi Seculi: in professionibus fidei Conciliorum Arelatensis, & Forojuliensis Seculi Octavi: in Symbolo, quod proferunt Eucherius Episcopus Utamensis, & Beatus ejus Presbyter *lib.* 1, qui extat *T.* 13. *Bibliothecæ Patrum*, adversus Elipandum Archiepiscopum Toletanum anno Eræ Hispanicæ 827. Christi 785. conscripto: sic enim habent: *Surgamus ergo cum ipsis Apostolis, & fidei nostræ symbolum, quam tradiderunt nobis, brevi compendio recitemus*: „ Credo in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jesum „ Christum Filium ejus, qui natus est „ de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: „ passus sub Pontio Pilato, crucifixus, „ & sepultus: *Descendit ad inferna*: tertia die resurrexit vivus a mortuis: „ ascendit ad Cælos, &c „. Prostat demum in vetusto Symbolo Græco-Latino; quod produxit Usserius, & inventum est in Psalterio Græco Gregorii Papæ IV., qui obiit anno 843. in quo Symbolum Apostolicum exaratum est cum additamentis omnibus, quæ apparent in hodierno Romano diverso licet charactere scriptis. Quo tempore autem in hodierno Romano insertus fuerit articulus *descendit ad Inferos*, qui Rufini tempore non extabat, incertum. Sed illud certissimum est jam a mille circiter annis additamenta, quæ in hoc Symbolo facta sunt, communi Ecclesiæ Occidentalis usu esse consecrata. Manifestum id in primis est ex Auctoribus Sermonum 240., 241. e 242., qui habentur in Appendice Serm. S. Augustini juxta editionem Monachorum S. Mauri, ubi totidem verbis hodierni Romani Symboli formula describitur, nisi quod in postremo ex illis ad *carnis resurrectionem* additur *hujus*. Quicumque etenim sint, qui sermones illos ediderint, aut ex Augustini aliorumve sententiis conflaverint, ambigendum plane non est, antiquissimos esse, & longe ante nonum, aut decimum Ecclesiæ Sæculum exaratos.

Quæ cum ita sint, nemo sane non vehementer obstupescat Erasmi tantæ lectionis viri præposterum judicium, qui Symbolo Apostolorum a S. Thoma Aquinate connexum hunc articulum esse quodammodo dubitat. Quid in tam absonam dubitationem Erasmum potuerit adducere, me fugit profecto, nec ulla possum assequi conjectura: neque enim aut in historia, aut in aliquo antiquo Auctore, aut in ipsis S. Thomæ operibus, vel levissimum vestigium extat, unde dubitatio de hac re aliqua suboriri queat, totque Divi Thomæ ætate longe vetustiora, quæ attulimus documenta,

nebu-

nebulam omnem penitus discutiant, remque in pleniore luce constituant. Sed & in aliis pluribus, quæ de hoc articulo scripsit Erasmus, crassam ejus incogitantiam, sive potius inscitiam, jure notant Scriptores aliqui, atque in eo præsertim quod dixerit: *Nam & hodie in Ecclesiæ Catholicæ Symbolo descensum non audimus*: quibus verbis quid significare ipse voluerit, prorsus ignoro. Si enim obvium eorum sensum spectemus, dicendum foret, vel numquam Erasmum Apostolorum vulgatissimum Symbolum recitasse, vel mentis deliquium passum esse, dum ita scriberet. Illud etiam minime ferendum in hoc Auctore, quod sententiæ communi veluti illudens, effutiat: *Sequens ætas videre sibi visa est, quæ priores non viderunt* : : : : *Nunc recondita postquam nostris Theologis patescunt; sic omnia sunt constituta, ut addubitare quidquam sit grande nefas*. Si de origine Articuli, ut satis locutum constat, Sermonem habet Erasmus, *nefas* plane *grande est*, & pinguissimus error opinari *sequentem ætatem non vidisse, quod priores non viderant*, aut recentiorum Theologorum inventum existimare, quod ex antiquæ Ecclesiæ auctoritate, & magisterio derivatum est, & ab ipsis Christianæ Religionis primordiis continenti successione Ecclesia Christi semper est professa. Plura alia, quæ Erasmi & audaciam, & nimiam incogitantiam produnt, videsis apud Petavium merito castigata.



C A-

CAPUT II.

Proprius, ac germanus sensus articuli Descendit ad Inferos *a Catechismo Concilii Tridentini expositus. Quænam doctrinæ ipsius capita ad fidem pertineant, inquiritur. Fide certum est Christi Animam in triduo mortis ad Inferos commigrasse: Gerardus Vossius confutatus. Fidei quoque doctrinam spectat, descendisse Christum ad Inferos, ut Sanctorum animas ibi detentas libertate donaret. An ad cætera Inferorum loca delapsus fuerit, res est in disputatione posita. Etiam subterranei loci conditionem implicari in hoc articulo, pluribus ostenditur.*

QUinam subsit verbis articuli, qui in Apostolico Symbolo recitatur, probaturque tum a Latina Ecclesia, tum a Græca, cæterisque Orientalibus, *Descendit ad Inferos*, legitimus sensus, notum est omnibus, qui vel primora Christianæ fidei rudimenta a pueritia suscepere. Illum nitidissime exponit Concilii Tridentini Catechismus *p. 1. Cap. 6.* inquiens: *Hoc nobis credendum proponitur, Christo jam mortuo ejus animam ad inferos descendisse, ibique tandiu mansisse, quandiu ejusdem corpus in sepulcro fuit.* Ac subinde clarius explanans, tum quid *Inferorum* nomine intelligendum veniat, tum quæ officia ibidem ab anima Christi peracta sint, subjicit: „ Monere oportet *Inferos* hoc loco *pro sepulcro* non accipi, ut quidam non minus impie, quam imperite putaverunt. Superiori enim articulo Christum Dominum sepultum esse edocti sumus: nec ulla caussa erat, rursum in fide tradenda alio, & quidem obscuriori loquendi genere idem a Sanctis Apostolis repeteretur. Verum *Inferorum* nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animæ detinentur, quæ cælestem beatitudinem non sunt consecutæ. Ita vero sacræ Litteræ hanc vocem multis in locis usurpant. Nam apud Apostolum legimus: *In nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*: & in Actibus Apostol. D. Petrus testatur, *Christum Dominum suscitatum, solutis inferni doloribus*. „ Deinceps vero loca distinguens animarum, quæ extra beatitudinem constitutæ sunt, earum scilicet, tum quæ igne inextinguibili, aut piaculari tantum pœna torquentur, tum quæ sine ullo dolore sensus Christi redemptionem præstolabantur, ait: *Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animæ Sanctorum ante Christi Domini adventum, excipiebantur, ibique sine ullo sensu doloris, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quæ in sinu Abrahæ Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad Inferos descendens liberavit.*

Pergit vero Catechismus postea explicare modum hujusce ad ea loca Christi descensionis his verbis: „ Nec vero existimandum est, eum sic ad Inferos descendisse, ut ejus tantummodo vis, ac virtus, non etiam anima eo pervenerit: sed omnino credendum est ipsam animam re, & præsentia ad Inferos descendisse: de quo extat firmissimum illud Davidis testimonium: *Non derelinques animam meam in inferno* „. Ac demum post alia quædam animadversa concludit: „ Propterea Christum Dominum ad Inferos descendisse, ut ereptis Dæmonum spoliis, Sanctos illos Patres, cæterosque pios, ac justos e carcere liberatos secum adduceret in Cælum: quod ab eo admirabiliter, summaque cum gloria perfectum est: statim enim [illegible]us aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa lætitia, gaudioque implevit, quibus & optatissimam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, impertivit.... Est illa præterea caussa, cur descenderit ad inferos Christus Dominus, ut ibi etiam, quemadmodum in cælo, & in terris, vim suam potestatemque declararet, & omnino, ut in nomine ejus omne genuflecteretur cæ-

„ le-

„ lestium, terrestrium, & infernorum. „ Quo loco quis summam Dei benignitatem in genus humanum non admiretur, & obstupescat, qui non modo „ pro nobis acerbissimam mortem subire, *sed infimas etiam terræ partes penetrare voluerit*, ut sibi carissimas animas inde ereptas ad beatitudinem traduceret „. Hactenus Catechismus Tridentini Concilii.

Tria igitur, quatuorve complectitur hic articulus Symboli juxta expositionem a Catechismo traditam, & ab Ecclesia Romana probatam: quorum primum veluti substantiam respicit *descensus Christi ad Inferos*: quod scilicet ipsius anima post separationem a corpore abierit ad sedes animarum mortali vita functarum. Alterum modum spectat hujusce descensus: quod nempe anima Christi non potentia tantum, aut virtute, verum & reipsa, ac præsentia sua ad Inferos descenderit. Tertium refertur ad qualitatem definiti loci, quo descendit, *ad Inferos* videlicet, quo nomine non *sepulcrum*, *sed infimæ terræ partes* intelligendæ sint. Quarto demum præcipuum finem declarat, ob quem Christus ad Inferos descenderit, nimirum ut justorum animas illinc educeret, & sempiterna felicitate donaret.

An hæc omnia ad fidei doctrinam pertineant, in quæstionem vocatur, aut saltem vocari potest. Atque illud quidem in primis apud Catholicos certum est, comprehensumque habent omnes tamquam aliquod fidei Christianæ dogma, animam Christi post mortem ad Inferos commigrasse, sive ad loca aliqua, in quibus defunctorum animæ corporibus exsolutæ detinerentur. Unde veluti a fide prorsus alienum repudiant in eo articulo agi de corpore, aut sepultura ipsius. Hoc etenim sensu semper articulum illum intellexit Ecclesia, eumque disertissime prodidit tum in Conciliis Toletanis, quæ infra referemus, tum in Œcumenico Lateranensi, quod sub Innocentio III. celebratum est, in celeberrima fidei professione, quæ 1. Capite legitur: *In ligno Crucis passus, & mortuus: descendit ad Inferos, resurrexit a mortuis, & ascendit in cælum: sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque in utroque*. Sed & a primis Ecclesiæ Sæculis id pro fidei dogmate habitum esse constat, tum ex illa sententia S. Augustini: *Quis nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* Tum ex S. Leone Magno *Epist. 93. ad Thuribium*, tum ex pluribus aliis Patribus infra referendis: ex quibus etiam compertissimum est descensum hujusmodi, non ad virtutem dumtaxat, sive potentiam, sed ad præsentiam animæ Christi realem pertinere. Quapropter jam pridem a Theologis omnibus rejecta, & explosa opinio Durandi est, qui oppositum docuit.

Verum obstrepit hic adversus hunc catholicorum sensum Gerardus Vossius (& ex ipso Carolus Drelincurtius) contenditque neque præsens articuli caput pertinere ad fidei doctrinam. Quo fundamento? Quia, inquit, si fidem spectaret, mentionem plane ejusdem aliquam fecissent in Symbolo Concilia Nicænum, Constantinopolitanum, totque alia per plura sæcula celebrata. Porro in his altum de hoc articulo silentium; nam post mortem, & sepulturam Christi, statim ad ejus proponendam resurrectionem progrediuntur. Oppido mirum est, quod tam ficulneo argumento adversus receptissimam veritatem firmisque fundamentis innixam utatur vir ceteroquin sapiens, & in rebus Ecclesiasticis plurimum versatus. Si quid hoc suum argumentum probaret, eo quoque plane probaretur neque Sacramenta sive Baptismatis, sive Eucharistiæ, nec missionem Sancti Spiritus, neque *Sanctorum Communionem*, *neque ipsam vitam æternam*, neque permulta alia dogmata ad Christianam fidem pertinere: quoniam, si de quibusdam ex his articulis in aliquo Symbolo, aut fidei professione facta mentio est, in longe pluribus deest. At enim vero nonne de Christi ad Inferos descensu expresse meminit Symbolum *Aquilejense*? Nonne *Hierosolymitanum*? Nonne *Cypriense*, *Athanasianum*, *Romanum*, & ut minus decem Orientalium Ecclesiarum? Nonne hunc articulum diserte exprimunt Professiones fidei editæ in duplici Concilio Toleta-

letano, in Sirmiensi, in Lateranensi, totque aliis, quæ illud vel præcessere, vel subsecuta sunt? Nonne (id quod suo loco patefcet evidentissime) omnes Ecclesiæ Patres, nemine refragante, illum docuerunt, vel tamquam fide certum agnoverunt, & a quibusvis Christiani orbis Ecclesiis receptum tradidere? Quis umquam necesse putavit, ut fidei doctrina quidpiam crederetur, quod omnia Symbola, fidei professiones omnes illud exponerent?

Quoniam vero Vossius insistit præsertim in Synodi Nicænæ, & Constantinopolitanæ Symbolo, quod articulum nostrum nequaquam exprimit, & *profecto*, inquit, *non prætermisset, si dogma hoc agnovisset, quippe eo nihil magis valuisset ad refellendum Arium: siquidem is negabat Christum habuisse animam, & divinitatem ei pro anima fuisse ajebat*; plane dum hæc audio, incredibile mihi videtur, hæc ab erudito homine scribi potuisse. Quamquam enim etiam error iste ab uno vel altero Ecclesiæ Patre Arianis quibusdam fuerit attributus, quis nescit, quod lippis, & tonsoribus notum est, capitalem Arianorum errorem, quique tot rumores ac turbas excitavit in Ecclesia Dei, spectasse divinitatem Christi, ejusque consubstantialitatem cum Patre? Quare ad hæresim hanc eliminandam curas suas omnes, atque studia contulerunt Catholici Patres, & adversum illam, formulam, quam habemus, in Nicæna Synodo condiderunt. De alio errore, qui vel fortassis nondum exortus, vel certe paucorum erat, vixque tunc temporis cognitus, admodum non fuere solliciti, nec propter hunc articulum de descensu Christi ad Inferos Symbolo inserendum esse existimarunt, tametsi fide certum habuerint. Qua de causa nec etiam Symbolo adjectus est Concilii Constantinopolitani, in quo de divinitate Sancti Spiritus decretum fuit, quam Macedonius, ejusque gregales abnuebant, sicut neque etiam plurium aliorum fidei professionibus, quæ adversus errores alios confectæ sunt. Quamobrem frustraneo labore desudavit Vossius in colligendis sive Symbolis, sive fidei professionibus, in quibus hic articulus desideratur; cum ex harum silentio nullum possit plausibile argumentum extundere, nisi aliunde probaverit, nihil esse in aliis Ecclesiæ monumentis, unde fide creditum fuisse merito colligatur: quod numquam Vossius præstiturus est: innumera quippe sunt alia argumenta, quæ id efficacissime convincunt, ut ex sequentibus liquidius apparebit.

Constituto itaque tamquam fide certo *descensu Animæ Christi ad Inferos*, ad examen revoco, num etiam ad fidei doctrinam pertineant duo alia capita ex Catechismo Tridentini Concilii jam exposita, *quo nempe Christus descenderit, quidve ipse peregerit*. Qua in re Vir Clarissimus, & de universa litteraria Republica optime meritus Ludovicus Antonius Muratorius *lib. 3. de mo. der. Ingen.* agens contra Phereponum, sive Joannem Clericum statuit, *id tantummodo inter Catholicos constare, ac ratum esse, Christum videlicet post mortem descendisse ad Inferos, ac nomine Inferorum significata diversa quadam loca, quo omnes hominum vita functorum animæ e corpore soluta olim deferebantur pro variis meritis*: atque adeo sentire videtur cætera quæque, quæ ad præsentem articulum revocantur, doctrinam ipsam fidei non respicere, sed inter adiaphoras quæstiones accenseri. Si ita reapse sensit Muratorius (neque enim ex laudatis verbis mens ejus perspicua penitus mihi est) hæc sententia abhorret omnino a veritate, nec magno labore opus est, ut ostendamus aliud quidpiam quoad hunc articulum, præter expositum caput, fide esse tenendum, illudque in primis, *Christum ad Inferos descendisse, ut sanctorum animas ibi detentas in libertatem assereret, & sempiternæ felicitatis compotes in cælo demum efficeret: quocum implicatum istud*, inquit Petavius, *& annexum est, ante Christi obitum Patriarcharum & Prophetarum animas, reliquorumque Sanctorum nondum in cælum admissas fuisse, sed in subterraneis illis egisse locis*.

Caput istud doctrinæ ad fidem referri catholicæ Ecclesiæ plura sunt, quæ affatim suadeant, atque evincant, docu-

menta. Nam primum hoc diserte traditur a S. Cyrillo Hierosolymitano in expositione Symboli superius laudata, dicente, *Christum Dominum ad inferiora descendisse, ut justos inde redimeret*. Item in Symbolo a S. Epiphanio producto Ecclesiæ suæ, in quo habetur, *Christi animam simul cum divinitate descendisse ad inferna, & abstulisse illinc animarum captivitatem*, quod etiam expresse habetur in Expositione Symboli Aquilejensis facta a Rufino. Ex quo item eruitur Ecclesiam descensum Christi ad Inferos expressum in Symbolo intellexisse ob justorum liberationem, & hanc fuisse Christianorum fidem in ejusdem recitatione. Præterea idem conceptissime tradunt Professiones fidei editæ in Conciliis Toletanis ab universa Ecclesia approbatis. Nam in Concilio 4. Cap. 1. legitur: *Descendit Christus ad Inferos, ut sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & devicto mortis imperio, resurrexit. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides: hanc confessionem servamus, atque tenemus*. Et in Concilio 6. *Tartara* (Christus) *penetravit in anima, & Sanctorum animas, quas illic hostis vinctas tenebat, morsu potentiæ suæ exemit, ut prophetale vaticinium inquit: O Inferne, ego morsus tuus*. In Appendice quoque S. Augustini sermo. 240. qui Cæsario tribuitur, sic habet de Symboli fide ab omnibus recipienda: *Credite eum* (Christum Dominum) *pro nostris peccatis passum sub Pontio Pilato: credite crucifixum: credite mortuum, & sepultum: credite eum ad inferna descendisse, Diabolum obligasse, & animas Sanctorum, quæ sub custodia detinebantur, liberasse, secumque ad cælestem Patriam perduxisse*.

Accedunt Patres Ecclesiæ sive Latinæ, sive Græcæ, qui doctrinam eamdem constanter professi sunt. S. Gregorius Magnus fidem tenendam de hac re præscribens lib. 6. Epist. 15. *Nihil aliud*, inquit, *teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet, quia descendens ad Inferos Dominus illos solummodo ab Inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit*. Longe ante S. Gregorium in actis Concilii Nicæni refertur Sententia Macarii Episcopi Hierosolymitani, Concilio plaudente, prolata, nimirum: *Venit Salvator omnium, & a nobis debita supplicia in sua carne suscepit. Descendebamus nos post mortem ad Inferos. Suscepit & hoc, descendensque sponte ad eos, non tamen detentus est... Cumque solus descendisset, cum multis rediit*, ab inferno, scilicet liberatis. S. Augustinus Epistola ad Evodium scribit: *Teneamus firmissime, quod fides habet fundatissima auctoritate firmata: quia Christus mortuus est secundum Scripturas, & cætera, quæ de illo testatissimma veritate conscripta sunt, in quibus etiam hoc est, quod apud Inferos fuit, solutis eorum doloribus, quibus eum erat impossibile teneri: a quibus etiam recte intelligitur solvisse, & liberasse, quos voluit, corpusque, quod in cruce reliquerat, in sepulcro positum recepisse*. Anastasius Sinaites *lib. 5. de recta fidei dogmatibus*, hoc inter alia recenset: *Descendit* (Christus) *in inferiores partes terræ, inque cor illius introivit tantillum temporis illic consumpturus, quantum expediebat apud illos morari, ut eis, qui in Inferno conclusi tenebantur, sua potestate contraderet & gratiam, & opportunum subsidium*: quod subinde latius explicat, asseritque animarum captivitatem ex Inferni claustris liberrimam eduxisse.

Totius Ecclesiæ Græcæ præter Latinam semper fuisse, atque nunc etiam esse fidem, ac sententiam, indubitatum est: idque, ut alia omittam, colligitur ex ipsis solemnibus precibus, quas illustrat S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria dicens: *Recitat deinde Sacerdos Christi ad Inferos descensionem, vinctorum illic liberationem, & triduanam, ac sanctam a mortuis resurrectionem*. Et Theorianus Epist. ad Sacerd. de jejunio Sabbati testatur: *Non jejunant Græci Sabbato: quia ea die animæ justorum statim post descensum Domini ad Inferos, liberatæ fuerunt*. Eadem quoque est aliarum Ecclesiarum

fides.

fides. Zaga Zabo Æthiops (*a*) in confessione fidei Æthiopicæ hæc habet: *Christus descendit ad Inferos, ubi erat anima Adæ, & ejus filiorum : atque anima ipsius Christi.... in splendore, ac potentia divinitatis suæ, & Crucis fortitudine fregit æneas Inferorum portas, & catenas ferreas, & Satanam colligavit, & redemit Adam, & ejus filios*. Moses Mardenus Assyrius *in Tabula Lect. Novi Testamenti* scribit: *Sabbatum Annuntiationis idcirco appellatur, quod eo Christus Patribus apud Inferos agentibus annunciavit extremo suo supplicio salutem eis partam jam esse*. Demum Gabriel Patriarcha Alexandrinus in confessione fidei edita anno 1595. ita loquitur: *Firmiter credo, & prædico Christum vere passum, vere mortuum, & sepultum, vere cum anima descendisse ad Inferos ad liberandas animas Sanctorum Patrum, quæ in Limbo detinebantur*, &c. Quis post hæc Ecclesiarum testimonia, etiam silentio nunc prætermissis plurimorum Patrum authoritatibus, inficiari ausit hoc officium in triduo mortis a Christo peractum fide esse credendum?

Ex verbis relatis S. Gregorii Magni satis constat quosdam ævo suo extitisse apud Græcos, qui sibi persuaserant, nedum justos omnes, sed etiam omnes impios, atque ad Gehennam damnatos, Christum ad Inferos descendentem liberasse: quam sententiam aliquibus etiam Ecclesiæ Patribus placuisse, quoad illos saltem, qui in ipsum Christum ob ejus prædicationem credidere, & ad pœnitentiam conversi sunt, scribit Gaspar Suicerus V. *Adis*, remittitque Lectorem suum ad Leonem Allatium *Dissert. 2. de libris Ecclesiast.* horum testimonia referentem. Errorem hunc ab Ecclesia reprobatum esse, quisque jam intelligit ex verbis Gregorii, & ex testimonio S. Philastrii, qui inter hæreses illum accenset hæresi 121. inquiens: *Alii sunt hæretici, qui dicunt Dominum in Infernum descendisse, & omnibus post mortem ejus ibidem renunciasse, ut confitentes ibidem salvarentur: cum hoc sit contrarium dicenti Prophetæ*: In inferno autem quis confitebitur tibi, &c. Daneus ad Augustinum hæresi 79. vocat hanc hæresim *Liberatorum*: Author vero *Prædestinati*, C. 79. hæresim *Adecerditarum*. Patres autem, quos in hunc errorem prolapsos ex Allatio Suicerus exhibet, Allatius ipse ab hoc errore egregie vindicat, atque ex hujus solidis vindiciis addiscere debuerat Scriptor ille heterodoxus, non nisi summa injuria eximios plures Ecclesiæ Patres absurdæ doctrinæ reos posse traduci (*b*).

Hac ergo rejecta sententia illud dumtaxat ex plurium Patrum doctrina colligere licet Christi animam in triduo mortis, nedum ad Abrahæ sinum, aut Limbum Sanctorum Patrum descendisse, sed etiam proprie, ac reipsa ad Dæmonum, Damnatorumque carcerem, non equidem ut eos illinc eriperet, ac libertate donaret, sed potius ut ipsos

(*a*) Apud Cocceium. (*b*) En solidæ Allatii vindiciæ Patrum. „ Possumus, inquit, dicere Patres sic locutos (cum nempe dicunt Christum *Infernum spoliasse*, &c.) Infernum non „ in particulari, sed in generali significatione accepisse: prædicationem Evangelii non ad eam „ annuntiationem retulisse, quæ fit, cum quis ex infideli fidelis, & ex scelerato bonus evadit, „ sed ad peractæ redemptionis, & instantis liberationis, futuræque resurrectionis nunciationem: „ alios etiam intellexisse damnatis ipso opere prædicatam esse liberationem, non ipsorum, sed „ eorum, qui hic Deo adhæserunt. Nos tamen, qui cum Græcis agimus, & Sanctorum Patrum „ dicta veneramur, non tantum ea, quæ modo allata sunt, sed etiam alia, quæ multa in hoc „ argumentum afferri possunt, libentes amplectimur, & exosculamur. Utinam Græci etiam ipsi „ prudenter intelligant! Quare verum est, quod Patres tradunt, Christum descensu suo ad Inferos, multos propter peccata cruciatibus, ac tormentis addictos in libertatem restituisse. Hic „ est sensus Ecclesiæ, non Græcæ solum, sed universalis... Ergo Christus præter eos, qui erant „ in sinu Abrahæ, & justorum appellatione gaudebant, alios quoque, qui justi non erant, sed „ peccatorum vinculis illigabantur, e pœnis, & cruciatibus liberavit.... Sed cum non fuerint „ liberati a pœnis Inferni Damnatorum, (nam error Origenis semper fuit ab Ecclesia reprobatus) certe ex alio loco, qui nec Infernus fuerit, nec sinus Abrahæ. Quo itaque? Dicito tu „ impune nomen loco, quodcumque placet, dum ibi mihi non æternas, sed temporarias pœnas „ afferas. Dum enim liberantur aliquando, non æternæ fuerunt. Ego cum Ecclesia Catholica „ nullum magis idoneum nomen, quam *Purgatorii* in loco explicando novi. Et ecce quomodo „ ex testimoniis Patrum, quibus pœnarum Inferni finis afferebatur, Purgatorii pœnas exculpsimus „. Hæc Allatius.

redargueret; & potentia, ac majestate sua perterrefaceret. Atque hanc sententiam certe tenuit, & docuit S. Augustinus non uno in loco. Docuerunt pariter S. Fulgentius *lib. 3. ad Trasimundum cap.* 30. Prudentius, qui dum ad Tartara Christum descendisse canit, locum illum torquendis impiis destinatum satis aperte insinuat, atque alii nonnulli, qui congressum apud Inferos Christi cum Dæmonibus describunt. Hanc quoque sententiam tuentur Cornelius a Lapide, Bellarminus, aliique ex Theologis, aliis contra opinantibus cum D. Thoma, qui Christi Animam sola virtute, ac potentia sua carcerem Damnatorum penetrasse contendunt. Quare id ad fidei doctrinam nullatenus pertinere dicendum est, quod optime adnotatum est a Petavio *Cap.* 182. 5. inquiente: „ Utcumque de Inferorum regione illa, „ ad quam delapsus est Christus, existimetur; certum est hunc ad eam „ saltem venisse, in qua Sancti testamenti veteris, tamquam carcere claudebantur: ut Græci, Latinique tot a „ nobis recensiti Patres significant. Proinde castiganda est illorum audacia, „ qui eosdem Sanctos negant in subterraneo aliquo reservatos loco, ibique „ inventos a Christo, & ad perennem „ gloriam evocatos fuisse: quod fidei „ nostræ est satis „. Non est igitur doctrina hæc, quemadmodum, quæ descensum ad Damnatorum locum spectat, in sola Theologorum opinione posita, nec hujusmodi hactenus in Catholica Ecclesia habita, ut in utramque partem de illa sentire, ac serio disputare integrum sit Christiano homini: quod in plerisque de Schola quæstionibus fieri assolet, sed ratam, constitutam, nullique dubitationi obnoxiam credere oportet.

Jam vero superest, ut videamus etiam postremo loco, an ad fidei quoque doctrinam revocetur *subterraneæ sedis* conditio, in qua Sanctorum Patrum justorumque animas asservatas fuisse usque ad Christi adventum Catechismus Concilii Tridentini, ac Theologi nostrates universim tradunt. Atque id quidem veluti rem exploratam ponit Petavius in verbis modo laudatis; dum perhibet *Fidei nostræ satis esse, ut credamus Sanctos veteres in subterraneo aliquo reservatos fuisse loco*, & a Christo postmodum liberatos: quod etiam paulo ante diserte scripserat. Duvalius quoque Limbum Patrum locum esse *subterraneum* fidei doctrinam esse decernit *T.* 1. *p.* 517. inquiens: *De fide est Limbum illum, in quo veteres Patriarchæ ante Christi mortem detinebantur, locum esse subterraneum*: idque primo loco probat ex hoc Symboli articulo, *Descendit ad inferos*, idest, ait, *juxta communem consensum universalis Ecclesiæ, ad locum, in quo Patres veteris legis detinebantur*. Natalis etiam Alexander *Disp.* 2. *in Vet. Testam.* idem confirmat dicens: *Christum ad Inferos descendisse, ac tribus diebus, ac noctibus fuisse in corde terræ fides docet*. P. Suarez ibidem *disp.* 43. *in* 3. *p. D. Thomæ*, cum prius asseruisset Christum ad Infernum secundum animam descendisse, subdit: *Assertio est de fide: intelligimus autem nomine Inferni locum aliquem certum, subterraneum: & hoc sensu definita est ab Ecclesia*. Theologos alios pene innumeros prætereo; qui ex hoc Symboli articulo colligunt pertinere ad doctrinam fidei Limbum Patrum, ad quem demigravit Christus Dominus, locum esse *subterraneum*.

Profecto si fidei doctrina est in hoc Symboli articulo comprehensa Christi descensus ad animarum vita functarum loca, ut nemo Catholicorum ambigit; consequitur plane, ut mihi videtur, fidei quoque doctrinam esse conditionem loci *subterranei*, quamquam in illo non explicetur: neque enim hæc verba, *descendit ad Inferos*, in nativo sensu suo exposita locum alium, quam *subterraneum* designant, neque alium sensum pati congrue possunt, quod deinceps fiet apertius: sed neque alio in sensu eadem intellexere Sancti Patres cum universa Ecclesia. Atque hinc factum est, ut in quibuslibet Catechismis ab Ecclesia probatis, præter illum Tridentini Concilii, in hujusce articuli explicatione, vel disertis verbis exprimatur subterranea conditio loci, ad quem Christus descendit, vel saltem æquipollen-

lentibus: Hoc patet, ut alia quædam exempla proferam, ex Symbolo supra citato S. Cyrilli Hierosolymitani, in quo dicitur: *Christus passus, crucifixus, & sepultus, & descendisse ad loca καταχθόνια, subterrestria*. Rufinus item in expositione Symboli Aquilejensis tradit Christum Inferos adiisse, *Ut qui jam plura in terra operatus fuerat, ea parte, quæ sub terra est, Inferni sibi regna subjiceret*. Pariter D. Lambertus in præclaris suis institutionibus, cum in articulum hunc quæsivisset: *Quisnam esset locus, ad quem Christus descendit?* Respondet, *nomen ipsum illud aperte significat*, nimirum esse locum inferiorem, & subterraneum. Verum hæc modo sufficiant: Nam quæ plura tota hac Dissertatione dicentur, clarissimam huic veritati lucem affundent.



CA-

CAPUT III.

Referuntur errores hæreticorum circa articulum Symboli, descendit ad Inferos: *Absurda Calvini, & blasphema interpretatio, quam reipsa tradidit. In eumdem errorem impegit etiam aliquando Lutherus, a quo postea recessit, sed non nisi errore alio, quem ejus discipuli frequentius docent. Quo pacto hunc articulum exposuerint veteres aliqui Calviniani, exponantque recentiores; a quibus omnibus dissensit nuperrimus Author, quin tamen attigerit Catholicæ Ecclesiæ doctrinam.*

SEnsus Articuli Symboli, *Descendit ad Inferos*, quem modo exposuimus, ac fidei doctrina, quæ in ipso comprehenditur, semper intemerata permansit in Ecclesia Dei ad hæc postrema usque Sæcula, quin ullus extiterit, saltem alicujus nominis, & famæ, qui eam auderet impetere, aut alienis perversis interpretationibus obnubilare. At fuere tandem novarum rerum cupidi homines, qui, cum alia plura Catholicæ Ecclesiæ dogmata aspernati sint, tum etiam fidem præsentis articuli evertere penitus, ac labefactare studuerunt. Hi Symboli quidem Apostolici, quod ab Ecclesia Romana acceperant, articulum quoad ipsa verba, nulla prorsus inducta mutatione, retinuerunt, ne vel in ipso Symbolo ab antiqua Ecclesia recessisse viderentur; sed legitimum ejusdem sensum omnino corruperunt, aliumque substituere pro cujusque libito, ac voluntate, tamque absurdas atque ab usitato, & nativo verborum sensu abhorrentes interpretationes commenti sunt, ut Petrus ipse Baillæus referens Dissertationem D. Lighfooti de articulo *descendit ad Inferos* (a), continere se non potuerit, quin hæc ingenue scriberet: *Pulcra quidem affert quamplura* (hic Auctor) *in hujus articuli expositione. Sed interim fateri necessum est, Protestantes omnes verbis hujus articuli notiones appingere, quæ meri barbarismi sunt: adeo abhorrent ab usu loquendi communi.* Veniam a Lectore peto, si cum tædio suo fortasse, hasce ego articuli interpretationes recenseo, ut constet, quam longe a veritate rectoque sensu abierint, qui tum in aliis, tum in hoc argumento per summum nefas ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina recessere.

Primus, qui novam, eamque omnium forte absurdissimam hujus articuli expositionem excogitavit, fuit Calvinistarum dux Joannes Calvinus, qui cum *lib. 2. C. 16. suarum Institutionum* post aliorum articulorum Symboli explicationem hanc attigisset; primo loco statuit Descensum Christi ad Inferos ex communi piorum omnium sensu fuisse desumptum, Patrumque esse neminem, qui illum non commemoret: ac deinde ad ejus expositionem veniens, cæteris aliis rejectis, hanc esse propriam, & genuinam docet, nihil aliud descensu Christi ad Inferos denotari, quam passiones, & angores damnatarum animarum, quos anima Christi perpessa est. An Calvinus loquatur de pœnis Inferni, quas sustinuit anima Christi post separationem ejus a corpore, vel corpori conjuncta, disceptant inter se Catholici, Calvinique discipuli: priorem partem defendente Bellarmino cum aliis pluribus, posteriorem vero Junio, Danæo, Drelincurtio, qui eam blasphemiam a Magistro suo amoliri conantur. Ad me quod attinet, qui nemini errorem, quem non ipse docuerit, adscribere velim, dicendum censeo ex iis quidem, quæ docet Calvinus in *lib. Institutionum*, certo non patescere locutum illum fuisse de pœnis Inferni ab anima Christi post mortem toleratis, id tamen solido fundamento præsumi tum ex tota ejus doctrina, quam nedum ibi, sed etiam alibi tradit, tum ex testimonio Theodori Bezæ satis id aperte affirman-

(a) Tom. 1. Operum suorum.

mantis: Nam præterquam quod diros memorat Inferni cruciatus, quos Christus pertulit, in explicatione hujus articuli, cum jam antea de Christi morte sermonem habuisset, nulla facta mentione, quod cruciatus hujusmodi ad tempus præcedens referendi sint, diserte distinguit ille triplicem veluti statum animæ Christi patientis, scilicet *in horto, in Cruce, & post mortem*, docetque cœpisse Christum versari in Inferno illa hora, qua in horto *cœpit contristari, & orare:* deinde profundius descendisse, quando *in Cruce* clamavit, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me:* tum demum profundissime, quando coram Dei tribunali comparuit tamquam reus æternæ mortis, & judicium sustinuit irati Dei severissimum, quod hoc articulo designari putat. Hoc etiam colligitur ex ejusdem parvo Catechismo, & ex Harmonia Evangelica ad caput 27. Matthæi. Consuli quoque potest Gretserus in *defensione Bellarmini* ad hunc locum, ubi strenue propugnat blasphemiam hanc reapse docuisse Calvinum, quam merito horrescunt, atque cum nausea rejiciunt vel ipsi Calvini discipuli. Hos inter accensetur Theodorus Beza, cui plane magistri sui mens haud potuit non esse perspecta. Nam *in Cap. 2. Actuum Apostolorum* hæc scribit: *Tandem inventus est nostra ætate* (Calvinus certe: siquidem verba, quæ profert, Calvini sunt) *qui Christi animam diceret vere ad loca damnandis nocentibus destinata pervenisse, & ibi peccatorum nostrorum pœnas tulisse. Nam, inquit ille, alioquin non erit plena ipsius pro nobis satisfactio. Atqui, si ita est, miror cur non etiam ipsum Christi corpus iisdem pœnis subjecerit, siquidem nostrum corpus non est minus obnoxium pœnis æternis, quam noster animus*. Hæc a me propterea sunt animadversa, ut cum isthæc præsentis articuli explicatio, Calvinianis ipsis fatentibus, horrorem ingeneret, illud cogantur concedere Magistrum suum, suæque sectæ caput, ac ducem horribilem docuisse blasphemiam, atque errorem absurdissimum.

Quid quod in eumdem errorem impegit Coryphæus alter recentium hæreticorum Lutherus in Commentario super Psal. 16., ubi hæc tradit: *Etsi multi Sancti in sepulcro, & Inferno absque dolore fuisse credantur, qui in pace mortui sunt; tamen Christus, sicut cum summo dolore mortuus est, ita videtur, & dolores post mortem sustinuisse, ut nobis omnia superaret. Ita ego interim verbis Petri inhærebo, donec meliora doctus fuero*. Daniel Cramerus Lutheranus, qui hunc sibi textum objicit in opere jam citato, excusare magistrum suum nititur mirifica hac observatione quod *junior hæc scripserit*; quodque addiderit, *donec meliora doctus fuero*. *Dona enim*, subdit, *Spiritus Sancti in Luthero incrementa de die in diem sumpsere*: nimirum Spiritus Sanctus Lutherum prius errorem edocuit, ac deinde veritatem. Quid vero a Sancto Spiritu Lutherus melius edoctus senserit, audi ab eodem Cramero, qui aliam hanc affert ex illo articuli nostri expositionem ab eo traditam in Commentario super Genesim: *Post egressum autem ex corpore quid* (Christus) *egerit, aut senserit, nos sane nescimus. Item quid anima fecerit in Inferno, multi multa disputant; an spoliaverit Inferos, & liberaverit suos, qui ante ipsum in sinum Abrahæ congregati fuerunt, nihil attinet quærere & rimari curiosius. De hoc nobis certo constat omnes Sanctos liberatos esse a potestate Inferni, & illam gratiam revelavit nobis in Evangelio*. Hæc Lutherus, quibus in verbis ad sensum Ecclesiæ Catholicæ accessisse videtur. At numquid in hujus notitiæ luce completum est *donum Spiritus Sancti in Luthero?* Minime. Sed aliud *incrementum* suscepit, quo a vero sensu Catholicæ Ecclesiæ descivit, & in absonum prorsus errorem fœde prolapsus est. Nam in celebri Concione Tongrensi in qua didactice, & ad populi captum de hoc articulo egit, hæc summatim ex eodem Cramero docuit: 1. *Actum hunc descensionis extramundanum esse, ut nullo modo conformem conditioni hujus vitæ:* 2. *Christum profectum esse in Infernum, non ut ibi aliquid pateretur, sed ut victorem, & Heroem triumphantem, confringentem Infernum, terrentem Diabolos, & prædominantem por-*

portis ejus. Si in his constitisset, nihil forsitan esset, quod posset in ejus intellectu redargui: sed ultra progressus adjecit tertio, *Totum Christum personaliter, & præsentialiter descendisse, sive totam personam nulla facta seclusione corporis ab anima, uti juxta Symbolum apostolicum simpliciter fatemur, Credo in Jesum Christum, in totam personam*. Hoc itaque est *incrementum, quod ex dono Spiritus Sancti* demum *sumpsit* fides Lutheri, descendisse scilicet Christum ad Inferos, nedum in anima, sed etiam in corpore animæ conjuncto.

Atque hanc Lutheri sententiam nedum sequitur, sed & summopere Ecclesiæ Dei commendat Lutheranæ *Concordiæ* formula, summamque ejus in articulo 9. comprehendit dicens: *Christum non ideo descendisse ad Inferos, ut aliqua pateretur, sed totam personam Deum, & hominem post sepulturam ad Infernum descendisse, Diabolum superasse, Inferni potestatem destruxisse, & Diabolum omni sua vi exuisse*, nulla expressa mentione facta de liberatione Sanctorum ab Inferorum claustris. „ Et hæc (subdit Cramerus p. 2. *De Descensu Christi ad Inferos* Cap. 4.) Lutheri, & Lutheranorum sententia est, qua profitemur Christum, non anima dumtaxat, non secundum divinitatem solam, sed juxta utramque naturam integram descendisse, non ut ibi tantillum pateretur, sed cum potentia, & majestate „. Atque exinde multis probare satagit *animam Christi in Inferno extra corpus, vel sine eo non fuisse*. Eadem tradunt Authores *Confessionis Augustanæ*, & videntur in hac etiam nunc perstare sententia Lutheri discipuli, qui saltem rigidiores audiunt, primorumque ducum suorum doctrinas sectantur. Sed ad Calvinistas aliosque hæreticos regrediamur.

Quam nuper exposuimus Calvini sententiam, licet quibusdam ex ejus discipulis minime displicuerit, cæteros tamen ejusdem puduit vehementer: unde, quemadmodum innuimus, in alienum sensum verba ipsius detorquere conati sunt, ut de cruciatibus intelligantur, quos Christus in Cruce perpessus est, cum exclamavit, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et hunc sensum referre articulum Symboli *descendit ad Inferos* defendit Lavatherus lib. 1. Cap. 5. Tract. *de descensu Christi ad Inferos*, ac probabilem censet Carolus Drelincurtius, qui contortis quibusdam Scripturarum textibus illum confirmare nititur; sed alii utramque hanc explicationem omnino repudiantes contendunt articuli sensum, non ad animam Christi, sed ad corpus esse referendum, illoque signari expressius Domini *sepulturam*. Ita sentiunt Bucerus in Cap. 27. Matth., & Theodorus Beza, quem alii plures secuti subinde sunt, quos inter Vossius, qui loco citato hæc scribit: *Sic statuimus Orientales per descensum Christi ad Inferos primitus intellexisse, quod Occidentales* (in Symbolo) *vocarunt sepulturam, ac errore quodam factum esse, ut cum prius, qui unum dicerent, alterum præterirent, ambo postea cœperint conjungi. Sane temporibus Rufini, hoc est circa annum* 400., *ipsa Ecclesia Romana erat contenta meminisse solius sepulturæ: Aquilejensis vero Ecclesia habuit quidem utrumque in Symbolo. Sed si ex Rufini mente judicandum est, unum idemque ambobus significari arbitrabatur. Errore vero ea conjungi etiam judicium est doctissimi Valentini Scindleri .... Ac pro hac sententia multum facit, quod pro Adi, sive inferi hebraice sit Sceol, quod notare terram, sive sepulcrum, minime est dubitandum. Quando vero errore hæc duo conjungi cœperint, solide nequit comprobari*. His subscribit Drelincurtius, qui hanc interpretationem articuli veluti probabiliorem cæteris præfert.

Alii vero, & numero quidem longe plures ita Symboli articulum interpretantur, ut significare putent Christum revera mortuum fuisse, & usque ad resurrectionem in statu mortis permansisse. Hanc explicationem, quæ nunc inter Calvinistas videtur frequentior, ita proposuit Paulus Fagius ad illa Jacobi verba, *Descendam ad filium meum lugens in infernum*: „ Facile, inquit, intelligitur articulus ille fidei, in quo de Christo dicitur: *Descendit ad Inferos*: quo sine dubio significatur Christi mor-

„ tem

„ tem non fuisse fictitiam, sed veram, „ & illum vere fuisse mortuum, & sepultum, communemque illum defunctorum statum pro nobis peccatoribus „ degustare voluisse „. Georgius Sohnius sic hujusmodi sensum exhibet *T. 2. art. 3. de part., & offic. Christi* per descensum Christi videlicet ad Inferos,, neque sepulturam significari, neque illam acerbissimorum cruciatuum ante mortem Christi perpessionem, neque localem animæ ad locum damnatorum migrationem, sed potius vel generatim totum „ humiliationis statum a primo usque „ ad infimum gradum, vel effectum, atque fructum passionis, mortis, ac sepulturæ Christi „. Demum ut sententias aliorum prætermittam, Samuel Bochartus Faggii interpretationi propius accedens, cæteris quibuscumque articuli interpretationibus rejectis, hanc unam germanam, ut propriam esse affirmat, signari scilicet per verba articuli, *Christum ad mortuorum usque statum humiliatum fuisse, & in eo per triduum permansisse*, additque hac explicatione *articulorum ordini optime consuli, ut post passionem, crucifixionem, mortem, sepulturam, dicatur aliquandiu in hoc statu permansisse*. Atque eodem modo articulum explicant Bullingerus, Lightfootus, Joannes Clericus, aliique, adeo ut inter Calvinistas sensus iste obtinere videatur.


Cæteris omnibus, quos videre licuit, proximius quidem, at non omnino accessit ad Ecclesiæ Catholicæ sensum Recentior Author Anonymus *Historiæ Symboli Apostolici* ex Anglico in sermonem latinum conversæ, cujus expositionem commendat, & tamquam genuinam extollit Ernestus Grabius (*a*). Præmittit ille in procemio (pag. 34.) *Symboli sensus maximam partem non ex Scripturis magis, quam ex Patribus esse hauriendam, hæresumque consideratione, quibus oppositi ejus articuli fuerunt. Quod ipsum*, subdit, *affirmare, licet audax primo intuitu videri possit, & temerarium, verissimum tamen esse demonstrabit ipsa rei natura penitus considerata*: idque D. Jurieu authoritate confirmat. Quo præmisso *Cap. 4.* ubi de præsenti articulo fuse disserit, primo loco observat *ea quæ de descensu Christi ad Inferos in Symbolo habentur, ad solam ejus animam pertinere*: quod & pluribus evincit, atque adeo refellit tum Calvinianos, qui ea verba intelligunt de sepultura Christi, tum Lutheranos, qui non solam animam, sed etiam corpus animæ reunitum ad Inferos descendisse pertendunt. Observat deinde, descensum ad Inferos, non Salvatoris animam utcumque spectare, sed quidpiam insuper involvere ab ea in statu separationis a corpore patratum: quo ipso contra Calvinum, aliosque ex ejus discipulis probat, minime descensum illum ad miserias, sive cruciatus, & agones, quibus, dum hanc vitam degeret, afflicta est anima Christi, posse referri.

His ita præjactis ad examen vocat singulas particulas hujus articuli, primumque constituit, *inter veteres omnes sive Gentiles, sive Judæos, & Christianos usu receptum vocis Inferni significatum eum extitisse, quo animarum separatarum bonarum, malarumve commune notat habitaculum, in quo pro anteactæ vitæ ratione, futuræque judicii sententiæ expectatione, unaquævis vel gaudiis fruatur, vel afflictationibus cruciatur*. Ad has igitur sedes Christi animam abiisse defendit. Considerat sub hæc vocem *descendit*, sive vocem græcam κατῆλθεν, asseritque ex Usserio idem significare, ac *abiit*, *devenit*. Consentit tamen ideo vocem hanc *descendit* potius, quam aliam fuisse adhibitam in isto articulo, *ob receptam apud plerosque opinionem, quod sub terra animarum separatarum receptacula, vel in ipsis ejus visceribus delitescant*. Unde demum ita concludit: *Quando itaque Symbolum affirmat Salvatorem ad Inferos descendisse, id unice sibi vult, quod anima ejus a corpore separata vero, & locali motu ad incognitas spirituum mansiones translata fuerit, ubi, prout ferunt mortis leges, cum aliis defun-*

V

(*a*) In annotatis, ut supra, ad Georgium Bullum *De Primis fidei Confessionibus*.

functorum animabus usque ad resurrectionis corporis sui diem, quæ erat tertia a morte perseveravit. Si has dumtaxat Authoris nostri doctrinas attendas, haud difficile cum Ecclesiæ Catholicæ sensu conciliaveris, licet quædam ab ipso haud exacte dicta sint. At vero in reliquis, quæ postea subjicit, hæreticorum virus manifeste prodit. Agens namque de finibus hujus descensus Salvatoris ad Inferos, hunc inter alios, & quidem uti præcipuum, assignat, ut videlicet *seipsum mortis legibus redderet obnoxium, nobisque in omnibus evaderet similis*: illum vero, quem Catholici omnes agnoscunt, habentque comprehensum, nimirum, ut Sanctorum animas in Infetis detentas in libertatem assereret; ne commemorat quidem, quin potius errorem veterum quorumdam recens a Burneto revocatum in lucem amplecti se satis significat, dum ait, *Finem etiam Descensus Christi hunc fuisse, ut anima ejus ab Inferorum vinculis liberata pignus quasi esset, ac tessera omnibus ejus sectatoribus foret, ut destinato tempore ipsorum animæ restituantur, & æternos de morte, & inferno triumphos agant*: quod & in præcedentibus manifestum fecerat. Hæ igitur sunt recentium hæreticorum præcipuæ sibi invicem pugnantes opinationes, quibus articuli Symboli de Christi ad Inferos descensu, doctrinam Ecclesiæ pervertunt.



C A:

CAPUT IV.

Ostenditur, quam proprius sit, verbisque omnino consentaneus sensus, quem articulo Symboli descendit ad Inferos *tribuit Ecclesia Catholica. Quo sensu in illo sumatur, ac sumi debeat verbum* descendit *adversus Usserium, aliosque declaratur. Tum vero quid veniat vocabulo* Inferorum, *aut* Inferni. *Istud nedum locum denotat infra nos positum, sed & subterranea receptacula, quo juxta Veteres abibant animæ post mortem sive piorum, sive impiorum. Explicantur Augustini textus ab Heterodoxis objecti.*

EX sola expositione articuli *descendit ad Inferos*, quam hactenus confecimus, cuilibet præjudiciis non impedito facile statim apparet, quemadmodum ex una parte alienos omnino esse a legitima, & nativa verborum proprietate sensus omnes, quos ipsi affingunt nostri temporis hæretici, ita cum ea mirifice consentire interpretationem, quam a primis Ecclesiæ Sæculis continenti successione tribuerant, ac tribuunt omnes Catholici. Id ingenue demum professus est luce ipsa splendidissima veritatis perculsus vir inter Calvinianos celeberrimus Joannes Drusius. Nam ad illa verba Jacobi Cap. 37. Genes. *Descendam ad filium meum lugens in Infernum*, sermonem faciens de præsenti articulo, hæc habet notatione verba dignissima: *Si quæris judicium meum, & si licet dicere per Sycophantas istos, qui optima quæque in calumniam rapiunt, existimo eum, qui Symbolo adjecit* (articulum *descendit ad Inferos*) *& crucem Theologis fixit, intellexisse, quemadmodum nunc intelligit Ecclesia Romana. Nam sententia illa pervetus est, in quam pedibus irem, si locus extaret in novo fædere, unde liquido probari posset, quod volunt*. Se itaque persuasum Drusius fatetur de Catholicæ expositionis articuli veritate: ac licet metueret, ne ob ingenuam hanc confessionem, incurreret invidiam aliorum Calvinistarum, *qui optima quæque in calumniam rapiunt*, asserere tamen non dubitavit, alium primitus non fuisse verborum articuli sensum, præter illum, qui a Romana nunc Ecclesia & traditur, & unice probatur. Hæc Drusii confessio satis modo nobis est: an vero *locus extet in novo fædere, unde sensus ille liquido probari possit*, infra constabit.

Verum, ut ad oculum cujuscumque pateat nullo alio aptiore in sensu intelligi posse præsentem articulum, quam quo ab Ecclesia Romana intelligitur, singula verba, quibus exprimitur, tum separatim, tum conjunctim paululum consideremus. Ac primo quidem se se nobis offert verbum *descendit*: quod plane significare motum ex loco superiore in inferiorem in secunda hujus Dissertationis parte *C.* 8. ostendimus, resque exploratissima est penes omnes Latinæ linguæ Scriptores, sicut & verbum aliud *ascendere* motum signat ab inferiori ad superiorem: idque in ipso Symbolo e vestigio ponitur, cum de Christo subditur: *Ascendit in cælum*. Jacobus Usserius Archiepiscopus Armacanus, & ex ipso, ut notatum est, *Author historiæ Symboli*, ut vim hujus vocis *descendit* Catholicæ sententiæ admodum faventis enervet, primum statuit illam fuisse depromptam ex voce græca κατῆλθε, quæ habetur in actibus Apostolorum: tum deinde subjicit hanc decies occurrere in Apostolorum actibus, nuspiam tamen significare motum a superiore loco usque in inferiorem; sed motum a loco ad locum simpliciter. *Porro*, inquit, *si verbum descendere in actibus Apostolicis nihil tale significat, quid opus est in Symbolo eum ipsi tribuere significatum?*

At rogandus in primis Usserius est, ut nobis edisserat, quo fundamento affirmet vocem Latinam *descendere*, quæ in Symbolo exprimitur, desumptam esse ex Græca voce κατῆλθε, quæ legitur in Apostolorum actibus? Cur non potius ex eadem voce, quæ occurrit in

Evangeliis, in Epistolis Paulinis, in Apocalypsi, aliisve canonicis libris, in quibus frequentius saltem, motum significare a superiore loco in inferiorem, nec ipse abnuere potest? Certe nec in Scriptura Sacra, nec in Ecclesiæ Patribus, ullum extat vestigium, nec ullum argumentum, unde *ex actibus Apostolorum* potius, quam ex aliis libris desumptum merito asseveret, nisi forte illud concesserit, Symbolum, ac præsertim hunc, quo de agimus, Symboli articulum ab ipsis traditum esse Apostolis, quorum acta in eo libro referuntur. Verum cum hoc admittere prorsus ipse refugiat, consequitur, ut pro libito suo dumtaxat affirmet vocem *descendit* ex κατῆλθε Actuum fuisse depromptam. Profecto quicumque attentius perpenderit, quæ supra adnotata sunt, & uberius infra dicemus quoad originem hujus articuli, nullus dubito quin statim intelligat, non ex Græco κατῆλθε Actuum Apostolorum deductum esse verbum articuli *descendit*, sed ex recepta a primis Ecclesiæ Sæculis in Christiana gente persuasione, subterraneum esse locum, ad quem Christus post mortem profectus est, adeoque nonnisi descensu ejusdem invisendum (*a*).

Demus tamen Usserio quod nec probat ille, nec probabit, sumptam esse vocem *descendit* ex κατῆλθε Actuum Apostolorum, nunquid verum esse putabimus, quod ille præsumit confidentissime, *nuspiam* hanc vocem *ibidem significare* motum a superiore loco versus inferiorem? Quinimmo vel omnia vel pleraque saltem exempla significatum illum habere contendo. Eam quippe Sacer Scriptor adhibere solet, cum motum exprimit in aliquam Civitatem, Regionemve a Judæa, vel Jerusalem, quæ, ut jam animadvertimus, vel reliquis situ altior est, vel esse putabatur. Sic *Cap.* 8. *v.* 5. ubi primo occurrit κατελθὼν legitur. *Philippus autem descendens* κατελθὼν, *in Civitatem Samariæ*, nempe ab Jerusalem, ubi degebat. Sic Cap. 9. v. 32. *Factum est, ut Petrus . . . . . deveniret* κατελθεῖν *ad Sanctos, qui habitabant Liddæ*, a Judæa scilicet, unde discesserat. Item Cap. 12. v. 19. *Herodes descendens* κατελθὼν *ab Judæa in Cæsaream, ibique commoratus est*. Idemque animadvertere est in locis aliis, ubi verbum illud usurpatur. Quapropter fallitur Usserius, dum ex exemplis Actuum Apostolorum, probare vult universim verbum Græcum κατῆλθε non alium motum designare, nisi a loco ad locum. Sed quod tandem dignum observatione est, verbum *descendit* in Symbolo adhibitum esse ad motum in inferiorem locum significandum, satis colligitur ex verbo opposito mox in eodem usurpato *ascendit in cælum*, quo procul dubio motus in superiorem locum declaratur.

Ad vocem *descendit* sequitur in nostro articulo Symboli *ad Inferos*, quæ vox prioris significationem omnino definit, dum conditionem loci, in quem Christus descendit, nobis exponit. Vocabulum *Inferi aut Inferni* (quod substantivum in Cicerone, & in aliis ejusdem notæ Latinis Scriptoribus numquam invenies) significare locum, aut rem infra nos positam, Lexica omnia clamant, & exempla, quæ ab antiquis afferuntur. Plautus mer. 21. *Limen superum, inferumve salve*. Cicero p. Tuscul. *Eademque ab anima, tamquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, media videremus*. Et lib. 3. de Nat. Deor. *Ego porro Jovem, & Ne-*

(*a*) Author historiæ Symboli Apostolici, quamquam Usserio famulari gestiat, negare tamen ausus non est hunc esse significatum vocis *descendit* in Symbolo. Unde ait: „ Ratio, cur hæc „ potius vox *descendit*, quam alia quævis adhibita fuerit, reddi poterat illa, quoniam vulgo „ receptum genus istud loquendi tunc erat, ortum a recepta apud plerosque opinione, quod sub „ terra animarum separatarum receptacula, vel in ipsis ejus visceribus delitescant. Unde & *in-* „ *feri* nomen apud Latinos, & καταχθονίων *catachonion* apud Græcos, itemque κατωτέρων. Quin „ & ᾅδης, & quasi ἀειδὴς, hoc est invisibilis vel obscurus; quoniam scilicet a viventibus hæc lo- „ ca non cognoscuntur conspiciunturque. „

& Neptunum Deos numero: ergo etiam Orcus frater eorum, & illi, qui fuere; Inferos, &c. Seneca in Herc. Fur. *Inferna tetigit: posset & supera assequi*. Plinius lib. 2. C. 47. *Quoniam ille infernus fluctus eximo maris spirat*. Hinc *aqua infera* apud Varronem: *aquæ infernæ* apud Ovidium: *Dii inferi* apud Livium, & passim apud Poetas: *Rex infernus Pluto* apud Virgilium, *infernæ umbræ*, & alia id genus innumera, quæ commemorare supervacaneum est, cum nulla de hoc difficultas esse queat. Hinc S. Augustinus lib. 4. qq. in numer. q. 39. id tamquam extra omnem disputationem positum esse animadvertit dicens: *Notandum secundum locum terrenum dictos esse inferos, hoc est in inferioribus terræ partibus*: quod & amplius subinde repetit: *Manifestum est, ut dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas in comparatione hujus superioris terræ, in cujus facie vivitur*. Et clarius adhuc lib. 12. de Genes. ad Litteram cap. 34. *Inferi, eo quod infra sint, latine appellantur*. Quamobrem, ut constet legitimum sensum esse, quem huic vocabulo *ad Inferos* semper attribuit Catholica Ecclesia, probandum unice remanet adversum Calvinistas, & Lutheranos, nomine *Inferorum* apud tum prophanos, tum sacros Scriptores significata plerumque fuisse diversa quædam loca *infra* terram posita, quo omnium hominum vita functorum animæ deferebantur, ut pro meritorum conditione inibi degerent, sive in refrigerio, sive in supplicio. Et profanos quidem Scriptores cum Sacris conjungo, quemadmodum supra præstitimus, cum de significatu vocis *Adis* ageremus: quoniam vocum proprietas, germanusque sensus ab illis maxime perdiscendus est; neque enim primi Christi fideles, qui articulum *descendit ad Inferos* Symbolo inseruerunt, alio in sensu, quam recepto communiter, vocem hanc accepisse credendum est, ut ab iis, quos doctrina fidei imbuebant, facile intelligeretur.

Quod igitur Profani Scriptores locum utrumque subterraneum *Inferorum* nomine significarent, compertissima res est eorumdem opera volventi: ex quibus pauca quædam exempla delibo. Et in primis Latinorum Scriptorum facile princeps Marcus Tullius Cicero in Orat. *pro Cluentio*, ita scribit: *Nisi forte . . . ut existimemus illum apud Inferos impiorum supplicia perferre, ac plures illic offendisse inimicos, quam hic reliquisse*. Et in lib. 1. Tuscul. *Num te illa terrent, triceps apud Inferos cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis?* In his *Inferorum* vocem accepisse Tullium pro impiorum loco, dubium non est. At vero etiam aliter usurpasse, sive pro utraque bonorum, & malorum sede, liquet ex eodem libro, ubi hæc verba refert Militibus a Leonide dicta: *Pergite animo, Lacedæmonii: hodie apud Inferos fortasse cœnabimus*; ac deinde: *Præclare Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam afferri, nihil necesse est, inquit, undique enim ad Inferos tantumdem viæ est*. Et Orat. 2. in Catilinam: *Hi in tantum æs alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit iis ab Inferis excitandus*.

Ciceroni concinunt probatissimi alii Latini Scriptores. Livius in Orat. Gracchi ad Milites lib. 25. *Lucanum proditorem, ac transfugam omnes peterent. Qui eam victimam præ se ad Inferos misissent, eum decus eximium, egregiumque solatium suæ mortis inventurum*. Lucius Annæus Florus lib. 1. c. 10. *Tarquinii tandiu dimicaverunt, donec Aruntem filium Regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere expiravit, plane quasi adulterum ad Inferos usque sequeretur*. Et lib. 4. C. 8. de Sexto Pompejo infeliciter defuncto ait: *Magni famam ducis ad Inferos tulisset, si nihil tentasset ulterius*. Vellejus item de Pompejo Magno: *Quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos*. Seneca Epist. 117. *Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut Inferos timentium, aut colentium*. Ex Latinis Poetis, ne sim immensus, sufficiat descriptio Virgilii Descensus Æneæ *ad Inferos*, in qua narrat

rat *domicilia* animarum, quæ jam corporeis nexibus expeditæ fuerant. Ibi enim conspexit, aut conspexisse fingit, nedum superbos Gigantes, aliosque scelestos homines, quorum refert acerrima supplicia, sed etiam Assaracum, Dardanum, Anchisem, aliosque pietatis, virtutumque fama præclaros in pratis amœnissimis, rerum omnium affluentia præditos; adeoque cum hæc ab illo juxta communes conceptiones hominum canerentur, dubitandum non est, quin Inferorum nomine loca intra terram posita tunc temporis intelligerentur, quæ omnium sine discrimine bonorum, malorumque animas continerent. Id vel ipse Lighfootus fateri compulsus est, dum ad Lucæ cap. 16. scribit: *Sat notum est ex Poetis, ut . . . . Adis Græcis, atque inferi Latinis comprehendant, & sedes Beatorum, & Damnatorum, & generaliter denotent statum mortuorum ad gaudia, vel pœnas dispositorum pro qualitate personarum. Hinc Elysium bonis, illinc Tartarus improbis, interposito tantum Cocyto, aut Acheronte, aut aliquo tali interminante chasmate*.

Possem, & hic afferre concordem in hac veritate sententiam tum Hebræorum, tum veterum Ecclesiæ Patrum: sed quoniam de his infra rediturus est sermo, cum doctrinam Catholicam propugnandam sumemus, ideo ab ulteriore probatione nunc supersedeo: solumque objectionem solvam, quam ex quibusdam S. Augustini textibus conficiunt Carolus Drelincurtius Calvinista, & Daniel Cramerus Lutheranus. En quæ ipsi opponunt S. Doctoris testimonia. Primum ducitur ex *lib.* 12. *de Genesi ad lit. n.* 63. ubi ait: *Quamquam & illud me nondum invenisse confiteor Inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt*. Et Epist. 99. ad Evodium paria habet scribens, se *reperire non potuisse Inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos*. His Sancti Augustini textibus freti Heterodoxi homines nobis audacter insultant, sibique triumphum pangunt, quasi Catholicos omnino prostrassent: cum potius ex iisdem locis, & validissime prosternantur ipsi quoad aliud fidei doctrinæ caput, & nullum quoad præsens sibi præsidium extundere queant.

Itaque in primis ex laudatis Augustini locis aperte colligitur Sanctum Patrem medium quemdam statum agnovisse, quem nos *Purgatorium* appellamus, inter Sanctos, & impios ad Gehennam addictos, eorum scilicet, qui temporaria pœna plectuntur ob peccata, vel leviora, vel non in præsenti vita dignis pœnitentiæ operibus expiata. Sic enim habet priore loco *de Gen. ad Lit.* post objecta verba: „ Et Christi quidem animam venisse usque ad „ ea loca, in quibus peccatores crucian- „ tur, ut eos solveret a tormentis, „ quos esse solvendos occulta nobis sua „ justitia judicabat, non immerito cre- „ ditur. Quomodo enim aliter acci- „ piendum sit, quod dictum est, *quem „ Deus suscitavit a mortuis, solutis in- „ ferni doloribus: quia non poterat te- „ neri ab eis*, non video, nisi ut quo- „ rumdam dolores apud Inferos eum „ solvisse accipiamus „. In altero autem loco ad Evodium scribit: „ Quam- „ obrem teneamus firmissime, quæ „ de illo (Christo Domino) testatissi- „ ma veritate conscripta sunt: in qui- „ bus etiam hoc est quod apud Inferos „ fuit, solutisque eorum doloribus, „ quibus eum erat impossibile teneri, „ a quibus etiam recte intelligitur sol- „ visse, & liberasse quos voluit. „ Quinam, amabo, sunt, & possunt esse, quos, Augustino Judice, Christus ad Inferos descendens, liberavit? Haud profecto aliqui ad sempiternam pœnam, sive ad Gehennam damnati. Longe siquidem semper extitit S. Augustinus ab Origenis errore, quin ipsum perpetuo cum Ecclesia Catholica exhorruit, & acerrime confutavit. Igitur assertio ejus non nisi de animabus accipienda est, pœnis quidem, & afflictionibus a justitia Divina addictis, sed temporariis, non æternis: atque adeo medium illum statum agnovisse, atque credidisse dicendus est S. Augustinus, quem nos *purgationis* vocamus: id, quod ex innumeris aliis Sancti Doctoris textibus liquidissimum est. . . .

Sed

Sed neque ex iisdem locis quidpiam elicere possunt citati Scriptores, quod eorum opinioni, quoad controversiam præsentem suffragetur. Nam in eadem Epistola ad Evodium paullo ante dixerat, *Christum fuisse apud Inferos, & non omnes quidem, sed aliquos inde liberasse*, quos inter recenset ob Ecclesiæ authoritatem Adam, Abel, Seth, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, aliosque Patriarchas, & Prophetas, quamquam subinde dicat, *se adhuc Inferos non potuisse reperire in Scripturis appellatos in bono*. In altero vero loco sic asserit, *se nondum invenisse Inferos appellari, ubi Sanctorum animæ olim quiescebant*; ut tamen addiderit, *se adhuc quærere*: quod & progressu temporis reperisse tandem dicendum est. Nam primo in Epist. 187. ad Dardanum suam coarctans absolutam propositionem ait: *Utrum autem sinus ille Abrahæ ubi Dives impius, cum in tormentis esset, requiescentem Pauperem vidit, vel Paradisi censendus vocabulo, vel ad Inferos pertinere existimandus sit, non facile dixerim . . . . . Nec enim alicubi Scripturarum Inferorum nomen invenitur in bono*. Dum ait Augustinus, *non facile dixerim*, subdubitanter se loqui significat. Proficiebat ergo in Scripturarum lectione S. Augustinus, ut ipse testatur in Epist. ad Marcel. (*a*) ampliusque profecerat, cum libros *de Civit. Dei* conscripsit. Tunc enim *lib.* 20. *cap.* 15. exponens illud Apocalypseos: *Mors, & infernus reddiderunt mortuos suos*, dicit: „ Utrumque dictum est mors propter „ bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt: Infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud „ Inferos pendunt. Si enim non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerant „ fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse, donec eos inde Sanguis „ Christi, & ad ea loca descensus erueret, profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus Inferos nesciunt „. Et in Psal. 85. ad illa Davidis verba: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, hanc animadversionem appingit: „ Apud Inferos „ utrum in locis quibusdam non fuisset Abraham, non satis possumus „ definire. Nondum enim Dominus „ venerat ad Infernum, ut erueret inde „ omnium Sanctorum præcedentium animas; & tamen Abraham in requie „ ibi erat . . . . . Ergo inter ista duo „ fortasse dumtaxat Inferna, quorum „ in uno quieverunt animæ Justorum, „ in altero torquentur animæ Impiorum „ adtendens quidam orans hic . . . . . „ *Eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori* dixit: quia liberavit se a „ talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris „. Apertissimum itaque est, S. Augustinum minime dubitasse in textibus a Drelincurtio, & Cramero oppositis, quin Inferorum nomen, & domicilium animarum justarum, & impiarum carcerem complecteretur, sed nondum adhuc clarum aliquem Scripturæ textum invenisse, dum scriberet, qui primum illud eo nomine significaret, quem tamen postea saltem æquipollentem invenit.

Ex his igitur omnibus perspicuum est, *descendere ad Inferos* juxta verborum vim, ac nativam significationem denotare apud Scriptores tum profanos, tum sacros transitum, seu migrationem animæ a corpore separatæ ad subterranea illa loca, in quibus homines vita functi detinebantur, sive in cruciatu, sive in refrigerio: atque adeo liquet evidentissime, quam proprius, quam legitimus, germanusque sit sensus articuli Symboli, *descendit ad Inferos*, quem eidem a primis usque Ecclesiæ seculis constanter tribuerunt, tribuuntque Catho-

(*a*) Verba ejus sunt: *Ego proinde fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt*.

tholici omnes; videlicet Sanctissimam Christi animam corporeis vinculis exsolutam ad eum se locum infra terram contulisse, in quo Sanctorum Patrum, ac Justorum asservabantur animæ, ut eas nempe in libertatem, ac sempiterni gaudii possessionem assereret: atque etiam, si hoc sentire mavis cum nonnullis Patribus, atque Theologis, penetrasse ad usque Damnatorum carcerem. Utraque enim loca sive justorum, sive impiorum, *Inferorum* vocabulo æque designantur.



CAPUT V.

Mutuus hæreticorum conflictus se invicem prosternentium circa præsentis articuli explicationem. Lutheri, Lutheranorumque sententia falsa convincitur a Calvinianis. Quæ a Calvino, & ab aliis probata est, tum a Lutheranis, tum a potiore Calvinistarum parte, ut plena absurditatis, explosa. Interpretatio Inferorum *pro* Sepulcro *a Calvino jam penitus eversa. Bullingerus, & quidam alii strenue confutati a Cramero. Solidæ in relatas omnes sententias animadversiones nuperi Authoris a Gasparo Suicero producti.*

QUam simplex, quam proprius, verbisque consentaneus est Ecclesiæ Catholicæ sensus, quo Symboli articulum, *descendit ad Inferos*, semper intellexit, tam absonæ, tam absurdæ, & ab obvio significatu verborum prorsus alienæ expositiones sunt, quas eidem, tota repugnante antiquitate, Novatores affingunt. Harum omnium absoluta, perfectaque confutatio tum demum manifesta fiet, cum infrà ea proferemus in lucem fundamenta firmissima, queis innititur Ecclesiæ doctrina. At interim lubet brevem quamdam conficere earumdem confutationem, eamque omnem depromere ex iisdem Novatoribus, qui, dum abjecta Matris suæ doctrina, de præsentis articuli sensu inter se rixantur, mutuis se vulneribus confodiunt, atque prosternunt.

Et prima quidem articuli nostri explicatio, quam aliorum Protestantium armis profligandam assumo, ea est, quam ex Luthero, ejusque discipulis jam exposui, qua scilicet *descensum Christi ad Inferos* non ad solam ejus animam referendam docent, sed ad animam simul cum corpore, sive jam corpori unitam in triduo mortis suæ, nec alios Inferos agnoscere se profitentur, nisi carcerem Damnatorum. Hanc commentitiam opinationem, cum alii multi, tum præsertim egregie refutat Nicolaus Joh. Leth Calvinianus in Differt. de *descensu ad Inferos*: & quoad priorem quidem partem ex textu Psal. *16.* adducto ab ipsomet Apostolo Petro in Actibus Apost. *quoniam non derelinques animam meam, &c.*, ex quo, Lutheranis fatentibus, desumptus est articulus Symboli Apostolici. „ Notabilis, inquit, est locus ille: quum enim ea verba in novo te„ stamento a Petro adducantur ut re„ surrectionem Christi inde probet, „ addit Petrus de suo, *Davidem præ„ scium locutum esse de resurrectione Chri„ sti, quod derelicta non sit in Inferno „ anima ejus, nec caro ejus viderit cor„ ruptionem*: Ubi sane Petrus videtur „ contradistinguere animam carni „: Adeoque anima quidem Christi perrexit ad Inferos: corpus autem mansit incorruptum in sepulcro usque ad resurrectionis diem. Alteram vero partem refellit ibidem pluribus testimoniis productis ex Scriptoribus tum profanis, tum sacris. „ *Descendere*, scribit ille, *ad Inferos* „ Hebræis, quemadmodum & Græcis, „ (adde & Latinis) juxta propriam „ genuinam vocis significationem, ni„ hil aliud videtur esse, quam secun„ dum animam e corpore separatam in „ generalem, & indifferentem illum sta„ tum, qui mortem hominis excipit, „ sive is quietis fuerit, sive cruciatuum, „ pro vitæ antegressæ ratione, devenire, „ descendere, sive transire ad commune „ illud animarum receptaculum, quod „ animas tam piorum, quam impiorum „ in V. Testamento recipiebat. „ Quod confirmat, præter alia, ex illo Geneseos Patriarchæ Jacob ajentis: *Descendam ad filium meum lugens in Infernum*: & ex alio loco Numer. 17.: *Descenderunt vivi in Infernum*, Core nempe, Dathan, & Abiron. Deinde ex Evangelica Historia sive parabola a Luca descripta *Divitis*, & *Lazari* dicens: „ Eadem si„ gnificatio vocis ᾅδου *Adu* occurrit etiam „ in novo Testamento, V. G. *Luca „ Cap. 16.*, ubi non minus pauper ille „ & pius Lazarus in hade post obitum „ fuisse videtur, quam Dives impius, „ cum hoc discrimine, quod hic fuerit „ con-

„ constitutus in tormentis: ille vero in „ sinu Abrahæ, hoc est in statu refrigerii, solatii, & quietis. In Græco „ ita sonant verba: *In inferno elevavit* „ *oculos suos, & cum esset in cruciatu* „ *vidit Abraham de longinquo, & Lazarum in sinu ejus*. Ecce Dives in „ Inferno elevans oculos suos, Abrahamum pariter videt, & Lazarum quidem e longinquo. Verum ita tamen, „ ut inter Abrahamum, Lazarumque in „ sinu ejus constitutum, & inter locum, in quo Dives erat, nonnisi magnus aliquis hiatus intercesserit. Quo „ ipso indicari videtur, quod & Abraham & Lazarus, & Dives in Inferno „ fuerint; cum eo tamen, quod jam „ dedimus, discrimine „. Idque ulterius probare pergit veterum Patrum authoritate, quin & ipsius Lutheri, qui loquens de *Sceol*, ex quo *Adis* Græce, & *Inferi* latine, illud esse intelligit *commune quoddam receptaculum* „: *Commune*, subdit Leth, dicit tam piis, „ quam impiis: licet ut Christophorus „ Crinesius notat, in Scriptura rarissime de illis, de his vero frequenter „ in eadem prædicetur „. Fusiorem partis utriusque confutationem adornavit Anglus Author *Hist. Symb. Apostol.*, quam indicasse sufficiat. Ad Calvinistarum interpretationes hujus articuli accedo.

Calvini commentum, aliorumque paucorum, qui *descensum Christi ad inferos* cruciatus intelligunt & agones acerbissimos, quos anima Christi perpessa est in Inferno, nedum Lutherani, sed & ipsi Calvinistæ doctiores repudiant omnino, habentque veluti erroneum, Scripturæque testimoniis penitus repugnans. Gerardus Vossius, *nimium quantum*, exclamat, *adversatur, quod in cruce dixerit Christus*, consummatum est. Theodorus Beza, objecta sibi ratione, qua ad errorem hunc confingendum Calvinus permotus est, eam sic explodit: *Si ita est, miror, cur non etiam ipsum Christi corpus iisdem damnatorum pœnis subjecerit: si quidem nostrum corpus non est minus obnoxium pœnis æternis, quam noster animus*. Bullingerus, aliique his ferme ad eum reprobandum momentis utuntur: 1. quia Christus temporali passione; & ignominiosa sua morte tam abunde pro peccatis nostris satisfecit, ut minime opus fuerit amplius pœnas secundum animam pro iis, quos jam redemerat, ullas sustinere: 2. quia per temporalem passionem, & mortem Christum non in pœnam, sed in gloriam suam intrare oportuit, juxta illud Lucæ: *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. 3. quia Christus in Cruce Latroni dixit: *hodie mecum eris in Paradiso*. Quid autem absurdius excogitari potest, quam quod Latro esset in Paradisi deliciis, & gaudiis, & simul filius Dei in Inferni suppliciis? 4. quia Apostolus ad Philip. 2. de Christo scribit: quod *obediens Patri factus sit usque ad mortem, mortem autem Crucis*. Cruce igitur passionem consummasse dicitur, ne quis putaret ad futuram usque vitam perductas fuisse passiones ejusdem. 5. quia spiritus Christi æterno Patri in agone commendatus, dum illum efflavit, in manus utique, & protectionem Patris receptus est. Quomodo igitur potuit denuo ad pœnas rapi? Hæc & alia urgent vel ipsi Calvinistæ argumenta adversus adeo monstrosam opinionem irrisione potius dignam, quam seria confutatione.

Non minus ipsimet Heterodoxi aliam rejiciunt articuli nostri interpretationem, quæ a præcedente in eo secernitur, quod illo pœnas animæ a Christo, non quidem post mortem, sed in cruce toleratas designari volunt. Hanc ita rejicit Gerardus Joha. Vossius *in Armonia Evangelica lib. 2. c. 9.*: „ Neutiquam per „ *descensum ad Inferos* intelligere in „ Symbolo licet inenarrabiles animi an„ gores, quos Christus est in Cruce per„ pessus. Nam illi angores intelligun„ tur in capite illo, *passus est*, nec „ alli superfuere, postquam Christus ipse „ dixit *esse jam consummatum*. Quare „ non possum assentire doctissimis viris, „ quando in tam brevi Symbolo non si„ ne magna ordinis perturbatione, „ subjici ea arbitrantur, quæ ante mor„ tem contigerunt. Respondent in voce „ *passus* solum intelligi visibilem passio„ nem, hic signari angores animi, qui „ non videntur. Vellem autem ostende„ rent,

„ rent, usu Scripturæ hoc pacto ea di-
„ stingui solere. Et sic quoque articu-
„ lus de descensu Christi ad Inferos an-
„ te sepulturam collocari debuisset „.
Samuel Bochartus Tom. 3. pag. 984.
eamdem opinionem ita refutat: „ Qui
„ per descensum ad Inferos cruciatus
„ intelligunt, ut *descendere ad Inferos*
„ idem sit, quod summis cruciatibus
„ torqueri . . . . longissime a scopo vi-
„ dentur aberrare. Neque enim uspiam
„ *descendere* est pati, neque *Infernus*
„ dolores significat. Tum quidquid
„ Christus passus est, verbis præceden-
„ tibus abunde exprimitur, cum dicitur
„ *passus, crucifixus, mortuus*: & per-
„ turbatus esset articulorum ordo, si
„ post sepulturam iterum passionum
„ Christi mentio fieret. Ad hanc rem
„ non facit, quod ait Petrus Act. 2.
„ 24. *Christum suscitavit, solutis Infer-
„ ni doloribus*. Patet Petrum non age-
„ re de animæ cruciatibus, cum qui-
„ bus Christo in carne confligendum
„ fuit. Nam agit de his, quæ per re-
„ surrectionem soluta sunt „. Eamdem
absonam opinationem refellunt Dru-
sius in *Cap. 7. Jobi V. 9.*, ubi *se mira-
ri* ait *in mentem alicujus venisse*: Cra-
merus 1. *p. C.* 4.; Author *Historiæ Sym-
boli Apostolici*, aliique.

At enim vero nunquid melius audiunt apud cæteros Heterodoxos, qui hunc articulum de descensu corporis Christi in sepulcrum interpretantur? Haud plane: quin immo horum sententiam præclare in primis convellit ipse Calvinus *lib. 2. Institut. Cap. 16.* his verbis: „ sunt,
„ qui opinantur, non aliquid novum
„ hic dici, sed aliis verbis repeti, quod
„ prius de sepultura dictum fuerat . . .
„ sed eorum opinioni rationes duæ re-
„ pugnant, quibus ego facile adducor,
„ ut ab illis dissentiam. Quantæ enim
„ oscitantiæ fuisset rem minime diffici-
„ lem verbis expeditis, & claris de-
„ monstratam, obscuriore deinde ver-
„ borum complexu indicare magis,
„ quam declarare? Nam quoties locu-
„ tiones duæ rem eamdem exprimentes
„ simul connectuntur, posteriorem esse
„ prioris exegesim convenit. At vero
„ qualis erit ista exegesis, si quis ita
„ loquatur, quod Christus *sepultus es-
„ se dicitur*, significat *ad Inferos de-
„ scendisse*? Deinde non est verisimile
„ irrepere potuisse superfluam ejusmodi
„ battologiam in compendium hoc, ubi
„ summatim, quam fieri potest, pau-
„ cissimis verbis præcipua fidei capita
„ notantur. Nec dubito, quin mihi fa-
„ cile assentiantur quicumque rem ipsam
„ paulo diligentius expenderint „. In
ejusdem sententiæ confutationem paria
ferme scribit Bochartus loco laudato
inquiens: „ Putas tu hoc idem, ac si
„ legatur Christum *in sepulcro* conditum
„ fuisse? At præterquam quod non con-
„ stat id ferre significationem vocis
„ *Sceol*, manifesta hic esset tautologia,
„ & in brevissimo hoc Symbolo, in quo
„ omnes articuli fidei paucissima intra
„ verba contrahi oportuit, ut memo-
„ riæ consuleretur; cum dictum sit an-
„ tea Christum *sepultum fuisse*, quor-
„ sum addatur, *descendisse in sepulcrum*?
„ Dices fortassis hic addi epoxigiticòs.
„ At qualis Epoxigisis, quæ præceden-
„ te articulo multo est obscurior? „
Eamdem quoque sententiam refutant Pe-
trus Martyr, Bucerus, Aretius cum
aliis.

Bullingeri, & aliorum quorumdam interpretationem articuli, quo metonymice, sive per metalepsim per Christi descensum ad Inferos significari putant virtutem & efficaciam mortis Christi applicatam hominibus, strenue propulsat Daniel Cramerus loco cit. *Cap.* 4. his animadversionibus: „ Meritum, quo li-
„ berati, & redempti sumus ab Inferno,
„ commune est omnibus quibuscumque
„ actionibus Christi. Ideo enim conce-
„ ptus, natus, circumcisus, tentatus est,
„ ut virtute horum operum nos redi-
„ meret ab Inferno. Nonne autem hac
„ ratione omnes articuli fidei de Chri-
„ sto in unum confunderentur? Et cur
„ non liceret mihi idem dicere de reli-
„ quis articulis omnibus, e. g. quod
„ natus, passus, crucifixus, & sepultus
„ est, id nihil aliud sonare, quam vir-
„ tutem, & efficaciam meriti Christi?
„ Ubi autem tunc maneret actus singu-
„ lorum articulorum, qui ab invicem
„ certe distincti esse debent? Sunt enim

in prædicamento actionis, & passionis. Cum enim Christus nascitur, tunc non crucifigitur, & contra; & sic de reliquis. Ergo pari modo *descendere ad Inferos* requirit, & significat certum actum, sicut in reliquis articulis. Adde, quod *descendere*, & *ascendere* invicem comparentur, & opponantur, Ephes. 4. *V.* 9. cum dicitur: *Quod ascendit, quid est, nisi qui & descendit?* Sicut ergo *ascendere* certum actum innuit, ita & *descendere ad Inferos* requirit, & significat certum actum. Denique virtus, & efficacia mortis Christi, ut communis, ita & perpetua est . . . . At *descensio* facta est certo tempore . . . . Quod igitur cum reliquis articulis commune est, non debet in hunc solum converti, ne hoc modo unus fidei articulus e numero articulorum Symboli Apostolici plane deleatur „. Hæc ille, qui *secunda* etiam *parte* addit, *nihil fingi posse audacius hac tropologia metonymica Bullingeri*.

Minus solida non est refutatio, quam ibidem conficit Cramerus idem sententiæ Georgii Sohnii, qui verba articuli sumenda, & explicanda arbitratus est *de obedientia Christi usque ad mortem, & integræ humiliationis suæ statu*: „ Primo enim, inquit, quod Christus Patri obediens factus est usque ad mortem, id *descensus* quidem dici potest, sed non *infernalis*, hoc enim modo ipsa Christi conceptio in utero Mariæ, ipsaque nativitas ex Maria Virgine, esset nihil aliud, quam vel *Infernus*, vel *descensus ad Inferos*, quo nihil potest dici blasphemius, alienius, & confusius in articulos Symboli Apostolici. Et quæ hæc est interpretandi ratio, quæ clarum per obscurius demonstrat! Clarius enim est, cum dico: *Christus humiliavit se se*, quam cum dico: *Christus descendit ad Inferos*, idest *humiliavit se se*: ne prolixius hic repetam testimonia Psalmistæ, Oseæ, Pauli ad Ephes., & Colossen., itemque Petri, qui omnes non ad humiliationem, sed ad exaltationem descensum Christi referunt „. Probationes alias brevitati consulens prætermitto.

Verum alteram atque postremam explicationem in sequens Caput confutandam dum remitto, liceat mihi demum proferre, quæ nuperrime adversus productas omnes Heterodoxorum interpretationes animadvertit recentior Author ex ipsorum familia in quadam Epistola, quam exhibet Gaspar Suicerus in suo *Thesauro Ecclesiast.* Verbo *Adis*, qui & illum *magnum virum* appellat. Prolixior fortasse quibusdam videbitur isthæc confutatio: sed utilitas, quæ inde plurima emerget, tædium omne solabitur: nam & ea, quæ supra nos ipsi notavimus, mire confirmat. Sic itaque disserit ille sapienter: „ Grammatica neglecta peperit plerasque omnes *de descensu ad Inferos* disputationes. Peccatum autem tum in singulis vocibus, tum in conjunctis. *In singulis vocibus*, quod *Sceol*, & *Adis* pro loco damnatorum, idest Gehenna, sumptæ: unde de infinitis angoribus, & cruciatibus Christi, quales damnatorum in Gehenna, prima commentatio orta. Quam sententiam non memini Patrum ulli excidisse. Nec divinare possum, unde vel cur, ad solius animæ dolores restrinxerint, qui metaphoram illam primi excogitarunt: cum Damnatorum in Gehenna utique non sint animæ tantum, sed & corporis tristissimi cruciatus . . . . . Atqui multo pejus aberratum est in conjuncta phrasi κατέβη εἰς ᾅδου, *descendit ad Inferos*. Nam illa nec Hebræis, nec Græcis, nec Latinis denotat pati cruciatus damnatorum, idque in anima. Ideoque sæpe miratus sum, qui factum, ut opinio illa doctissimis etiam viris usque adeo se insinuaret. Res aperta est, si modo Scripturarum sacrarum, & omnium gentium consuetudinem loquendi attendamus. Exploditur, scio, localis Christi descensus ad Inferos: sed sic oportet eos statuere, qui volunt δουλεύειν τῇ ὑποθέσει (servire hypothesi). Contra Judæos, & Græcos consule: uno respondebunt omnes ore, *Sceol* & *Adin* esse locum. Si qui negant, revincuntur facile ex ipso articulo Symboli κατελθόντα εἰς ᾅδου. Requirit enim propositio εἰς casum accusan-

,, cusandi, non gignendi. Ergo est El-
,, liptica locutio pro εἰς ᾅδου τόπον, vel
,, δόμον, vel *domon*. Sic enim legas apud
,, Poetas, & Oratores, & Philosophos
,, antiquos plene dictum. Quodlibet
,, horum eligant, *locum*, oportet, fa-
,, teantur. Hoc igitur primum sit, ac
,, reliquorum fundamentum, *Inferos es-*
,, *se locum*. Demonstrat aperte verbum
,, κατελθεῖν, *descendere*.

,, At multo etiam evidentius phrasis
,, *descendere ad Inferos* (idem demon-
,, strat.) Nam sic & *motus* significa-
,, tur, & *terminus ad quem*. Absurdis-
,, simum autem fuerit his concessis ne-
,, gare vel *locum*, vel *motum localem*.
,, Quid enim *ascensus*, & *descensus*, si
,, motus & mutatio loci non est? Porro
,, videndum subjectum, quod eo descen-
,, dit. Ajo corpus esse vel animam,
,, vel utrumque horum. Nam de Dei-
,, tate Christi non agi hac phrasi etiam
,, fatentur, qui *dolores animæ* inde pro-
,, liciunt. De hominibus vulgatam es-
,, se locutionem, certum. Addo de ho-
,, minibus moribundis, vel mortuis...
,, Puto, si originem phrasis ad sensus
,, externos examinamus, a corpore, ac
,, illius gravitate desumptum esse, ut
,, diceretur *descendere ad Infernum*, vel
,, ad *Inferos*, qui moriebantur. Nam
,, & motu suo proprio fertur corpus
,, deorsum versus terram, quæ subtus
,, est a viventibus: & latinis usitata di-
,, visio mortalium in *superstites*, seu
,, vivos, & *inferos*, seu mortuos, &
,, sepultos. Atque huc facit notio *se-*
,, *pulcri*, quam tribuunt voci *Sceol*.

,, Verumtamen si vim, & usum phra-
,, sis attendamus, nequaquam exhauri-
,, tur ea per *sepulcrum* corporis: sed
,, sicut descensus est motus ad locum
,, aliquem; sic descendentis connotat
,, existentiam in eo loco. Jam quia cor-
,, pus interit, vitaque & sensu spolia-
,, tur per mortem; qui vere *descendunt*
,, ad Inferos, hactenus existunt, & vi-
,, vunt, & conversantur quoque præsen-
,, ti vita functis, necesse est agnoscere
,, *animæ* præcipue quadrare *descensum ad*
,, *Inferos*. Hoc probat Græcorum con-
,, stans usus hujus formulæ, ac nominis
,, ᾅδης *adis* etymologia. Est enim con-
,, tractum ex ἀΐδης *aidis*, quod ex *a* pri-
,, vat. & ἰδεῖν *idin* ab εἴδω *ido*, video,
,, compositum est: quasi dicas *invisibi-*
,, *lem*, vel *invisum locum*, quem adi-
,, re, ad quem proficisci, cum hinc
,, abeunt, vel descendunt animæ mo-
,, rientium, communi gentium consen-
,, su creditum est, quotquot animæ im-
,, mortalitatem tenuerunt. Sufficiat unus
,, Socrates apud Platonem in Phædone
,, (ubi occurrit εἰσὶν ἄρα αἱ ψυχαὶ ἡμῶν
,, ἐν ᾅδου), ipseque Plato in 10. Re-
,, publ. atque adeo ᾅδης *adis est locus*,
,, vel *receptaculum animæ* post mortem,
,, ad quem cum profitemur Christum
,, quoque descendisse, duo confitemur,
,, 1. Christum habuisse animam immor-
,, talem: 2., nostris animabus post
,, mortem similiter affectum: quorum
,, prius errori nonnullorum Gentilium;
,, posterius Apollinaristarum oppositum.
,, Ex utroque autem monstratur Chri-
,, stum vere, ac more hominum mor-
,, tuum, anima ejus vere ad Inferos
,, profecta. Possem Græcos profanos,
,, sacros: possem Latinos, & in primis
,, Patres Ecclesiæ Athanasium, Nazian-
,, zenum, Cyrillos, Chrysostomum,
,, Augustinum, Prosperum, Fulgen-
,, tium, Vigilium, aliosque testes pro-
,, ferre. Sed sufficiat pauca adnotasse.
,, In scriptura sacra palmarius est locus
,, Act. 2. 27. ex psal. 16.: *Non dere-*
,, *linques animam meam in Inferno, nec*
,, *dabis Sanctum tuum videre corruptio-*
,, *nem*. Statum mortis graphice designat:
,, animam in Inferno: corpus (quam
,, proxime *carnem* dixerat) sub corru-
,, ptione. Confer 1. ad Corint. Cap.
,, 15.: 42., 50., & 53. At quid liqui-
,, dius V. 31. *Prævidens locutus est de*
,, *resurrectione Christi* ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ
,, ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, (pro ἐν ᾅδου do-
,, mo), οὐδὲ ἡ σάρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν.
,, Dici non potest quantum a tota ja-
,, nua Interpres doctissimus aberravit,
,, vertendo: *Non derelinques corpus vel*
,, *cadaver meum in sepulcro &c.* Nemo
,, veterum Doctorum sic unquam in-
,, tellexit. Fulgentius lib. 3. ad Trasim.;
,, *Totum igitur hominem cum suis in-*
,, *firmitatibus sine peccato Dei filius pro*
,, *nobis accepit: in toto traditus idem*
,, *Chri-*

„ *Christus: secundum solam carnem mortuus: totus Christus secundum solam animam ad Infernum descendit*. Vigilius lib. 2.: *Constat Dominum nostrum Jesum Christum sexta feria crucifixum, ipsa die in sepulcro jacuisse: ipsaque die dixisse Latroni*: hodie mecum eris in paradiso. *Caro igitur ipso die non fuit in paradiso, nec in inferno; sed exanimis jacuit in sepulcro: & jure tamen dicimus Dominum Jesum Christum jacuisse in sepulcro, sed in sola carne: Dominum Jesum non derelictum in Inferno, sed in sola anima, &c.*

„ Ex his simul constat adin *Infernum* communem esse locum animarum a corpore per mortem abeuntium ex hac vita, & alio concedentium; quem *abitum* vulgari suo idiomate Græci dixere καταβασιν εις ᾅδου. De hoc qui dubitant, nunquam vel a limine salutarunt græcas litteras. Homerus in principio suæ Iliad. *multas autem fortes animas præmisit ad orcum aidi*, ἀιδι. Magnus Athanasius: *Credatis igitur internum nostrum hominem esse animam, cum hoc ipsum prima etiam formatio ostendat, & ultima dissolutio declaret. Immo illud non tantum de nobis verum esse ostenditur; sed in ipsa etiam morte Christi ostensum fuit, dum corpus quidem ad sepulcrum usque pervenit: anima vero usque ad Inferos transiit. Cum vero loca magno intervallo discreta sint, & sepulcrum quidem corporalem recipiat accessum vel aditum, ibi præsens erat corpus: infernus vero incorporeum, cum Dominus sine corpore ibi præsens fuisset, tamquam homo putabatur a morte &c.* . . . Optima proin, ac verissima mihi semper visa est illa Symboli nostri analysis, verborum, inquam, *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad Inferos*, quam tradidit in calce suæ Theologiæ Cl. Ludov. Lucius hoc modo: *Confitemur Jesu Christi passionem in genere, verbis*, passus sub Pontio Pilato: *in specie*: crucifixus: *& mortem verbo* mortuus. *Dein mortui designatur status, tum secundum Corpus verbo* sepultus: *tum secundum animam phrasi* descendit ad Inferos. Atque hinc perspicuum fit, nullas ea phrasi denotari passiones, vel dolores, sive corporis, sive animæ: quando in ipsa cruce de universis exclamavit Dominus τετέλεσαι teteleste: *consummatum est*. Neque vero sic negantur passiones, & angores animæ Christi: sed illa phrasi *descendit ad Inferos* exprimi negatur. Quod ego quidem plusquam certum & perspectum eruditis omnibus judico. „

Atque hactenus viri illius heterodoxi doctissima Epistola, quam brevem quidem, simulque solidissimam refutationem præcipuarum, quas de articulo nostro hæretici tradunt, explicationum continere, nemo sapiens, atque ab omnium partium studio alienus, plane diffitebitur.

CAPUT VI.

Samuelis Bocharti interpretatio articuli descendit ad Inferos *peculiari examine discussa. Nimia ejus audacia retunditur. Quo sensu accipiendum, quod dictum est a Christo moriente*, omnia in cruce fuisse completa. *Nugatoria plane censenda ab illo producta, & explicata sententia. Quam sint futilia, quæ in hujus præsidium ab eo proferuntur, pluribus ostenditur. Gerardi Joh. Vossii commentum exploditur: cui nedum minime favet, ut ipse putat, Rufinus, quin potius aperte adversatur.*

QUÆ ex ipsis Heterodoxis acerrime inter se digladiantibus argumenta producta sunt, affatim evincunt, quam falsæ, quam ineptæ, quam absurdæ judicari debeant explicationes articuli, *descendit ad Inferos*, quas ipsi, abjecto constanti, ac legitimo Catholicæ Ecclesiæ sensu, nuper invexere, simulque quam vere scriptum fuerit a Baylio, *Protestantes articuli verbis notiones appingere a communi adeo usu loquendi alienas, ut meri barbarismi appellari jure optimo queant*. Lubet nihilominus ulterius expendere accuratiore studio ac diligentia, quæ de re hac disferuerunt duo præ aliis Scriptores inter illos præcipui nominis, & famæ Samuel Bochartus, & Gerardus Vossius, ut genuinum sensum articuli de medio tollerent, aliumque præjudicatis opinionibus suis faventem substituerent. Ex his, ut arbitror, perspicuum erit, quo progressa sit eorum audacia in impugnando Catholico dogmate, & in quas fœdas aberrationes misere prolabantur, qui Ecclesiæ vocem audire contemnunt.

Atque in primis Samuel Bochartus, vir cæteroquin eruditissimus, peculiarem Dissertationem instituit de præsentis articuli sensu, quæ extat *T. 3.* suorum Operum *p. 983.* &c. Antequam autem explicationem suam promat, præmittit aliqua tum circa tempus, quo articulus Symbolo insertus est, tum circa significationem vocis *Sceol*, quæ cum vel levioris momenti sint, vel alibi jam a nobis discussa, lubens modo prætereo. Tum vero ad examen adducta interpretatione *Inferorum pro sepulcro*, eaque paucis reprobata, ad expendendam progreditur Catholicorum sententiam, de qua ita loquitur, insigni plane temeritate. *Pontificiorum delirium refellere facile est. Delirium* ergo Bocharto est ea interpretatio, quæ, velit, aut nolit ipse, tum egregie consonat articuli verbis, tum & a doctissimis ipsis inter Protestantes, ac præsertim Johanne Drusio omnium facile eruditissimo, agnita est velut unice propria, & germana, illorumque, qui *articulum* Symbolo adjecerunt, menti respondens! *Delirium* ergo sensus ille, quem Romana Ecclesia non primum excogitavit, sed jam in aliis ab initio Christianæ fidei Ecclesiis invenit, & perpetua veterum omnium Patrum traditione recepit! Quis, nisi vere *delirum* caput id effutire ausit? Verum audiamus quid Bochartum induxerit, ut Catholicorum omnium doctrinam *delirium* appellaret. *Nam*, subdit, *ut ne litem moveamus de voce, commentitium esse hunc Christi ad Damnatorum sedem descensum, vel ex silentio Evangelistarum abunde patet*. Præclare admodum. Hæccine Catholicorum sententia, quam *delirium* vocas, Christum scilicet *ad Damnatorum sedem descendisse*? At quo in Concilio, quo in Pontificum Decreto, aut Ecclesiæ Romanæ Catechesi eam legis! Equidem sunt inter nostrates Theologos, qui existiment etiam ad Damnatorum carcerem perrexisse Christum. Sed hæc non Romanæ Ecclesiæ doctrina est fidelibus suis ad credendum proposita; quin potius peculiaris quorumdam opinio, quam nemo ex ipsis habet pro Catholico dogmate. Quod ad fidem arbitramur omnes pertinere, illud est, quod a primis Ecclesiæ sæculis susceptum Concilium Toletanum, præter alia, expresse tradidit dicens: *Descendit* (Christus) *ad Inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret*.

ret, ... *hæc est Ecclesiæ Catholicæ fides: hanc confessionem servamus, atque tenemus*. An etiam ad Damnatorum loca descenderit, parergon est, quod, salva fide, affirmari æque ac negari potest. Sed Bochartum sua eruditio, sive potius imperitia, aut incogitantia fefellit. Quæ enim Lutheranorum propria, ac singularis doctrina fidei est, ut ipsi opinantur, hanc ille Catholicis affingit. Non minus autem Bochartus aut fallit, aut fallitur, dum ex Evangelistarum silentio *commentitium esse Christi ad Inferos descensum abunde patere*, confidentissime affirmat. Nam, tametsi id Bocharto largiremur; nonne *multa* peregisse Jesum Evangelista testatur, quæ scripta in Evangelio non sunt? Nonne cuilibet Christiano viro satis esse deberet ab Apostolorum ævo continenti successione derivata traditio? Verum & Evangelistas haud omnino siluisse de hoc Christi descensu, ac Sanctos Petrum, & Paulum sive *in Apostolorum actibus*, sive in Epistolis suis, de illo luculenta admodum testimonia perhibuisse, postea demonstraturi sumus.

Quid quod, subjicit Bochartus, *Christus moriens omnia completa esse testatus est*? Immo, subdo ego, quia jam *omnia completa erant*, quæ ad humani generis redemptionem pertinebant: quia Christus per crucem & mortem suam æterno Patri pro peccatis nostris abunde satisfecerat: quia condemnationis nostræ chirographum deleverat, nosque a Dæmonis tyrannide eripuerat; consequens illud erat, ut tamquam victor ad inferna descenderet, & spolia Satanæ diriperet, Sanctorum nempe animas, quas Inferi detinebant, in libertatem vindicaret, & sempiterna gloria donaret. Ita plane ratiocinatur S. Fulgentius *lib. 3. ad Trasim. c. 30.* „ Restabat, inquit, „ ad plenæ redemptionis effectum, ut „ illuc usque homo sine peccato a Deo „ susceptus descenderet, quousque ho- „ mo separatus a Deo peccati merito „ cecidisset, ut per morientem tempo- „ raliter carnem donaretur vita æterna „ carni, & per descendentem ad Infer- „ num animam justi, dolores solveren- „ tur Inferni „. Adeundi sunt etiam pro futili hac objectione difflanda S. Epiphanius *hæresi 69*. S. Hieronymus Comment. *in Caput 4. Epist. ad Ephesios* ad illa verba, *descendit in inferiores partes terræ, & ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia*. Certe si Christus *omnia completa* dixisset in cruce in sensu Bocharti, haud dicere potuisset Apostolus *ascendisse* Christum super omnes cælos, *ut impleret omnia* (a).

Et vero, concludit censuram suam Bochartus hoc modo, *narratio ipsa ridicula est. Diceres agi de Hercule Inferorum claustra effringente. Nonne hoc dignum, ut est in diverbio, patella operculum videtur? Narratio*, inquit, *ipsa ridicula est*. Quare? Quia & Poetæ finxerunt Herculem Inferorum claustra effringentem. Hoc sane suo argumento, quot facta alia, quæ in Scriptura referuntur, potuisset Bochartus ut *ridicula* repudiare, atque contemnere: quæ E. C. narrantur de Gigantibus, de ædificatoribus babelicæ turris, de tribus Angelis, qui domum Abrahæ inviserunt, de prodigiosa Samsonis vi, & alia id genus permulta? His namque prorsus similia occurrunt in gentilium Poetarum libris. Sed *pudet profecto*, ut verbis Bocharti ipsius utar potiore sane titulo, *tempus in his, non argumentis, sed nugis consutandis*.

Rejectis tum Bezæ, & aliorum quorum-

(a) Hoc Bocharti argumentum ita sibi opposuerat Sanctus Thomas 3. p. q. 52. a. 1. „ Ea, quæ Christus fecit, vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem, „ ad quam non videtur necessarium fuisse, quod *Christus descenderet ad Inferos*, quia per passionem suam, quam in hoc mundo sustinuit, nos liberavit a culpa & pœna. Non igitur fuit „ conveniens, &c. „

Quid vero respondet? „ Ad 2. dicendum, quod passio Christi fuit quasi quædam caussa universalis humanæ salutis tam vivorum, quam mortuorum. Caussa autem universalis applicatur „ ad singulares effectus per aliquid speciale. Unde sicut virtus passionis Christi applicatur viventibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi; ita etiam applicata est mortuis per „ descensum Christi ad Inferos „.

fumdam ex Calvinianis, tum Catholicorum omnium articuli nostri explicationibus, *veram*, ut ipse jactat, ac *genuinam* expositionem assignat, eamque unice excipiendam contendit, *qua nempe intelligitur, cum in Symbolo dicimus, descendit ad Inferos, Christum ad mortuorum usque statum humiliatum fuisse, & in eo per triduum permansisse*. Quæ interpretatio reapse non differt ab ea, quam ex Paulo Faggio, aliisque superius recitavimus. Sed nihil, meo judicio, fingi poterat ineptius, atque futilius. Nam præterquam quod *descendere ad Inferos* motum ad aliquem *locum*, non *statum* alicujus designat, ur in fine præcedentis Capitis notatum est ab erudito Scriptore Epistolæ ab ipso Suicero productæ; ex verbis Apostolici Symboli hæc expositio plane nugatoria convincitur. Sic enim in illo de Christo dicitur: *crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad Inferos*. Aliud igitur est, & significat Christum esse *mortuum*, atque *sepultum*, quod profecto designat *ad mortuorum usque statum humiliatum esse*: aliud *ad Inferos descendisse*. Siquidem, si idem notaret, cum jam dictum sit, *mortuus & sepultus*, supervacue, absurdeque postea adderetur in tam parvo, contractoque Symbolo, *descendit ad Inferos*. Utique reponit Bochartus, *de Christi morte jam antea actum fuerat, sed non de permanentia in hoc statu: quod scire plurimum intererat ad fidem, ut nequis momentaneam mortem, & resurrectioni contiguam sibi fingeret, quasi indignum fuisset Christo, ut in morte degeret aliquandiu*. Admodum pulcre: quasi ita bardi futuri essent omnes homines, ut cum audirent, Christum esse *mortuum*, *ac tertia die resurrexisse ex mortuis*, non inde colligere possent, *permansisse Christum in statu mortuorum usque ad diem tertium*, opusque haberent, ut hoc demum perciperent, quod hæc *permanentia* peculiari articulo exprimeretur. Sed si ita res est, necesse quoque fuisset, ne *momentaneam* crederent homines Lazari mortem, & *resurrectioni contiguam*, ut Sanctus Evangelista haud tantummodo diceret post quatuor dies a Christo esse suscitatum, sed quidpiam præterea adderet, ut id tandem inscitissimi homines intelligerent. Quid jocaris? Pergamus: & a Bocharto quæramus quo vade, quo Authore sive sacro, sive profano probet per *descensum ad Inferos*, significatam esse *permanentiam in morte*, sive in statu mortis? Nullum oppido proferre unquam poterit, cum omnes potius his verbis *transitum ad aliquem locum*, & quidem *inferiorem* unanimi consensione significaverint, ut ingenui quique ex ipsis Protestantibus fatentur, & inter alios Joh. Leth, & Author Epistolæ modo laudatæ, qui hanc solam esse horum verborum significationem demonstrat; & contra opinantes græci, latinique sermonis imperitiæ damnat, atque sugillat. At ferreus Bocharti stomachus hæc facile concoquit, lubensque elargitur, proprium non esse nativumque sensum verborum, *descendit ad Inferos*, sed improprium potius, ac figuratum. Verum, subdit ille, qui id objiciunt, advertere debuissent 8: alium, qui proxime succedit, articulum *de sessione Christi ad dexteram Patris*, figuratum esse, nec, ut verba sonant, accipiendum. Quid igirur mirum esse debet, si etiam *permanentia Christi in statu mortis* figuratis verbis expressa sit? Quin immo, ajo ego, advertere debuerat eruditus homo, primum, si comparatio instituenda erat, maxime certe inter verba *descendit ad inferos*, & *ascendit in cælum*, quæ immediatiora sunt, sibique invicem opposita. Sicut ergo qui diceret verba illa, *ascendit in cælum* significare *permanentiam* Christi *in statu resurrectionis*, aut ipsam *non fuisse momentaneam*, cachinnis meritissime exciperetur, ita ridendus plane Bochartus est, qui post verba *mortuus, & sepultus*, pertendit, *descendit ad Inferos*, denotare *permanentiam in morte*. Sed & illud præterea debuerat advertere Bochartus noster, quod est latissimum discrimen inter utramque locutionem, *descendit*, ac *sedet ad dexteram Patris*, quodque vel rudioribus ipsis manifestum est. Nam locutio illa Symboli, *sedet*, &c. desumpta est ex Scriptura, quæ iisdem terminis æqualitatem Christi cum Patre pluries

expressit; ut apud S. Marcum c. 16. *Dominus Jesus assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei*. Lucæ cap. 20. ex Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis*: & cap. 22. *Ex hoc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei*: Actuum, *Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei*, &c. Paulus quoque eadem locutione utitur tum ad *Romanos*, tum ad *Colossenses* scribens, & quinquies eam repetit ad *Hebræos*, adeo ut Scripturæ authoritate consecrata jam sit, & tamquam idonea ad æqualitatem Filii cum Patre significandam proposita. Numquid hoc idem valet Bochartus asserere de locutione *descendit ad Inferos*, eam scilicet passim usurpari in sacris libris ad denotandam *permanentiam* in statu mortuorum?

Adde, nemini non esse compertum, quasdam in humano convictu adhiberi loquendi phrases, aut dicendi modos, qui licet allegorici, sive figurati, adeo tamen ad vulgares conceptiones accommodati sunt, ut prolatis ipsis, legitimus eorum sensus statim ab omnibus percipiatur, quod, si res posceret, sexcentis exemplis comprobare fas esset: cujusmodi sunt, inter alia, eæ locutiones, quæ per tropos aut figuras rerum corporalium, aut sensilium declarant nobis spiritualis, & divinæ naturæ proprietates. Sicut igitur cum dicitur E. C. *oculi Domini super justos*, aut *dextera Domini fecit virtutem*, nemo adeo stipes est, quin e vestigio intelligat genuinum sensum sub hisce metaphoris contentum; ita quoque cum dicitur in Symbolo de Christo Domino *ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris*, cuilibet pervia statim est significatio figuratæ dictionis, quin aliqua declaratione tropi aut figuræ opus sit. Quam vero parum sit obvius, immo quam a communi loquendi consuetudine abhorreat, metaphoricus, sive figuratus sensus affictus a Bochario verbis articuli Symboli, *descendit ad Inferos*, vel eo solo intelligere licet, quod nemo unus a tot retro seculis, nedum minime illum perceperit, sed ne cogitarit quidem, aut subodoratus fuerit. Sed majorem, quam par erat in Bocharto confutando operam fortasse posuimus. Ad Calvinianum alium Scriptorem, Vossium nempe, orationem convertamus.


Gerardus Joh. Vossius quædam habet quoad hunc articulum cum Bocharto communia, quædam autem sibi peculiaria. Post examen admodum perfunctorium cæterarum opinionum, amplectitur quidem illam, quam in Bocharto refutavimus, *nihil* videlicet *commodius intelligi, per descensum ad Inferos, quam triduanam potestatem mortis in Christum*, sive *statum animæ suæ in morte per tres dies*: sed neque displicere sibi insinuat opinionem aliam, quæ *Inferos* exponit pro *sepulcro*: in cujus confirmationem plura affert tanto viro penitus indigna. Sic itaque scribit in Armonia Evangel. *lib.* 2. *c.* 9. „ Statuimus Orientales *per descensum Christi ad Inferos* primitus intellexisse, quod Occidentales vocabant *sepulturam*: ac errore quodam factum esse, ut cum prius, qui unum dicerent, alterum præterirent, ambo postea cœperint conjungi „: Quod hoc argumento probat: „ Sane temporibus Rufini, hoc est circa annum 400. ipsa Romana Ecclesia erat contenta meminisse solius sepulturæ: Aquilejensis vero Ecclesia habuit utrumque in Symbolo (*a*): sed si ex Rufini mente judicandum, unum idemque ambobus significari arbitrabatur. Non abesse a Romano, vel ab Orientalibus, ait Petrus Faber *Agonisticon lib.* 3. *c.* 10. Sed abfuisse olim clare indicant hæc Rufini verba in expositione Symboli: *Sciendum est, quod in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum*, descendit ad Inferna:

(*a*) Hic plane mirari subit, quod Anonymus Author *Historiæ Symboli Apostolici*, vir non ineruditus scripserit, *nullam sepulturæ Domini in Symbolo Aquilejensi fieri mentionem*. Quid? Quum omnes Rufini editiones verbum illud *sepultus* diserte exprimant, ut præter veterem Editio Oxoniensis, & Veronensis, tum etiam Exemplaria Balutii, Moresii & expositio ipsa Rufini, ejusdem verbi, id invicte confirmet.

„ na: *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi eadem videtur esse in eo*, *quod* sepultus „ *dicitur*. Contra vero eo in Symbolo, „ quod *Athanasii* dicitur, habetur *de* „ *descensu ad Inferos*, non item *de sepultura*. Errore vero ea conjungi etiam judicium est doctissimi Valentini Scildeti, &c. „. Hæc Vossius, cujus animadversionem exscripsit Carolus Drelincurtius in Dialogo *de descensu Christi ad Inferos*, laudatque expositionem Symboli factam a Rufino, ac citata ipsius verba, ut ostendat Rufinum pro eodem habuisse sepulturam Christi, & descensum ejus ad Inferos.

En igitur invictum illud argumentum, quo Vossius, aliique permoventur, ut fidenter asserant per errorem in Symbolo cœpisse conjungi sepulturam Christi, ejusque *ad Inferos descensum*, qui juxta Patres, maximeque Rufinum, unam & eamdem rem denotant. Sed turpissime falli Vossium, & qui ipsum secuti sunt, vel ex hoc abunde patet, quod Patres omnes, qui de Christi gestis, & passione, sive triumphis disseruerunt, utrumque conceptissimis verbis distinxere, *sepulturam* scilicet, & *descensum ad Inferos*, ut justos ibi detentos assereret in libertatem, atque adeo non alia potuit esse in Ecclesia verborum notio, dum postremus hic articulus Symbolo Romano, & Orientalibus insertus est. Verum, quia Vossius nos ad tribunal Rufini præsertim vocat, verbaque illa opponit quasi decretoria, *vis verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur*, adeamus Rufini locum, & ex ipsa expositione sua de horum verborum sensu judicemus. Siquidem *non unum idemque ambobus articulis* significari credidisse Rufinum, sed duo plane diversa, adeo perspicuum fit textum ejus legenti, ut nemo id negaverit, nisi qui & in meridie lucere solem itidem neget. Accipe pauca ex multis, quæ huc corrivare possem. *Num.* 27. expositis iis, quæ ad Christi passionem attinent, subjicit: „ Et spiritum post hæc scribitur reddidisse. Prænunciatum fuerat & hoc per Prophetam dicentem „ ex persona Filii ad Patrem: *in manus* „ *tuas commendo spiritum meum*. *Sepultus* perhibetur, & *lapis magnus appositus ante ostium monumenti*. Accipe etiam de hoc, quid propheticus „ per Jeremiam sermo prædixerit: *mortificaverunt*, inquit, *in lacum vitam* „ *meam*, *& posuerunt super me lapidem*. Evidentissima hæc sepulturæ ejus „ indicia propheticis vocibus designata „ sunt. Accipe tamen & alia: *A conspectu*, inquit, *iniquitatis ablatus est* „ *justus*, *& in pace est locus ejus*. Et „ alibi: *& dabo malignos pro sepultura* „ *ejus*. Et item alius: *Recubans dormivit ut leo, & ut catulus leonis: quis* „ *suscitabit eum*,„? Hæc Rufinus. Nonne tibi videtur ex his germanam habuisse notionem de voce *sepultus*? Audi porro, quæ mox sequuntur *Num.* 28. & intelliges, an apud Rufinum *unum idemque sit cum Christi sepultura descensus ad Inferos*. „ Sed etiam, pergit ille, „ quod *in Infernum descendit*, evidenter prænunciatur in Psalmis, ubi dicit: *Et in pulverem mortis deduxisti* „ *me*. Et iterum: *quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et iterum: *descendi in limum* „ *profundi*, *& non est substantia*. Sed „ & Joannes dicit: *tu es qui venturus* „ *es* (in Infernum sine dubio juxta „ Rufinum) *an alium exspectamus?* Unde & Petrus dixit: quia Christus „ *mortificatus carne*, *vivificatus autem* „ *spiritu*, qui in ipso habitat, *eis*, *qui* „ *in carcere conclusi erant*, *descendit* „ *spiritibus prædicare*, *qui increduli fuere in diebus Noe*: in quo etiam quid „ operis in Infernum egerit, declaratur. Sed & ipse Dominus per Prophetam dicit tamquam de futuro: „ *Quia non derelinques animam meam* „ *in Inferno*: *nec dabis sanctum tuum* „ *videre corruptionem*. Quod rursum „ prophetice ostendit impletum, cum „ dicit: *Domine eduxisti animam meam* „ *ab Inferno*: *salvasti me a descendentibus in lacum* „. Hinc *Num.* 29. exponens sequentem articulum, *resurrexit a mortuis*, scribit inter alia: *Rediit* (Christus) *victor a mortuis*, *Inferni spolia secum trahens*. *Eduxit enim eos*, *qui tenebantur a morte*, *sicut & ipse*

prædixerat. Si plura cupis, lege etiam *Num.* 17. ubi descensum Christi ad Inferos declarat exemplo *Regis pergentis ad carcerem, aperientis januas, & educentis vinctos in remissionem*, docetque pari modo *Christum ad Inferos descendisse, non ea conditione, qua cæteri, sed ut absolveret pœnas*, sive ut eos, qui sedebant in tenebris luci, ac vitæ restitueret. Lege quoque *Num.* 14. ubi idem præclarissime tradit. Qui post hæc adhuc pergit tueri Rufinum *pro uno, & eodem sumpsisse sepulturam Christi, & descensum ejus ad Inferos*, ille, vel nihil prorsus intelligit, vel præjudiciis penitus obcæcatus est. Num vero credibile sit Vossium, aliosque, qui hac in re Rufinum opponunt, ipsum in fonte legisse quis asserat? Cur ergo confidentia tanta imperitis fucum faciunt eo solo, quod proferunt; testimonio, cujus, si qua est difficultas, ex toto Rufini contextu evanescit in auras, manifestumque fit non aliam fuisse ejusdem mentem, cum scripsit, *in Symbolo Ecclesiæ Romanæ, & Orientis non haberi* descendit ad Inferos, *vim tamen verbi eamdem videri in eo quod* sepultus *dicitur*, nisi *propterea quod in hisce Symbolis Christus dicitur* sepultus, *satis etiam insinuari descensum ejus ad Inferos*, ob legem tunc omnibus decedentibus communem, ut corpus quidem sepulcrum exciperet, anima vero proficisceretur ad Inferos. Unde etiam factum est, ut in Athanasiano Symbolo *de descensu Christi ad Inferos* mentio fiat, non autem de sepultura, quæ in verbo *mortuus* satis intelligitur.



C A

CAPUT VII.

Nemini Sanctorum ante Christi adventum patuit in cælum aditus: sed in Limbo, *sive* Sinu Abrahæ *omnes degebant Christum expectantes. Horum nominum explicatio. Vet. Testamenti in Catholicæ veritatis confirmationem sententiæ plures adductæ. Ministri Drelincurtii quoad* Ecclesiastici *locum effugia præclusa. De celebri Samuelis apparitione differitur. Quæ extant in novo fœdere de eadem veritate testimonia, producuntur in lucem, ac Patrum præsidio muniuntur.*

Vindicato ab ineptis, atque absurdis recentium hæreticorum commentis Articulo Symboli Apostolici *Descendit ad inferos*, ejusque genuino sensu, quem tenet, semperque tenuit Catholica Ecclesia, clarissima, nisi me fallunt omnia, in luce posito, illud unum reliquum est, ut & dogma fidei in ipso articulo velut implicatum, atque contentum juxta ejusdem Ecclesiæ doctrinam afferamus, ac propugnemus: officium scilicet quod Christus peregit in suo descensu, sive finem, ob quem ad Inferos profectus est; quem non alium esse credimus, aut hunc saltem fuisse præcipuum, ut Sanctorum aut justorum animas, quibus nihil eluendum supererat, in libertatem restitueret, ac cælesti gloria donaret. Dogma hoc, ut nemo non videt, pro certo jam ponit ante nostri Servatoris adventum justorum neminem ad cælum primi parentis peccato clausum perrexisse, sed ad Inferos descendisse, quod Heterodoxi omnes mordicus negant, ac veluti erroneum figmentum a *Pontificiis*, ut ajunt, invectum infrunite calumniantur. Quapropter de hac sententia mihi primum differendum est. Et quidem haud illam ego quæstionem attingam, quæ nuper ab eruditissimo Scriptore P. Liberato Fassoni copiose admodum, atque ornate tractata fuit adversus Joannem Cadonicum Cremonensis Ecclesiæ Canonicum virum de litteraria Republica optime meritum, an videlicet ante descensum Christi ad Inferos animæ Sanctorum, qui jam obierant, beatifica visione Dei fruerentur. Unica mihi concertatio contra Hæreticos futura est, ut a catholicis omnibus receptam Ecclesiæ doctrinam in tuto statuam, atque pro viribus meis illustrem. Unde, *missis cæteris controversiis*, defendendum aggredior, quod officio apud Inferos juxta Ecclesiæ sensum a Christo peracto, præmitti omnino necessum est.

Hic est itaque de hoc argumento communis Ecclesiæ sensus, atque doctrina, ut etiam jam ab initio notavimus, nemini justorum ante Christi adventum ad Inferos aditum ad cælos patuisse, sed omnes interim degisse in occulto quodam loco, qui sane subterraneus erat; expectantes beatam spem, & adventum Domini, qui ipsos in libertatem vindicatos ad cælestem beatitudinem transferret. Locus iste frequentius appellari consuevit *Limbus sanctorum Patrum*, & *Sinus Abrahæ*: quorum nominum pulcram rationem affert S. Thomas *in* 4. *distinct.* 45. *q.* 1. *art.* 2., inquiens: „ Animæ „ hominum post mortem ad quietem „ pervenire non possunt, nisi merito fi„ dei: quia *accedentem ad Deum oportet* „ *credere*. Primum autem credendi exem„ plum hominibus in Abraham datur, „ qui primus se a cœtu infidelium se„ gregavit, & speciale signum fidei ac„ cepit. Et ideo requies illa, quæ „ post mortem datur, *Sinus Abrahæ* di„ citur . . . . . Sed animæ Sanctorum „ post mortem non omni tempore eam„ dem quietem habuerunt: quia post „ Christi adventum habent plenam „ quietem, divina visione perfruentes: „ sed ante Christi adventum habebant „ quidem quietem per immunitatem „ pœnæ, sed non habebant quietem desi„ derii per consecutionem finis. Et ideo „ status Sanctorum ante Christi adven„ tum potest considerari & secundum „ id, quod habebat de requie: & sic „ dicitur *Sinus Abrahæ*. Potest etiam

„ considerari quantum ad id, quod eis „ deerat de requie: & sic dicitur Limbus Inferni „ (a).

Ex hac doctrina S. Thomæ, Sanctorumque Patrum, quos ille secutus est, constat vocabulum *Sinus Abrahæ* ancipitis esse significationis: & in novo quidem Testamento denotare statum illum plenæ requiei, quem jam in cælesti Patria beati possident, æternumque possidebunt: in Veteri autem felicem justorum statum, qui cum tamen adhuc minime possent in illam beatissimam requiem pervenire, nondum per Christum propalata Sanctorum via, ut inquit Apostolus, ejus redemptionis fructum expectabant, & ab Inferis liberationem. Atque hoc sensu posteriore *sinus Abrahæ* frequentius nunc sumitur a Theologis. Solet etiam locus ille justorum V. Testamenti appellari absolute *Infernus*, sive Sceol שְׁאוֹל, & Adis Ἀδης: quo sensu sæpe exprimi in sacris libris mox probabimus, sensuque eodem nonnunquam sumitur etiam ab antiquis Ecclesiæ Patribus, quorum item aliqui *Infernum superiorem* nominare consueverunt, ut ipsum ab *Inferno inferiore*, sive damnatorum sede secernerent, ut observat Vossius ipse in Expositione Parabolæ *de Divite &c.* Verum hæc nomenclatura progressu temporum in desuetudinem abiit, & *Inferni* sive *Inferorum* vox in deteriorem partem sumpta est, pro significando scilicet pœnarum, aut miserrimæ calamitatis loco. Porro in illo statu, quamvis Sancti perfecta beatitudine, quæ in clara Dei visione sita est, haudquaquam fruerentur, contra ac nuper senserit laudatus Cadonicus, immunes tamen erant omni pœna sensibili, & ipsamet spes futuri Liberatoris, quæ suapte natura affligit animam, ipsis pro solatio erat, ita Deo disponente, ac mira quadam consolatione, atque gaudio perfundebat, ut idem S. Thomas sapienter animadvertit 3. *p. q.* 52. *art.* 2., idque ex Parabola *Divitis & Lazari* satis compertum est: hic enim in consolatione fuisse describitur, dum ille *in flammis cruciabatur*. Atque hæc est communis notio, quam de loco, aut regione illa tradunt Catholici Scriptores, comprehensumque animo tenent fideles. Quare nonnisi per calumniam Calvinista Drelincurtius Sanctorum animas V. Testamenti ex Catholicorum sententia repræsentat veluti in quadam regione horroris, tristitiæ, & amaritudinis constitutas.

His itaque delibatis statuo tamquam rem omnino certam, admittendum esse animas Sanctorum Patrum ante Christi adventum, non in cælum, sive Patriam cælestem post mortem fuisse receptas, sed in locum alium inferiorem, quocumque postea nomine illum appellare placeat, neque enim de voce, sed de re ipsa disputamus. Id in primis ostendo nonnullis V. Testamenti sententiis, in quibus adhibentur voces *Sceol* & *Adis*, quæ nemine prorsus dissentiente, nusquam ad significandum *cælum* assumuntur, cum de animarum justarum loco sermo est. Celeberrima est inter omnes locutio illa prolata a Patriarcha Jacob jam alibi

(a) Lubet his subnectere, quæ de hoc argumento erudite dixerit Grotius in Lucam c. 16. „ Meminit, inquit, Chaldæus ad c. 4., is ton colpon tu Abraham εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ. „ Putant veteres plerique *Sinum Abrahæ* dici regionem piis animis adscriptam, quam Hebræi „ פַּרְדֵּס idest Paradisum, Græci *Elisios campos* dixere; & *sinum* dici, quomodo maris, aut ter„ ræ *sinum* dicimus. At multo illi rectius qui non regionem illam, sed in regione illa *locum* „ *honoratissimum* significari putant. Dubium non est, quin inter pios omnes Judæi Abrahamo „ principem attribuerint locum. Hinc Christus alibi multos ex gentibus dixit accubituros cum „ Abraham, Isaac, & Jacob, gaudia post hanc vitam, more tunc recepto, sub convivii spe„ cie describens. In convivio autem solebant dilectissimi in sinu ejus recumbere, qui convivii „ Princeps esset. Ita Johannes *in sinu Jesu &c.*: sic Filius Dei dicitur *in sinu Patris*. Indicatur ergo hic summus Lazari honor, ut qui proximus hæreret Abrahæ, cujus eximiam fidem, „ & in malis perferendis constantiam esset imitatus „.

bi adducta: *descendam ad Filium meum lugens in Infernum*. Nam, ut concedamus Sanctissimum virum significare voluisse extremam afflictionem animi sui, qua premebatur ob interitum Joseph existimatum, mortem sibi demum illaturam; hoc tamen per eam phrasim explicavit, qua plane intelligimus *Sceol*, sive *Infernum* credidisse locum esse Justorum animarum vita præsenti functarum. Neque enim hic audiendi sunt, qui *Sceol* vertunt *sepulcrum*: quoniam, cum ex filiorum sermonibus persuasum haberet, fuisse a fera discerptum devoratumque, qui de sepulcro poterat cogitare? Non aliud itaque potuit intelligere, nisi per imminentem mortem suam in Infernum descensurum ad illum animarum piarum locum quo innocentissimum puerum abiisse non dubitabat. Hæc animadversio omnibus obvia ita proponitur a Pineda in Cap. 7. Job: Lugens descendam &c., *nempe ubi ejus filius erat, idest in eam subterraneam regionem, in qua illius anima detinebatur: aliter enim non poterat pervenire ad filium, si tantum de sepulcro loqueretur, quod longe lateque dissitum esse oportebat. Quin potius nulli sepulcro mandatus erat, qui credebatur a fera devoratus*. Eodem modo hanc sententiam exponunt Lyranus, Tostatus, Thomas Anglicus, Pererius, ac ne longior sim, Theologi, ac interpretes omnes. Atque ex hac persuasione jam tum inter Hebræos obtinente fatetur Vitringa *in cap. 14. Isaiæ*, ut alibi dictum est, desumptam esse, tum hanc Jacobi locutionem, tum alias, quas ibidem commemorat, ut cum sacer Vates psal. 30., *Domine animam ascendere fecisti ex inferis*: & psal. 94. *nisi Deus mihi auxilio fuisset, parum aberat, quin anima mea habitaret in loco silentii &c.* Ad alias pergamus.

Job c. 14. v. 13. ita desiderium, quo flagrabat, exponit: *Quis mihi tribuat, ut in Inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei*? Nativa, ac genuina verborum horumce expositio hæc est: *quis mihi tribuat, ut in Inferno protegas me*? idest in loco, & statu mortuorum, sive Limbo fac degam procul ab iis miseriis, quas furor tuus sæviens in me immittit: ibi constituas mihi tempus in quo recorderis mei, meque revoces ad meliorem vitam? Ita Gregorius, Chrysostomus, & alii in Catena. Drusius ipse hunc esse naturalem verborum sensum diffiteri minime potuit. Nam explicans locum hunc sic ait: *Sceol & sepulcrum, & Infernum notat. Hic videtur significare statum mortuorum, vel potius locum subterraneum abditum, & occultum .... Cæterum Infernus est locus damnatorum. Quis autem optet ibi abscondi? Non ego sane: nisi de Limbo Patrum sermo*. (a). Hoc quoque intelligi sensu debet illud cap. 7. v. 9.: *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad Inferos, non ascendet*: „ *Ad inferos* optime commentatur „ Pineda, idest ad subterraneam statio„ nem infra nos positam, ubi sunt de„ functorum animæ sive in pœna, sive „ in refrigerio „.

Plura in hanc rem testimonia suppeditat S. David in psalmis: sed duo inter alia luculentissima mihi videntur. Primum legitur psal. 48. *Deus redimet animam meam de manu Inferi, cum acceperit me*. Certe Propheta neutiquam sperabat se redemptum iri ex damnatorum carcere, quin neque eo se descensurum in Deo suo confidebat: non igitur nisi ex subterraneo animarum justarum domicilio per divinam misericordiam, aut venturi Redemptoris meritum, atque potentiam se tandem eruendum credebat. Atque ita textum hunc interpretantur Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Basilius, Rufinus, Euthimius, Nicephorus, Remigius, Cassiodorus, Beda, cæterique passim Sacri Expositores. Alterum habetur psal. 88. v. 49.: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu Inferi*? Locutio generalis est, ac generatim

(a) In Criticis Sacris.

tim accipienda tum de bonis, tum de malis. Porro nomine *Inferi* intelligi hic nullo modo potest *sepulcrum*, tum quia hæc propria non est vocis illius significatio, ut alibi jam demonstravimus: tum quia non pauci ex hominibus caruerunt, carentque sepultura, & ritu quarumdam gentium negata est, de quibus vide Alexandrum ab Alexandro *lib.* 3. *cap.* 2.; tum demum quia eum intellectum minime patitur vox *animæ*, sive hebraice נֶפֶשׁ Nephesc a Propheta adhibita. Nam tametsi aliquando vox hæc pro toto homine usurpetur, frequentius tamen sumitur pro parte hominis nobiliore, & hic ita sumi debere contextus efflagitat. Quod si contenderis verbis illis *eruet &c.* designare Davidem tantummodo voluisse neminem esse, qui mortem valeat effugere, haud equidem multum repugnabo, dum illud tamen mihi concesseris, quod fare concedere oportet, mortem hoc loco expressisse Prophetam per phrasim; quæ necessario supponit locum, sive regionem, quo animabus omnibus post separationem a corpore abeundum fuerat: quemadmodum si aliam hanc phrasim adhibuisset: *quis eruet se* de manu קֶבֶר cheber, sive *sepulcri*, sepulcri veritatem supponeret, quo mortuorum corpora reconduntur.

Huic affine testimonium est, quod habetur Ecclesiastæ cap. 9. v. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud Inferos, quo tu properas*. Liquet hic de omnibus Salomonem asseruisse, quod *ad Inferos properarent*: non autem omnes ad teterrimum illud properabant Damnatorum carcerem, quem subterraneum probavimus; nec certe, quos Salomon hortabatur, ut virtutum operibus impensius insisterent, & alacrius perficerent. De alio itaque loco, aut saltem de utroque explicanda illa locutio est: atque ita reapse explicavit Doctor maximus Sanctus Hieronymus ea verba ita exponens: *Fac quodcumque nunc potes, & labora: quia cum ad Infernum descenderis, locus non erit pænitentiæ .... Quod autem ait*: in Inferno, quo tu vadis illuc, *nota ut Samuelem quoque vere in Inferno credas fuisse, & ante adventum Christi, quamvis sanctos, omnes Inferni lege detentos*.

Hæc & similia alia loca adeo perspicua visa sunt Nicolao Joh. Leth Protestanti, ut contra lectæ suæ præjudicia diserte fateatur id unum hisce significari, quod Catholici volunt. Nam textibus omnibus, in quibus occurrit vox *Sceol* ad severiorem trutinam revocatis, demum ita concludit: (*a*) „ Constat „ ex his, quæ hactenus diximus, *Sceol* „ Hebræis, quando proprius, ac stri„ ctius sumitur, denotare locum illum, „ vel potius statum, qui homines ex„ cipit post mortem, eumque hactenus „ communem esse tam piis, quam im„ piis. Illuc enim se se descensurum „ esse dicebat Patriarcha Jacob: ibi Job „ esse cupit, 14. 13. *Quis mihi hoc* „ *tribuat, ut in Inferno protegas me?* „ Ibi *domum suam* fore prædixit sibi „ ipsi cap. 17. 13. *Si sustinuero, Infer*„ *nus domus mea est*. David quoque „ sine discrimine tam de piis, quam de „ impiis dixit, quod in Infernum per„ veniant psal. 58. 49. *Quis est homo*, „ *qui vivet, & non videbit mortem:* „ *eruet animam suam de manu Inferi?* „ Nec minus Ezechias Regum ille „ pientissimus lamentabatur: *Ego dixi:* „ *in dimidio dierum meorum, vadam ad* „ *portas Inferi* „. Ac quod notatu dignum est, atque verissimum, subinde observat, non amplius legi in novo Testamento de animabus pie defunctorum dictum esse, quod *ad Inferos descendant*, quemadmodum in veteri sæpissime legitur. Sed quædam alia afferamus. Ecclesiastici *cap.* 14. *v.* 17. dicitur: *Ante obitum operare justitiam: quoniam non est apud Inferos invenire cibum*: & cap. 41. v. 7. *Non est in Inferno accusatio vitæ*. Sed in hoc libro clarissima illa sententia est, quæ prostat *c.* 24. *v.* 45. ubi ita Sapientia loquitur: *Penetrabo omnes*

(*a*) in citato libello *de Descensu ad Inferos*.

mnes inferiores partes terræ, *& inspiciam omnes dormientes*, *& illuminabo omnes sperantes in Domino*, nempe, ut explicat a Lapide: „ adeo lux auroræ „ meæ crescit in meridiem, ut non tan. „ tum illuminet omnes gentes in super„ ficie terræ degentes, sed & penetrem „ imas terræ partes, ibique inspiciam. „ & visitem omnes dormientes, idest „ defunctos: & Damnatos quidem in„ spiciam terribili vultu, metuque per„ cellam: pios vero sperantes in Do„ mino illuminabo, idest luce meæ co„ gnitionis perfundam. Consolabor o„ mnes Patres in Limbo degentes, & „ avidissime Christum Redemptorem ex„ pectantes. Itaque sæpe quidem per „ Angelos Deus illuminavit Patres: sed „ perfectissime hæc sententia impleta „ est, cum Christus Sapientia Patris „ incarnata descendit ad Limbum, & „ clara sui cognitione, immo conspe„ ctu tam humanitatis, quam Divini„ tatis suæ donavit „. Ita locum hunc interpretatur Isidorus lib. de Resurrectione Domini *cap.* 51. & alii passim.

Carolus Drelincurtius, qui in suo libro *de Descensu Christi ad Inferos pag.* 224. sibi opponit hunc locum, cæteris ferme prætermissis, tria, ut vim ejus quoquomodo effugiat, respondet. Primum asserit *librum hunc non esse Canonicum*. Verum licet a nuperis Heterodoxis *Canonicus* non reputetur; ita tamen a vetustissimis usque temporibus ab Ecclesia Catholica habitus est, cujus authoritas prævalere debet novitiis hisce Authoribus: sed saltem nemo etiam illorum negat, magna illud esse veneratione excipiendum, ac tamquam agiographum librum secundi ordinis vel ipso secundo Ecclesiæ sæculo laudatum a Tertulliano, & Clemente Alexandrino, ac deinde ab Origene, Cypriano, Athanasio, Basilio, ambobus Cyrillis Hierosolymitano, & Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, & Nysseno, Chrysostomo, Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque permultis.

Respondet præterea *in Græco textu ea verba minime reperiri*. Annuo: sed olim reperta fuisse, dum vulgata editio adornata est, vitioque subinde Amanuensis, intercidisse, ambigere nequaquam licet: in quo æquiores quique atque doctiores inter Protestantes nobiscum sentiunt; ut notat Natalis Alexander *T.* 4. *Hist. Ecclesiast.*, qui etiam affert Casaubonum, & Valtonum asserentes, quod cum dissentire videtur Vulgata a Græco, id non Interpreti tribuendum sit, sed Græcis codicibus, quibus usus est interpres latinus. Hoc porro *Ecclesiastici* comma eo promptius ab omnibus est recipiendum, quod optime cohæreat cum verbis antecedentibus, ut Drusius ipse animadvertit.

Tandem hisce effugiis relictis respondet Drelincurtius *Inferiores partes terræ, quæ nominantur in textu; neutiquam posse significare Limbum Patrum, qui juxta Catholicos altior est cæteris animarum receptaculis*: qua responsione sæpe etiam alibi utitur, cum textus opponuntur, qui centrum, aut profundum terræ insinuare videntur. Verum cæterarum omnium futilior hæc mihi evasio est. Quid enim usitatius in communi loquendi consuetudine, quam similes adhibere locutiones, aut phrases, ad significandam rem aliquam intra viscera terræ delitescentem? Nonne, E. C. de auro, cæterisve metallis ita loqui solemus, ea scilicet esse vel in centro terræ, vel in inferioribus ejus partibus, vel in profundissimis latebris, cum tamen ipsorum venæ vix uno, aut altero milliario distent a superficie telluris? Pudere sane deberet adversarios nostros hisce responsionibus uti, quæ levitate sua in auras statim abeunt.

Hic prætereundum non est testimonium, quod ex Cantico sumitur trium puerorum in medio fornacis ita laudantium, & benedicentium Deum, ut legimus *Danielis* 3. *v.* 8.: *Quia eruit nos de Inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ*. Priora namque verba non alium commodum sensum ingerunt, quam eosdem virtute divina erutos fuisse de Inferno, sive limbo, aut justorum loco, ad quem animæ ipsorum recta perexissent, nisi Deus insigni miraculo hoc præcavisset. Id confirmant verba ab Eleazaro prolata, prout refert *lib.* 2. *Machab, c,* 6. *v.* 23.

dum vetitos a lege cibos edere compelleretur. *Præmitti se*, intrepida voce respondit, *velle in Infernum*, quam legem Dei violare: non utique in Damnatorum locum, sed neque in sepulcrum: hunc enim sensum respuunt & vox *adis* ab eo adhibita, & circumstantiæ, in quibus ita loquebatur: igitur nonnisi in locum, ad quem justorum animæ post separationem a corpore ex Judæorum fide proficiscebantur. Nec sane refert librum hunc non accenseri ab heterodoxis nostris in sacrorum librorum canone. Respondet siquidem ex Protestantibus ipse Bullus (*a*) *quod in quæstione de genuino sensu phraseos Author Hebræus in Ecclesia Christiana veteri magno in pretio habitus, immo a Veterum multis in ipso Canone Scripturæ repositus, pro judice competenti haberi debet: quod nemo sanus negaverit*.

Præter has sunt etiam pro sententia, quam defendimus, argumento non ignobili sententiæ illæ V. Testam., in quibus verbum *Sceol*, aut *Adis* sive *Infernus* comparative usurpatur, ut psalm. 86.: *Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex Inferno inferiori*, & psal. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori*. Proverb. c. 15. 24. *Via vitæ super eruditum, ut declinet de Inferno novissimo*, aliæque id genus: ex quibus, inquit S. Augustinus, *intelligimus duo Inferna esse superius & inferius, superius pro animabus justis, inferius, & novissimum pro impiis, atque damnatis*. Videantur etiam S. Hieronym. in secundum locum psalmi, & Origenes *T.* 2. *Edit. Huetii pag.* 282.

Quoniam vero paulo ante ex S. Hieronymo de Propheta Samuele mentio facta est, præstat hic pauca quædam de celebri ejus Apparitione Sauli facta subnectere, ex qua invictum pro Catholica sententia emergit argumentum. Hæc apparitio ita proponitur *lib.* 1. *Regum c.* 28., ut anima Samuelis Sauli se præbens visa fit ascendere e profundo terræ. Inter Eruditos magna quæstio est quoad hujusce visionis modum, & a primis usque Ecclesiæ Sæculis inter Patres agitata, an scilicet vera Samuelis anima fuerit illa, quæ a Pythonissa evocata Sauli comparuit: an vero spectrum aut phantasma aliquod a Dæmone suppositum, ut Saulem, Deo sic permittente, deciperet. S. Justinus, Origenes, Ambrosius, Augustinus cum aliis veram Samuelis animam extitisse defendunt, quamquam insimul doceant, non eam Pythonicis artibus evocatam fuisse, sed ex divinæ providentiæ dispositione, & imperio. Atque hæc sententia Scripturæ verbis conformior est, quæ lib. laudato Regum sexies eum, qui Sauli Pythonissam consulenti visus est, *Samuelem* vocat: quod & lib. *Ecclesiastici* amplius confirmatur, dum Sapiens *c.* 46. Samuelis laudes enarrans, refert eumdem, postquam *dormivisset*, sive vita functus esset, notum fecisse Sauli finem vitæ suæ. Sic enim scribit: *Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia, &c* quæ verba consonant omnino cum verbis *lib.* 1. *Reg.* Porro juxta sententiam hanc, sin minus certam, saltem probabiliorem, jam evidens est Samuelis animam non extitisse in cælesti regione, sed in subterraneis locis, e quibus ascendere visa est, ut utroque Scripturæ loco perhibetur.

Verum, cum opposita sententia sua probabilitate non careat; eamdemque doceant plures ex Patribus, Tertullianus, Eustathius Antiochenus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, & alii, quibus subscribunt non ignobiles Scripturæ interpretes; ideo dicendum, hac etiam admissa, satis tamen evinci veram Samuelis animam non fuisse in cælo, sed in locis inferioribus terræ; nisi enim tunc temporis hæc inter Hebræos fides, atque persuasio viguisset, Dæmon non jam e terra spectrum illud Samuelis ascendere confinxisset, sed potius e cælis descendere, ut Regi eventum belli, quem nosse poscebat, ostenderet: id quod vel ipse observavit Campejus Vitringa *in Cap.* 13. *Isaiæ*

(*a*) In harm. Apost. pag. 699.

Isaiæ verbis illis: *Hypothesim hanc ita, ut dixi, fuisse receptam etiam apud vulgum Judæorum, patet luculenter ex historia Samuelis a Saga evocati ex Inferis, cujus ibi comparet umbra a Pythonissa visi cum omni suo charactere ex inferioribus terræ ascendentis. Ubi licet nemo non prudentium lectorum agnoscat, vel Sauli illusum esse a fœmina, vel fœminæ a Satana, patet tamen evidenter ex hoc loco, quid passim vulgus senserit de statu fato functorum.*

Demum & illud argumentum magni ponderis existimandum est, quod promitur ex phrasibus, sive locutionum terminis, queis piorum hominum vel futurum statum, vel transitum ab hac ad aliam vitam V. Testamenti paginæ exprimere consuescunt. Sic Abigail auguratur Davidi, quod ejus anima servanda foret *in fasciculo viventium*, sive ut Chaldæus legit, *in thesauris vitarum sæculi*, vel societate animarum justarum. Sic de Abrahamo *cap.* 25. *Genes.* dicitur: *Mortuus est in senectute bona, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum*, sive ad cœtum Patrum degentium in futura vita, prout Expositores frequentius explicant: cui similis locutio est, quæ sæpe postea adhibetur, dum de Isaaco dicitur Genes. 35.: *Mortuus est, & appositus est ad populum suum, & sepelierunt eum Esau, &c.* de Jacob *cap.* 49., & de Aaron Deuteronomii *C.* 32.: ubi paria habentur. Quæ etiam locutio adhibetur a S. Paulo de David inquiente in Actibus Apost. c. 13. v. 36. *Dormivit, & appositus est ad Patres suos*. Nuspiam in Vet. Test. de *cælorum regno* memoriam, nuspiam reperimus quempiam vel piissimum ad gaudia æterna moriendo perrexisse. Nomina hæc primum in novo fœdere audita sunt, ac frequenter repetita. Hic passim regnum cælorum promittitur, hic advenisse nunciatur: hic solum *de servo fideli* dicitur: *intra in gaudium Domini tui*: hic Stephanus *videt cælos apertos*, in eosque receptus est: hic demum *Beati* appellantur *mortui, qui in Domino moriuntur*. Diversitas harumce locutionum in utroque Testamento nonne invictum argumentum censeri debet in nova lege dumtaxat patuisse per Christum cælorum regnum, in veteri autem clausum fuisse? Hæc animadversio, cum ab aliis, tum maxime facta est a S. Joanne Chrysostomo *Homil.* 4. in Marcum, ubi hæc habet: „ Quantum in meo corde est, „ legens legem, legens Prophetas, legens psalterium, numquam *regnum cælorum* audivi nisi in Evangelio. Postquam enim venit ille, de quo dictum „ est, *& regnum Dei intra vos*, apertum est regnum Dei. Prædicans Evangelium regni Dei a diebus Joannis „ Baptistæ, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ante enim adventum Salvatoris, & Evangelii charitatem, antequam Christus „ aperiret paradisi januam cum Latrone, „ omnes Sanctorum animæ ad Inferos „ deducebantur. „

Hæc ex veteri Testamento producta argumenta satis esse deberent ad veritatem, quæ præ manibus est, firmissime adstruendam: quin necesse foret alia ex novo proferre. Sed quædam tamen non prætermittamus: atque illud in primis, quod petitur ex narratione S. Lucæ *de Divite, & Lazaro*, ubi utrumque in inferioribus locis fuisse, licet longo intervallo inter se dissitis, satis insinuant verba illa ab Abrahamo prolata, *inter vos, & nos magnum chaos firmatum est*, sive hiatus, aut vorago. Atque ita colligendum notat inter alios Calmetus inquiens: „ Ex hujus parabolæ decursu liquet Judæos, quos Jesus Christus alloquebatur, statuisse „ Abrahæ Sinum, & Infernum, quo Dives absorptus fuit in locis subterraneis, quo mortalibus accedere nefas „ est: sed inter se ita sejunctis, ut ex „ uno in alterum aditus non pateret, „ cum inter utrumque chaos, vel abyssus quædam interesset „. In hujus confirmationem illud adnotari debet, quod cum Christus sæpissime in Evangelio commemoret *regnum cælorum*, illudque promittat omnibus doctrinam suam fideliter observaturis; hoc tamen loco, ubi de Lazaro viro sanctissimo sermo est, non in *cælorum regnum* illum edicat deportatum ab Angelis, sed in *Sinum Abrahæ*, plane, nisi me fallit

conjectura, ne quis eo tempore sive ante ascensionem suam apertum adhuc esse beatissimum illud regnum suspicaretur.

Atque hoc sensu, quem jam innuimus, frequentius *Abrahæ Sinum* accepere Ecclesiæ Patres. Tertullianus tum ab impiorum locis, tum a cælesti Patria hunc aperte secernit *lib. 4. Cont. Marcionem Cap. 34.* inquiens: „ Aliud Inferi, ut puto; aliud quoque Abrahæ „ Sinus; nam & magnum ait (Scriptura) intercedere regiones istas profundum, & transitum utrinque prohibere: Sed nec allevasset Dives oculos, „ & quidem de longinquo, nisi in superiora, & de altitudinis longinquo „ per immensam illam distantiam sublimitatis, & profunditatis. Unde apparet sapienti cuique, qui aliquando „ Elysios audierit, esse aliquam localem determinationem, quæ *Sinus* dicta sit *Abrahæ*, ad recipiendas animas filiorum ejus, etiam ex nationibus, Patris scilicet multarum gentium „ in Abrahæ censum deputandarum, & „ ex eadem fide, qua & Abraham Deo „ credidit, nullo sub jugo legis, nec „ in signo Circumcisionis. Eam itaque „ regionem *Sinum* dico *Abrahæ*, etsi „ non cælestem, sublimiorem tamen „ Inferis „. Ubi Pamelius recte observat, alibi non ita presso significatu Inferorum nomen accepisse Tertullianum, ut cum *lib. de Anima* tradit omnes animas ad Inferos commigrare: tunc enim latius Inferos sumpsit, ut complectantur etiam *Sinum Abrahæ*.

S. Hippolytus *lib. adver. Græcos* postquam dixit justos esse in *hade* subdit: *Non ibi ardor, non tribulus, sed Patrum, justorumque vultus subridet expectantium post illud receptaculum quietem, & æternam vitam in cælo. Locum vero istum vocamus sinum Abrahami*. Sanctus etiam Joan. Chrysost. *Hom. de Divite* explicans illa verba, *In sinum Abrahæ*, ait: *Paradisus pauperis sinus erat Abrahæ .... Abraham apud Inferos erat: necdum enim Christus resurrexerat, qui illum in Paradisum duceret. Antequam Christus moreretur, nemo in Paradisum conscenderat, nisi latro, Romphæa illa flammea, & vertigo illa claudebat Paradisum .... Abraham necdum erat in Paradiso, quia necdum Christus intraverat cum latrone.... Crux Christi clavis Paradisi est: Crux Christi aperuit Paradisum*. Sanctus quoque Petrus Chrysologus *sermone 66. de Divite, & Lazaro* ita commentatur ea verba, *Inter nos, & vos magnum Chaos firmatum est:* „ Dicendo sic, tam Justos, quam Injustos ante Adventum „ Domini apud Inferos fuisse declarat, „ & discretos locis tantum, non regionibus asserit fuisse divisos. Postquam vero Dominus resurgens a mortuis patefecit Cælos, Paradisi claustra reseravit, dedit Sanctis Paradisi „ intrare requiem „. Ita etiam sinum Abrahæ accepisse S. Augustinum, pro loco nempe a cælesti sede diverso, dubium esse non potest, qui legerit tum ea, quæ scribit *lib. 12. de Genesi ad litt.* tum *serm. 6. in Psal. 8.* Ne plures afferam, satis sit testimonium Gerardi Vossii, qui loco supra laudato candide fatetur *plerosque Patres sinum Abrahæ vocasse Infernum superiorem*: quo sane nomine, nec cælum, nec Beatorum sedem vocari certum est. Sed duo alia in rem eamdem proferamus, novi fœderis testimonia.

Primum petitur ex epist. ad Hebræos *c. 9. v. 8.* ubi dicitur: *Significante Spiritu Sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum*: Ad quæ hæc scribit Chrysost. *Propterea hæc ita sunt constructa, ut disceremus, quod ad sancta sanctorum, hoc est ad cælum nondum pateat aditus. Ne ergo, inquit, quoniam ipsum non ingredimur, ea nec esse quidem existimemus: quoniam nec sancta ingressi sumus. Quæ Parabola est temporis instantis. Quodnam? Quod est ante Adventum Christi. Nam post Christi adventum non est amplius tempus instans*. Id confirmat uberius idem S. Pater ad illa verba c. 10. v. 19. *habentes fiduciam in introitu sanctorum*, &c. dicens: „ Hic ostendit spei plenitudinem.... „ contendit ostendere (S. Apostolus) „ nos habuisse majora. Siquidem *nunc* „ *apertæ sunt portæ Cælorum*, quod nec „ Abrahami quidem tempore contigit; „ Nam

„ Nam prima via erat mortis ducens „ ad Inferos ; hæc autem vitæ . *Per* „ *velamen*, inquit, per carnem suam . „ Ipsa enim caro ei primo illam viam „ secuit, ipsam ei initiavit, seu dedi„ cavit, qua est ingressus. Quando enim „ sublatus in altum, tunc apparuerunt „ ea, quæ sunt in cælis „. Videsis etiam in hæc loca Apostoli Theophylactum, Anselmum, Primasium, Oecumenium, & alios recentes expositores.

Huic Apostoli loco consonus est, qui habetur *C. XI.* ejusdem Epist. *V.* 13. ubi de Patribus antiqui fœderis dicitur : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus*, *&c.* Ex quo loco, ut testatur Cornelius a Lapide, Patres, & Theologi colligunt nullam animam, quantumvis sanctam, & puram cælum introiisse ante Christum, Christique mortem, aut Dei visionem, & beatitudinem adeptam esse. Idemque confirmat, quod legitur *V. 39.*, ubi recensitis justis V. Testamenti Apostolus subdit : *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Qui locus adeo perspicuus est visus ipsi Zuinglio, ut, Vossio teste, diffiteri minime potuerit, eos ante adventum Christi in cælo non fuisse, *sed in Sinu Abrahæ Christum liberatorem esse præstolatos*. In hunc porro locum ita scribit Calmetus. „ Alii, „ iique magno in numero tenent, & „ hæc est Ecclesiæ fides, ante Salvato„ ris Resurrectionem Cæli januas non„ dum apertas fuisse ; & justorum „ animas in Limbo vixisse, in statu fe„ lici quidem, sed nondum glorioso „ præstolantes adventum communis li„ beratoris, qui post resurrectionem „ ejus ad gloriam erat traducturus. „ Hebræis ergo conversis, quos Paulus „ alloquebatur, singularissimum erat di„ vinæ clementiæ beneficium, quod „ illorum beatitudo, & gloria nullam „ moram pateretur, sed in cælum sta„ tim post mortem, & ut ita dicam, „ eodem tempore ingrederentur, quo „ veteres illi Patriarchæ, qui paulo an„ te fuerant ingressi. Hebræi conversi, „ ad quos Sanctus Paulus hoc litterarum „ dabat, majori ex parte Jesum Chri„ stum videre potuerant, cumque non „ satis diu vivere possent, sperabant se „ in cælos ingressuros eodem ferme tem„ pore, quo Patriarchæ, qui illuc cum „ Jesu Christo paucis annis ante fuerant „ ingressi „.

Alterum, quod in rem nostram mire subservit testimonium, habetur apud Sanctum Petrum 1. *Epist. C. 3. V.* 18. his verbis : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu : in quo, & his, qui in carcere erant Spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Vexatissimus est non diffiteor, hujusmodi textus apud sanctos Patres, & Scripturæ Interpretes, sed tamen in hunc sensum frequentius conveniunt, qui plane litteræ magis respondet, nimirum, ut laudatus Calmetus ait : „ Inter cæteros iste proba„ tior est, qui prior sese legentibus hunc „ locum offert, hic est, Jesum Chri„ stum virtute ejusdem Spiritus (sive „ in eodem Spiritu) in carcerem de„ scendisse, hoc est in locum, ubi san„ ctorum Patriarcharum animæ detine„ bantur, & ubi pacate adventum illius „ præstolabantur, eisque illarum qui„ dem liberationem, suum autem Ad„ ventum annunciasse „. Ita plerique „ Patrum (*a*) atque Interpretum hoc „ explicant juxta Symbolum, quo do„ cemur Salvatorem ad Inferos descen„ disse. Hactenus omnibus Sanctis Pa„ tribus, atque Prophetis cæli aditus „ fuerat interclusus, eumque illis Jesus „ Christus per mortem suam resera„ vit. „

Audiendus quoque in hunc textum Petavius, qui *lib.* 13. *de Incarn.* C. 18. ita disserit „. Omissis omnibus aliis „ in-

(*a*) Athanas. *Epist. ad Epit.* Cyrillus *de fide ad Regin.* Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Strom.* Justinus *contra Triph.* Irenæus *lib.* 3. *c.* 23. Hieronymus *in Isaiam* C. 54. Hilarius *in Psal.* 218. *V.* 82. Ambrosius in *C.* 4. *Epist. ad Ephes.*

„ interpretandi modis, illa maxime ratio placet, quæ in Oecumenii Commentariis occurrit, Christum dici a Petro post mortem Inferis illapsum, nonnullis sui notitiam, & salutem impertiisse: nimirum illis, qui vitam suam recte composuerunt, & sic affecti fuerant, ut si tunc Christus advenisset, ad ejus fidem accipiendam essent animo parati. *Qui enim dum in terris degerent vitam suam recte factis ornatam, ac florentem præstiterant, ut si tunc Christus in mundum venisset, ab ejus vivifica prædicatione neutiquam recessissent: illi per descensum Domini ad Inferos salutem adepti sunt* „. Quod Gregorii Nazianzeni testimonio confirmat, qui *Orat.* 42. quærit, utrum Christus apud Inferos omnes salute donaverit, an credentes dumtaxat. Ubi Oecumenius participium ponit futuri temporis, *credituros*, videlicet „ eos, qui se ita composuerunt, ut si tunc advenisset, essent credituri, sed neque varietas ista lectionis necessaria est, nec interpretatio laudanda. Christus igitur in Spiritu, idest, efficaci divinitatis suæ potentia Inferos adiens, copiam sui mortuis ipsis benigne præbuit, & eos ad agnitionem sui, venerationemque convertit, non omnes quidem, sed eos dumtaxat, qui ab orbe condito in Dei gratia, & amicitia decesserant, non solum post legem a Moyse Judæis editam, sed etiam ex antiquissimis temporibus, & ipsa adeo prima rerum ætate, quam Diluvium terminavit. Ideo potissimum illos in medium adduxit, qui Noe, ac Diluvii tempore vixerunt, ut ad omnes retro ætates pertinere beneficam vim Redemptoris ostenderet, tum, ut opportunum sibi transitum pararet ad Baptismi faciendam mentionem, cujus in diluvio figura transacta est. „ Ex quibus omnibus liquidissime constat Sanctorum animas ante Christi adventum ad cælos non ascendisse, quod est præsentis hujus disputationis scopus.



CA-

CAPUT VIII.

In eamdem veritatem conspirat tum Judæorum, tum Ecclesiæ universæ perpetua traditio. Sectarum inter Hebræos principum sensus ex Josepho indicatus. In eadem perstitisse sequiorum temporum Judæos pluribus evincitur. Ecclesiæ Christianæ ab Apostolorum ævo constans traditio proponitur: Gerardi Vossii de hac re ingenua confessio Sanctorum Patrum testimoniis ab ipso roborata. Permulti alii Patres idem diserte asserentes ad Vossii censum in confirmationem adjecti.

Catholicam veritatem de clauso Sanctis omnibus cælo ante Christi Salvatoris adventum, quam Scripturarum testimoniis hactenus communivimus, præstat etiam constanti tum Judæorum, tum universæ Ecclesiæ traditione comprobare, ut nuperi Hæretici demum agnoscant in invehenda doctrina sua a tota retro antiquitate omnino recessisse. Et quidem quoad Hebræos attinet, quoniam jam multa dicta sunt in secunda hujus Dissertationis parte, paucis me expediam. Profecto locupletissimum illud de hac re sufficere deberet testimonium Josephi, qui cum *lib.* 18. *Antiq.* retulisset *c.* 2. errorem Sadducæorum pœnas, & præmia post hanc vitam negantium, subdit *Pharisæos*, quorum apud Hebræos & amplior erat numerus, & major authoritas, *statuere immortalitatem animarum, easque vel præmiis, vel pœnis sub terra, sive apud Inferos affici pro vita anteactæ ratione.* Quod etiam refert de Essæniis altera Hebræorum secta. Sed hanc doctrinam non jam recens natam in hisce Hebræorum sectis, sed ab antiquissima majorum suorum traditione susceptam, & ab ipsis usque Patriarcharum temporibus profectam esse demonstravimus, atque Vitringa ipse fateri compulsus est. Consulantur, quæ proposita sunt *capite secundo* citatæ partis, quibus addenda puto in rem nostram, quæ leguntur in *lib.* 4. *Esdræ*, quicumque sit ejus author, certe vetustissimus, qui Justorum animas in quibusdam promptuariis terræ collocavit, inquiens *c.* 4. *v.* 35. *Nonne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis?*

Integram perstitisse in Hebræa gente traditionem hanc, sive doctrinam, etiam post Josephi tempora, ostendere facillimum est. Origenes initio tertii sæculi tradidit *lib.* 5. *contra Celsum*, *Judæos a teneris annis institui, ut credant animorum immortalitatem, locaque esse subterranea, ubi & præmia, & pœnæ distribuantur pro cujusvis meritis, atque eis, quæ in hac vita patrata ab ipsis fuerint.* S. Ambrosius adeo de hac veritate persuasus erat, ut *lib. de bono mortis* scripserit illam ex Judæis permanasse ad Gentiles, inquiens: *Cognoscant Gentiles ea, quæ in Philosophiæ libris mirantur, translata de nostris, atque utinam non superflua his, atque inutilia miscuissent. Satis fuerat dixisse illis, quod liberatæ animæ de corporibus Adin peterent, idest locum, qui non videtur, quem locum latine Infernum dicimus.* Doctissimus Huetius in notis ad *Com. Origenis p.* 101. observat id, quod ab aliis etiam observatum est, ex Hebræorum doctrina locum animarum justarum appellatum esse *Paradisum inferiorem, ut a Paradiso superiore*, nimirum cælo distingueretur, *eamque sedem assignatam animis corpore exutis*, Justorum scilicet. Atque hinc ex veteri Judæorum Liturgia in precatione pro ægroto recitanda sequentia legi testatur: *Si exitus mei tempus appropinquaverit, concede mihi portionem in horto Edem, & purga me, ut ingredi possim mundum futurum, locum occultum justorum.*

Eamdem doctrinam in Hebræa gente perseverasse sequioribus a Christo, & Apostolorum ævo temporibus, fidem faciunt, qui Talmudistarum sententias, & traditiones penitus scrutati sunt, atque inter alios eruditissimi duo Raymundus Martinius, & Bartolocius. Prior in eximio suo opere *Pug. Fidei* 3. *p. dist.* 2. *toto cap.* 8. probat ex luculentis veterum Rabbinorum testimoniis

niis antiquos Patres, ac justos ad Inferna descendisse. In primis namque in *Berescit Rabba* super illud Genes. 2. *Istæ sunt generationes*, &c. legitur: „ R. Barachia dixit: licet creatæ fuerint res „ secundum plenitudinem suam, atque „ perfectionem, quando peccavit Adam „ primus, corruptæ sunt, diminutæ, „ atque concussæ . . . . Mundus iste „ cum ה creatus est, & sicut hæc littera ה clausa est ex omni parte sua, „ & inferius aperta, per hoc indicat, „ quod omnes mortui sunt descendentes „ in Infernum; Ille vero apex, qui „ sursum tendit in ea, indicium est, „ quod ipsi ascensuri sunt inde, &c. „ Hæc etiam animadversio, licet admodum inepta, & perridicula, habetur in *Misdrach Tillim*, sive Glossa *Psal.* 114. & lib. eodem ad illud *Psal.* 49. 3. Rursus in Talmud lib. *Cagiga* legitur: *Dixit Rabbi Eliezer: magistri sapientes erunt in Inferno, & tamen ignis non poterit in eis.* Eodemque lib. fuse refertur sententia Rabbinorum, quod Sauli interroganti Pythonissam *apparuerint ex Inferis duo sanctissimi Prophetæ Moses, & Samuel*. Porro si hi collocabantur in Inferis, haud dubium, quin & cæteri quique Justi. Demum pluribus aliis productis testimoniis eruditus Author observat, locum animarum justarum, quem nos vocamus *Limbum Inferni, locum requiei, sinum Abrahæ*, a Judæis appellatum esse *Sceol, Ligatorium, conservatorium, Thesaurum, vel Apotecham, ac etiam Infernum superiorem*, ut ab *inferiore*, impiorum carcere, illum secernerent. Similia expendit etiam Bartolocius *in Bibliot. Rabbin. dissertat. de Inferno*, qui Rabbinorum plurium adductis textibus concludit, *perspicuum esse apud Hebræos de sinu Abrahæ antiquissimam fuisse traditionem, quam a primæva Synagoga Talmudistas recepisse credendum est*. An vero recentiores omnes Judæi cum antiquis de hac re consentiant, inquirere nihil modo necesse est; quoniam scopo nostro sufficit antiquorum mentem habere perspectam. Sed ab Hebræis ad Christianos transeo, quorum certe gravior authoritas est.

Communem a primævis Ecclesiæ Christianæ sæculis extitisse sententiam; neminem Patriarcharum Justorumque ante Christum in Cælum ascendisse post mortem, res adeo comperta est Patrum libros, & Ecclesiæ annales evolventi, ut hoc nec inficiari potuerint candidiores inter heterodoxos gravissimi viri: Ex quibus Gerardus Johan. Vossius loco sæpe citato conceptissimis verbis fatetur: Primo, *receptam veterum ad nostrum usque sæculum sententiam fuisse; animas fidelium V. Testamenti non prius in Paradisum fuisse receptas, quam cum morte sua reserasset Christus, primusque illum cum latrone esset ingressus*. Hanc autem Thesim evincit Eruditus Author hoc pacto: „ Theophilus Antiochenus lib. 4. alleg. *In hoc quoque,* „ *quod apud Infernum Abrahamum videt (Dives) hic subesse a quibusdam* „ *ratio putatur, quod omnes sancti ante Adventum Domini Jesu Christi etiam ad Inferna licet in refrigerii locum, descendisse dicuntur*. Scriptor „ Commentar. *in Epist. Pauli* Ambrosio, vel etiam Athanasio tributorum „ (Gelasii Episcopi Cæsariensis, aut „ Hilarii urbis Romæ Diaconi eos esse arbitrantur) in Cap. 5. ad Rom. „ *Boni in Inferno erant, sed superiori* „ . . . . *quia ad cælos ascendere non* „ *poterant. Sententia enim tenebantur* „ *data in Adam: quod chirographum in* „ *decretis morte Christi deletum est;* „ *Sententia enim decreti fuit, ut unius* „ *hominis corpus solveretur super terram:* „ *Anima vero vinculis Inferni detenta* „ *exitia pateretur*. Chrysost. Hom. 4. „ in Marc. *Ante adventum Salvatoris,* „ *& Evangelii charitatem, antequam* „ *Christus aperiret Paradisi Januam cum* „ *latrone, omnes Sanctorum animæ ad* „ *Inferos deducebantur*. Hieronymus „ ad Heliod. in Epit. Nepotiani: *Ante Christum Abraham apud Inferos:* „ *post Christum latro in Paradiso*. Similia habet ad Paulam super obitu Bresillæ filiæ, & ad Ecclesiastæ *Cap. 3.* „ *& 9.* Augustinus lib. 20. de Civit. „ Dei cap. 15. *Sic enim non absurde* „ *credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt* „ *fidem, locis quidem a tormentis im-*

„ *pio-*

„ piorum remotissimis, sed apud Inferos „ fuisse: donec eos inde sanguis Christi, „ & ad ea loca descensus erueret. Profecto deinceps boni fideles, effuso illo „ pretio jam redempti, prorsus Inferos „ nesciunt, donec etiam acceptis corporibus, bona recipiant, quæ merentur. „ Idem Epist. 99. ad Evodium: *Vel si „ caussa quæritur, cur voluerit* (Chri„ stus) *venire ad Infernum, ubi dolores „ illi essent, quibus teneri omnino non „ poterat: quia erat, ut scriptum est, „ inter mortuos liber, &c. & de illo qui„ dem homine Patre generis humani, „ quod eum ibidem solverit, Ecclesia fe„ re tota consentit, quod eam non ina„ niter credidisse credendum est, unde„ cumque hoc traditum sit, etiamsi ca„ nonicarum hinc expressa non proferatur „ authoritas.* Concilium Toletanum sub „ Honorio anno 533. celebratum cap. „ 1. *Descendit ad Inferos, ut Sanctos, „ qui ibidem tenebantur, erueret.* Eam„ dem sententiam clare asserunt Ire„ næus *lib.* 5. Tertullianus *de anima*, „ & carm. *lib.* 2. *adversus Marcion. c.* „ 4. *lib.* 4. adversus eumdem *c.* 6. & „ *lib.* 5. *Cap.* 10. Origenes *Homilia* 15. „ *in Genes.* & in *Epist. ad Rom. c.* 5. „ Hinc aliis Ecclesiæ Patribus memoratis, Vossius in illos calamum stringit, qui eorumdem testimonia in alienos ab obvio, ac nativo sensus absurdis interpretationibus detorquere nituntur subdens: *Hos omnes per metonymiam temporis velle exponere (ut nempe destructio Inferi ante mortem Christi facta dicatur: quia non absque illius morte destruebatur, quomodo hæc loca interpretatur vir eruditus) hoc vero (bona ejus pace dixerim) infrunitum planeque tortum arbitror. Omnino igitur, seu Patres illi Christi ad Inferos descensum personalem, & per præsentiam essentiæ, seu tantum virtualem, & per præsentiam virtutis effectusque esse voluerint; in eo saltem conspirarunt, quod Justos ante Christum, & scissum templi velum, sanctuarium cæli ingressum negent.* Hactenus Vossius.

His testimoniis a Docto authore prolatis, alia præstat adnectere veluti ad cumulum probationum catholicæ veritatis, quam recentes heterodoxi negare ausi sunt. Inprimis itaque S. Hilarius *in Psal.* 58. *n.* 10. ait: *Misericordia eum præveniet, ut etiam ante resurrectionem Dei filius intelligatur, cum moriente eo obscurato sole lux deperit .... cum descendente eo ad Inferos, sanctos ejus Inferi non tenent, &c.* Et in *Psal.* 138. ad illud: *Si descendero in Infernum ades*, de tempore loquens, quod Christum præcessit, inquit: *Humanæ ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus ad Inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* S. Epiphanius *hæres.* 46. cont. Tatianum n. 3. *Quid causæ fuit, cur Christus ad Inferos usque descenderet, aut triduo sepultus post passionem resurgeret? qui porro istud impletur, ut mortuis, vivisque dominetur?* (act. 10. 42.) *Qui sunt vivi illi, mortuique, qui tam infra, quam supra terram, ope illius indigebant?* Origenes *Hom.* 2. *in lib. Regum* fuse probat Samuelis animam apud Inferos fuisse ex apparitione Sauli facta; atque inde colligit etiam apud Inferos extitisse Abraham, Isaac, Jacob, aliosque Justos, & ad illos liberandos descendisse Christum: *Internum*, ait, *desiderium, quod non potest ab aliis curari, curat ipse: quod a nemine potuit medicorum sanari, sanatur a Christo Jesu.* Et postea: *Ne timeas, ne mireris: Christus in Infernum descendit, & ante eum prophetæ, qui ejus adventum prædicebant.... Non aliter Christus erat, licet inferius esset, ut sic dicam, &c. Eodem pacto, & Prophetæ, & Samuel, quamvis eo descendant, ubi sunt animæ, quæ in Infernis, loco quidem inferius sunt, at non inferius sunt voluntate.* Hæc ille, qui subinde diserte asseverat ante adventum Domini animas justas Paradisum ingredi haudquaquam potuisse.

Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* 4. *n.* 11. scribit: „ Christus descendit ad „ subterranea, ut illinc justos redime„ ret. Velles ne enim, quæso te, vi„ vos quidem gratia frui, idque cum „ plurimis ex his sancti non sint, eos „ vero qui ab Adam usque longinquo „ tempore conclusi fuerunt, libertatem „ tandem non consequi? Hesaias Pro-

„ pheta tam multa de ipso excelsa voce „ prædicavit. Non velles, ut Rex de„ scendens suum præconem liberaret? „ Erat illic David, & Samuel & Pro„ phetæ omnes: Ipse quoque Joannes, „ qui per legatos suos dicebat: *Tu es, „ qui venturus es, an alium expectamus?* „ Non velles ut tales viros descendens „ liberaret „? Vir eximius P. Toutè editor operum sancti Patris in hunc locum, hæc apposite subjicit: „ Descen„ dit in subterranea εἰς τὰ καταχθόνια. „ Idem nomen *Catech. 6. n.* 15. tri„ buit loco, quem Simoni Mago de„ stinatum fuisse ait, cum Apostolo„ rum precibus sublimis in aere volans „ in terram præcipitatus est. Nec id„ circo eumdem locum putes damnatis „ destinatum, & iis quo veteres detine„ bantur Justi „. Utrorumque tamen locum subterraneum fuisse Cyrillus censuit.

Joan. Chrysostomus loco supra citato præter ea, quæ relata sunt a Vossio ita disserit: „ Jacob dixit *lugens & ge„ mens descendam ad Inferos*. Si Abra„ ham ad Inferos, quis non ad Inferos? „ In lege Abraham apud Inferos: In „ Evangelio latro in Paradiso. Non „ detrahimus Abrahæ, in cujus sinu cu„ pimus omnes conquiescere. Sed Chri„ stum præferimus. Evangelium legi „ præferimus. Legimus, quod post Re„ surrectionem Christi multi Sanctorum „ apparuerunt in sancta civitate. Domi„ nus noster, atque Salvator, & in ter„ ra prædicavit, & apud Inferos præ„ dicavit. Ideo mortuus est. Ideo de„ scendit ad Inferos, ut animæ, quæ „ ibi vinctæ fuerant, laxarentur, *prædi„ cans Evangelium Regni Dei, & di„ cens quoniam adimpletum est legis tem„ pus. Venit principium Evangelii: Ap„ propinquavit Regnum Dei*. Non dixit: „ *Jam regnum Dei est, sed appropin„ quavit regnum Dei*. Antequam ego „ patiar, & sanguinem fundam, non „ est apertum Regnum Dei: propterea „ *appropinquavit*, quia nedum passus „ sum „. Hæc, & alia, quæ brevitatis caussa prætereo, adeo perspicua sunt, ut plane luce eorum dissipentur nebulæ omnes de mente ipsius, quas nonnulli ex quibusdam obscuris, & implexis Sancti Doctoris textibus elicere conantur. Unde nec illa explicare opportunum, aut necessarium arbitror.

Paria scripsit author *Operis imperfecti in Matth.* eidem Chrysostomo olim tributi his verbis: „ Nullam animam „ arbitror ante Christum ascendisse in „ Cælum, ex quo peccavit Adam, & „ clausi sunt ei cæli: sed omnes in In„ ferno detentas: propter quas etiam de„ scendit ad Inferos, sicut ipse testatur „ in *Sapientia* dicens: *Descendam ad in„ feriores partes terræ, & visitabo o„ mnes dormientes, & illuminabo spe„ rantes in Domino* „. S. Petrus Chrysologus plane consentit *serm.* 123. inquiens: „ Intelligitis, fratres, quia ju„ stos ex his, quæ dicta sunt, etsi di„ scretio locorum esset, una tamen, & „ Inferni adhuc regio continebat, at„ que eos, etsi chaos magnum, nondum „ tamen cælestis habitatio separabat: „ etsi dividebat illos hiatus tristis, non„ dum tamen deputata superius Ange„ lis altitudo. Flammea romphæa (si„ cut Legislator refert.) Paradisi vol„ vebatur ingressu, ne illuc homini pa„ teret accessus. „

Proderit hic integrum afferre S. Hieronymi textum, quem Vossius tantum indicat, *in Cap. 4. Ecclesiastæ* ad illud, *Quis scit si Spiritus filiorum hominum ascendat sursum?* ubi ait: „ Hoc dicit, „ non quod animam putet perire cum „ corpore, vel unum bestiis, & homini „ præparari locum, sed quod ante ad„ ventum Christi omnia ad Inferos pa„ riter ducerentur. Unde & Jacob ad „ Inferos descensurum se dicit: Et Job „ pios, & impios in Inferno queritur „ retentari: Et Evangelium Chaos ma„ gnum interpositum apud Inferos, & „ Abraham cum Lazaro, & Divitem in „ suppliciis esse testatur. „

S. Gregorius Magnus eamdem doctrinam præclare tradit ad Psal. 6. Pœnit. dicens: *Ante adventum Christi vitæ viam omnibus ignotam fuisse, tendentibus cunctis ad mortem, & ad Inferos descendentibus etiam electis: donec ille veniret, qui & impios ad justificationem, & mortuos vocaret ad vitam*. Sanctus quoque

que

que Paterius, qui suos in sacras litteras Commentarios ex Gregorii Magni operibus perfecit lib. I. *in Genes. Cap.* 28. hæc habet: *Quia ante adventum mediatoris Dei, & hominis, omnis homo, quamvis mundæ, probatæque vitæ fuerit, ad Inferni claustra descendit, dubium non est; quoniam homo, qui per se cecidit, per se ad Paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui suæ Incarnationis Mysterio ejusdem nobis Paradisi iter aperiret. Unde & post culpam hominis ad Paradisi aditum Romphæa flammea posita esse memoratur, quæ & versatilis dicitur pro eo, quod quandoque veniret tempus, ut etiam removeri potuisset.*

Et ad illa verba Job, *Si sustinuero, Infernus domus mea est*, sic exponit: „ Beatus Job & afflictionem sentiens, „ & adhuc differri retributionem justorum sciens apte subjungit, *si sustinuero*, &c. Priores etenim Sancti & sustinere adversa poterant, & tamen „ e corporibus educti adhuc ab Inferni „ locis liberari non poterant: quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, ut eos, qui ibi tenebantur „ ex culpa, liberaret. Et quia in ipsis „ Inferni locis justorum animæ sine „ tormento tenebantur, ut & pro originali culpa adhuc illuc descenderent, „ & tamen ex propriis actibus supplicium non haberent, quasi in tenebris „ lectulum stravisse, & in Inferno sibi „ requiem præparasse „.

In eadem sententia sunt Cæsarius Arelatensis *hom.* 28. scribens: „ Ante „ adventum Salvatoris Diabolus regnabat in mundo, & omnes populi peccatores, & justi exeuntes de corpore „ in Infernum descendebant propter Originale peccatum „. Gennadius quoque Massiliensis *de Ecclesiast. Dogmat. Cap.* 78.: „ Ante Passionem Domini „ omnes animæ sanctorum in Inferno „ sub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec authoritate Domini „ per indebitam ejus mortem a servili „ conditione liberarentur „. Isidorus etiam Hispalensis *lib.* I. *sentent. de summo bono c.* 16. „ Ante adventum Salvatoris, quamquam sine pœna supplicii, tamen non in Cælo, sed in „ Inferno sanctorum animæ tenebantur: „ pro quibus absolvendis Dominus in „ Infernum descendit „. Nec omittendus vetus author *sermonis* 160. *de Temp. olim* 137. inter opera S. Augustini T. 5. qui ait: „ Per hanc (animam scilicet „ Christi) electi, qui quamvis in tranquillitatis sinu, tamen apud Inferni „ claustra tenebantur, ad Paradisi amœna reducti sunt: Quod ante Passionem „ dixit, in resurrectione sua Dominus „ implevit. *Si exaltatus fuero*, inquit, „ *a terra, omnia traham ad me*. Omnia „ etenim traxit, qui de electis suis apud „ Inferos nullum reliquit „.

Quum ea omnia Patrum testimonia, quæ infra opportunius afferentur, veritatem hanc vel supponant, vel ad eam comprobandam omnino collineent, iccirco hic dumtaxat pro coronide animadvertam, fidem hanc ita firmam, & universalem semper fuisse in Ecclesia Christiana, ut nedum veterum neminem reperire sit, qui oppositam sententiam expresse docuerit, sed & ipsæ Ecclesiæ a Catholica deplorando schismate sejunctæ illam constanter retinuerint, ut colligitur ex liturgiis Ecclesiæ Græcæ, & ex confessione fidei Æthiopicæ, & Gabrielis Patriarchæ Alexandrini, nec non Mosis Mardeni Assyrii, quæ supra jam dedimus: quibus nunc adjicio professionem fidei editam a Joanne Basilio Moscoviæ Duce in responsione ad Joannem Rohitam *Cap.* 2. his verbis conceptam: *Licet quidam usque ad Christi adventum justi fuerint, neque contaminati: nihilominus tamen omnes propter Adami damnationem moriebantur, & in Adam* (idest Infernum) *descendebant*. (*a*)

A a 2 CA-

(*a*) Apud Coccium.

CAPUT IX.

Leviores quædam recentium hæreticorum objectiones adversus constitutam doctrinam paucis discussæ. Præcipuum, cui maxime fidunt, argumentum ex Christi Domini verbis ad Latronem in cruce dictis depromptum proponitur, & accurate perpenditur. Duplex explicatio loci illius jam adducta a S. Augustino. Utraque defenditur, & illustratur. Nonnulla de voce Paradisi *a Christo adhibita: Ea regnum cæleste neutiquam denotasse pluribus ostenditur.*

Argumenta, quæ adversus traditam doctrinam obtrudunt adversarii nostri, exigui sane momenti sunt, quæque sententiam tot Scripturarum, ac Patrum præsidiis munitam, atque firmatam nedum labefactare, sed neque concutere quidem valent. Quæ leviora censeo, paucis excutiemus, ut in illo, quod validissimum putant, refutando paulo amplius immoremur. Primo igitur Drelincurtius in Opere sæpe citato affert textum lib. *Sapientiæ Cap.* 3. quem clarissimum jactat, scilicet: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis . . . : illi autem sunt in pace*, atque hunc confirmat morientis Christi verbis: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Ex quibus elicit justorum animas, sicut & Christi, non jam ad Inferos fuisse delatas, sed statim a morte in cælum perrexisse clara Dei visione æternum frituras.

Hoc argumentum elumbe adeo, ac frivolum est, ut mirum mihi sit a cordato authore potuisse proferri, eique tamquam fulcro firmissimo hærere. Quid enim? Numquid *esse in manu Dei* perinde est, ac esse in regione cælesti, ac suprema beatorum sede, prout ille pertendit? Quinimmo in tota Scriptura nullus locus occurrit, in quo ea verba ita sumantur. Quibusvis enim in locis constanter significat esse *in Dei protectione, in ejus cura*, aut *peculiari Dei providentia*, ut E. C. locutiones illæ Prophetæ regii: *In manibus tuis fortes meæ: In manu ejus sunt omnes fines terræ: In manus tuas commendo spiritum meum: Redemisti me Domine Deus veritatis*: Ecclesiast. 10. *In manu Dei potestas terræ*: Sapient. 7. *In manu illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, &c.* aliæque id genus sexcentæ. Quin addo ex verbis adductis erui potius argumentum contra Drelincurtii, & Sectariorum opinionem. Namque cum Sapiens ibidem sæpe agat de felici justorum sorte post hanc vitam, nunquam meminit cælum ad quod translatæ sint, nunquam felicitatem cælestem, quam acquieſierint. Sane si revera credidisset justos tunc in cælo sempiterna beatitudine perfrui, non eas tantum locutiones adhibuisset, quod ipsorum animæ sint *in manu Dei*, quod *in pace conquiescant*, sed longe magnificentius de ipsarum beatissima sorte locutus esset, prout nunc temporis loqui consuevimus. Apposita valde sunt, quæ ad illa verba, *Illi autem sunt in pace*, scribit Cornelius a Lapide: „ Ante Christum, quando scriptus est liber, nedum justis „ patuerat aditus in cælum ad videndum Deum, sed animæ eorum descendebant in Limbum Patrum, ibique „ quietæ expectabant Christum, qui cælum reseraret. Hic ergo locus quietis „ recte vocatur *pax*; tum quia justi a „ bello, quod in hac vita gesserunt, „ cum concupiscentia, impietate, & „ impiis transeunt ad pacem: tum quia „ mors omnibus hujus vitæ laboribus, „ miseriis, passionibus finem imponit, „ atque ita homines constituit in quieta tranquillitate: tum quia justos deducit in sinum Abrahæ, in quo erat „ magna sanctorum Patrum Pax, lætitia, & gaudium, præsertim ob spem „ futuræ beatitudinis dandæ per Christum. Hinc nomen *Regni cælorum* „ non invenitur in veteri testamento, „ ait S. Joannes Chrysost. *Hom.* 4. *in Marcum*: Sed primus illud nominavit, „ & prædicavit S. Joannes Baptista dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum*. Hinc sub-

„ ditur:

„ ditur: *Spes illorum immortalitate ple-„ na est*. Justi enim illius ævi sperabant plenam immortalitatem se adepturos per adventum Domini „. Atque ex his patet quoque responsio ad confirmationem adductam a Drelincurtio ex verbis Christi in Cruce prolatis, eo præsertim, quod ad rem nostram non est exemplum animæ Christi, quæ jam ab initio conditionis suæ plena fruebatur visione Dei.

Simile huic, ineptum scilicet, ac frivolum, est argumentum, quod conficit Junius ex verbis Ecclesiastæ *C.* 12. dicentis: *Ibit homo in domum æternitatis suæ . . . donec revertatur pulvis in terram, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Quod argumentum ita solvit Gretserus (*a*) „: Si ex „ his locis probare cupit Junius animas „ ante Christi Ascensionem fuisse in cælo, inde itidem probare licebit, non „ modo animas justorum, sed & impiorum fuisse in cælo, quia generatim „ de quovis homine asseritur illud: „ *Ibit homo in domum, &c.* & de quavis anima pronunciat, & *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Si ergo redire ad Deum est ascendere in „ cælum, tum etiam animæ impiorum „ ascenderunt in cælum, quia ut corpus „ eorum rediit in terram, ita & anima „ ad creatorem suum. Si hoc nimium „ est etiam judicio Junii, aliter hæc „ loca interpretetur, oportet, & per „ *domum æternitatis* sepulcrum intelligat juxta illud: *Domus eorum sepulcra eorum in æternum*: Non quod in „ æternum corpora in sepulcro sint permansura, sed longissimo tempore, & „ fine spe reditus ad hujus vitæ statum. „ *Redit insuper spiritus ad Deum, qui fecit illum*, quando ex corpore excedit ad quemcumque tamen locum deferatur „.

Nec ponderis majoris est, quod idem Junius opponit de Henoc, & Elia, quos in suprema cæli regione statuere sacras litteras comminiscitur. Nam quod Henochum spectat, de ejus translatione in tribus Scripturæ locis mentio fit, ex quibus nihil extundi potest adversus positam thesim. Et primo quidem *Genes.* 5. ubi de illo dicitur: *Ambulavit cum Deo: & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Secundo *Ecclesiastici* C. 44. V. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, ac tertio tandem *ad Hebr. C. XI. Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus*. De Elia vero *lib.* 4. *Regum C.* 2. *V.* 9. dixisse perhibetur Eliseo: *Postula, quod vis, ut faciam, antequam tollar a te*, & paulo infra: *Si videris me, quando tollar a te, &c.* ac demum: *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & Elias ascendit per turbinem in Cælum*.

Ex his liquet in primis Henoch non anima tantum, sed & corpore translatum esse, sive deductum in *Paradisum*, hoc est in amœnum locum; sic enim *Paradisi* nomine intelligunt Ecclesiasticus, & author *lib.* 4. *Regum*, quod infra manifestius fiet, deductum, inquam, usque ad præfinitum a divina providentia tempus, *ut det gentibus pœnitentiam*. Atque hæc est communis Patrum, & expositorum sententia asserentium eum adhuc, sicut & Eliam, de quo paria dicuntur, extra mundum hunc nostrum utrumque raptum, ut postremo tempore ante judicium mundi novissimum adveniant, Antichristo adversentur, populosque, qui a fide defecerint, in viam salutis revocent: Id quod Apocalypseos testimonio nititur, ubi *Cap. XI.* scriptum est Deum tandem suscitaturum esse *duos testes suos*, qui *præcincti saccis spatio dierum* 1260. *prophetabunt*. Ex Patribus, qui ita laudatos textus explicant, vide sanctum Justinum in *Dial. cum Triphone*, Tertullianum *de anima Cap* 35., *& Cap.* 50. S. Hippolytum in *Orat. de antich.* S. Joannem Chrysostomum *Hom.* 58. *in Math* S. Ambros. *lib.* 1. *in Lucam*, S. Hieronymum *in c.* 18. *Matth.* S. Cyrillum Alexandrinum *in Ma-*

(*a*) ad cap. 11. Bellarmi. Tom. 9. Pag. 167.

Malach. Sanctum Augustinum, aliosque plurimos.

Duo alia Scripturæ loca, quæ solent opponi, alterum ex verbis S. Simeonis Prophetæ ductum: *Nunc dimittis servum tuum in pace*: alterum ex narratione Parabolæ Divitis, in qua Lazarus *in Sinu Abrahæ* quiescens, & gaudens inducitur, prætermittenda judico: quoniam, quæ dicta jam sunt, affatim sufficiunt pro plena solutione argumenti, quod inde conficiunt. Si quis tamen hæc loca uberrime explicata desideret, adeat *Cap.* 13. laudati lib. P. Liberati Fassoni, nam properare præstat ad illam objectionem diluendam, in qua Heterodoxi nostri temporis præcipuum deploratæ caussæ suæ columen, atque statumen collocasse videntur.

Sumitur hæc objectio ex promissione a Christo in Cruce pendente facta latroni, qui deprecatus eum fuerat, ut sui memor esse vellet, dum in Regnum suum pervenisset; cui annuens clementissimus Dominus respondit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso*. Porro subdunt, nomine *Paradisi* nihil aliud intelligendum venit, præter *regnum cælorum*, ut patet *ex Epist. ad Corint.* ubi Apostolus ait: *Scio hujusmodi hominem, &c. quoniam raptus est in Paradisum, & audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et Apocalyp. 2. *V.* 7 *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*. Igitur juxta promissionem dominicam felicis latronis anima eodem die, quo Christus mortuus est, antequam ipse cælum ingrederetur, in beatam illam regionem perrexit. Quod si hujus anima statim a morte abivit in cælum, quis etiam cæteras justorum animas, quæ ipsam præcessere, ad eumdem fortunatissimum locum ascendisse negaverit? Ita ferme Drelincurtius, & reliqui ex Sectariis, ex quibus huic argumento adeo fidit Daneus (apud Gretserum) ut propterea flocci faciendas dixerit omnes Patrum adversantes sententias, utpote manifeste pugnantes cum verbis Christi, *bodie mecum eris in Paradiso*, & Junius contra Bellarminum asfirmantem contrariam opinionem prorsus esse inauditam, scribere non sit veritus, *Negatur propositio, & probatio illius sumpta ex Ecclesiæ silentio, quia eam negavit Christus latroni dicens: hodie mecum eris in Paradiso*.

Satis profecto mirari nequeo, argumentum hocce tanti fieri ab adversariis nostris, nec aliud attentius consideranti suppetit, nisi cum nihil aliud habeant, quo defendant sententiam suam, ideo huic maxime insistunt, ejusque vim verbis magnificis augent, atque amplificant, ne causa penitus cecidisse videantur. Jam plures tum a Patribus, tum a Theologis nostris explicationes verborum Christi allatæ sunt, ac plura de iisdem copiose notata, quin tamen ne quidem unus, aut alter suspicatus fuerit ex iis colligi posse veteris Testamenti justorum animas post separationem a corpore evolasse in Cælum: quod plane ad hoc labefactandum argumentum satis esse deberet. Si enim vis aliqua ad illud probandum inesset, quod hæretici putant, credibile nullatenus est, quin saltem aliqui eam pernovissent. Cæterum, ut ejus futilitas manifestissime appareat, lubet in eo refutando operam nostram diligentius impendere. S. Augustinus præ cæteris fortasse fusius argumentum versat *Epist.* 187. alias 57. *ad Dardan.* obsfervatque verba Christi ad latronem dicta duplici modo apte intelligi posse, nempe vel de Christo, prout homo simul, & Deus est, vel secundum dumtaxat ipsius divinitatem: „ Si ergo, subjicit S. „ Doctor, secundum hominem, quem „ Verbum Deus suscepit, putemus di„ ctum esse, *hodie mecum eris in Paradiso*, non ex his verbis existimandus „ est: neque enim ipso die in cælo fu„ turus erat *homo Christus Jesus*, sed „ in Inferno secundum animam: In se„ pulcro autem secundum carnem, & „ de carne quidem, quod eo die in se„ pulcro posita sit, manifestissimum est „ evangelium. Quod vero illa anima „ in Infernum descenderit, apostolica „ doctrina prædicat. Quandoquidem „ Beatus Petrus ad hanc rem testimo„ nium de Psalmis adhibet, ubi prædi„ ctum esse demonstrat: *Quoniam non „ derelinques animam meam in Inferno, „ neque dabis sanctum tuum videre cor-*

„ *ruptio-*

„ *ruptionem*. Illud de anima dictum est: „ quia non est ibi derelicta, unde tam „ cito remeavit: Istud de corpore, quod „ in sepulcro corrumpi, celeri resurre- „ ctione non potuit „. Et postquam Christi verba de sepulcro intelligi minime posse declaravit, ita sequitur. „ Restat igitur, ut si secundum hominem dictum est, *hodie mecum eris in* „ *Paradiso*, in Inferno intelligatur esse „ *Paradisus*, ubi erat ea die futurus se- „ cundum animam humanam Christus „. Progreditur subinde ad aliam responsionem, quam verosimiliorem putat, & ait: „ Est autem sensus multo expeditior, „ & ab his omnibus ambiguitatibus li- „ ber, si non secundum id, quod homo „ erat, sed secundum id, quod Deus „ erat, Christus dixisse accipiatur: „ *hodie mecum eris in Paradiso*. Homo „ quippe Christus illo die secundum „ carnem in sepulcro, secundum ani- „ mam in Inferno futurus erat: Deus „ vero idem ipse Christus ubique sem- „ per est. Est enim lux, quæ lucet et- „ iam in tenebris. . . . Nec tamen cum „ filium Dei Christum dicimus, homi- „ nem separamus, aut cum eumdem „ Christum filium hominis dicimus, se- „ paramus Deum. Secundum hominem „ namque in terra erat, non in cælo, „ ubi nunc est . . . . quamvis secun- „ dum id, quod filius Dei erat, esset „ in Cælo: secundum id vero, quod fi- „ lius hominis erat, adhuc esset in ter- „ ra, nondumque ascendisset in cæ- „ lum . . . . Sicut ergo potuit recte „ dici *Dominus gloriæ* crucifixus, cum „ ad solam carnem illa passio pertine- „ ret, ita recte dici potuit; *hodie me-* „ *cum eris in Paradiso*, cum juxta hu- „ manam humilitatem per carnem in „ sepulcro, per *animam in Inferno* illo „ die futurus esset; Juxta divinam ve- „ ro immutabilitatem nunquam de Pa- „ radiso, quia ubique est semper, re- „ cessisset „. Hæc Augustinus: cujus posteriorem explicationem nonnulli alii secuti sunt Ecclesiæ Patres, sacrique Scripturarum Interpretes, eamque admodum esse probabilem neutiquam dubitare debemus. Ex illa autem consequitur felicis latronis animam ea ipsa die, qua mortuus Christus est, ad cælum evectam fuisse, ibique clara Dei visione, & beatitudine sempiterna donatam: Quod nemini mirum videri debet. Jam enim per Christi mortem pretium redemptionis humanæ coram divina justitia persolutum erat, & aperta cælorum janua, quæ hactenus per peccatum clausa omnibus fuerat.

At enim vero, quamquam sententia hæc magna probabilitate gaudeat, eaque evanescat hæreticorum objectio, cum non eadem ratio habenda sit de latrone, ac de cæteris justis, qui Christi mortem antecessere, prima tamen sancti Augustini expolitio inter Patres frequentior est, longeque mihi probabilior: Juxta quam verba Christi dicentis: *hodie mecum eris in Paradiso*, non aliud sonant, nisi *hodie mecum eris in Sinu Abrahæ, loco scilicet quietis, & voluptatis, ubi te cum cæteris Patribus, ac justis, quos inde erepturus sum, consortem faciam visionis divinitatis meæ, atque adeo plenæ beatitudinis quæ in ipsa consistit*. Certum itaque locum vox illa *Paradisi* in hac locutione significat, non meram nullique loco addictam felicitatem animi perfectam, in clara Dei visione positam. Nam Jesus glorificatus Paradisum efficit, summamque beatitudinem, ubicumque est, ut apparet ex gloriosa ejus transfiguratione *in monte excelso* peracta. Sed locus ille tunc non erat adhuc cælorum regio, ad quam post quadraginta dies, cum sanctorum omnium, adeoque & Latronis caterva, æternum regnaturus ascendit: Sed potius *Sinus Abrahæ* locus tranquillitatis, & quietis, quo die illa Sanctissima Christi anima profecta est, suaque præsentia justos ibidem quiescentes beavit.

Verum hic pro nihilo habentes hanc Patrum, Expositorumque interpretationem audaciter insurgunt Calviniani, atque inter cæteros Drelincurtius, qui supra omnes, quos viderim, objectionem exaggerat, aitque confidenter pugnare illam cum textibus Scripturarum jam allatis, ubi vox *Paradisi*, inquit, pro *Regno cælorum* accipitur, sed neque aliter accipi potest, prout consideranti liquet quammaxime. Ut igitur

faciam

faciamus satis eorumdem clamoribus, quædam præterea observanda mihi existimo. Observo itaque *Paradisi* nomen juxta etymon suum proprie significare *viridarium*, *aut hortum muris undique septum*: Et vox hæc, si Polluci credimus, ex Persica lingua derivata est. Unde Xenophon *lib. 5.* memorat *Paradisos* a Persis dictos fuisse *hortos deliciis omnibus instructos*: Quod & Plutarchus animadvertit. Extat hoc nomen Ecclesiast. *C. 2. V. 5.* ubi enim Vulgata nostra legit: *feci mihi hortos, & pomaria*, juxta hebraicum legitur: *feci mihi Paradisos*. Idemque habetur *ex lib. 2. Esdræ*, ubi juxta Hebræum legunt; *Aseph fuisse custodem Paradisi*, sive viridarii Regis Artaxerxis. Atque hinc Vulgata nostra, ubi meminit alicujus horti amœnissimi, sive loci deliciis affluentis, *Paradisum* vertit, nec ullus in veteri Testamento textus est, ubi aliter *Paradisi* nomen accipiatur. Cum vero *Paradisus* natura sua sit vox quædam generica, sumi ab Hebræis, & Christianis solet in primis pro loco illo amœnissimo, in quo Protoparentes nostri in conditione mundi a Deo collocati fuerant, & ex quo propter transgressionem divini mandati ejecti fuere. Deinde in novo fœdere ad locum illum felicissimum significandum translatus est, in quo justi omnes cum Christo per omnem æternitatem regnaturi sunt. Quare non invitus assentior locis in argumento productis *ex Epist. ad Corinth. & Apocalypsi* nomen *Paradisi* sumi pro cælorum regno, sive beatorum sede sempiterna: Quamquam Patres, & Interpretes minime desint, qui contra sentiant. Quid tamen? Nemo plane non videt hanc non esse propriam, & nativam sedis cælestis significationem, sed potius metaphoricam, & impropriam, quatenus cum superna sanctorum beatissima regio deliciis omnibus, ac voluptatibus affluat, ad hanc felicitatem denotandam *Paradisi* nomen usurpatum est. At vero quis inficias ire poterit, idem nomen etiam adhibitum esse ad significandam sedem veterum justorum, quæ licet cælestis haud foret, sicuti nunc temporis est, plena tamen erat jucunda tranquillitate, & suavissima plenioris beatitudinis expectatione. Ita inter alios credendum existimavit S. Augustinus, cujus neutiquam pigebit audire authoritatem desumptam *ex lib. 12. de Genesi ad litteram*, atque his verbis conceptam: „ Si „ (*Paradisus*.) proprie quidem est nemorosus locus; translato autem verbo, omnis etiam spiritualis quasi regio, ubi animæ bene est, merito *Paradisus* dici potest; non solum tertium cælum (ad quod translatus est Apostolus) quidquid illud est, quod profecto magnum, sublimiterque præclarum est, verum etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ *Paradisus est*... Quanto magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ *Paradisus* dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies, post omnes dolores vitæ hujus? Neque enim & lux ibi non esse potest propria quædam, & sui generis, & profecto magna, quam Dives ille de tormentis, & tenebris Inferorum, tam utique de longinquo, cum magnum *χάσμα* esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemptum pauperem agnosceret „.

His merito adnotatis, statuo primum *Paradisi* nomen a Christo adhibitum in verbis Latroni dictis, accipi congrue posse pro *Sinu Abrahæ*, sive pro loco illo jucunditate pleno, ubi juxta Ecclesiæ Catholicæ doctrinam detinebantur veterum justorum animæ, antequam eas illinc Christus eriperet introducturus in Cælum. Id constare videtur ex propria, ac nativa nominis significatione, quæ cum non alia sit, nisi *amœni cujusdam horti, aut viridarii*, sive loci affluentis deliciis, accommodari vox illa peroptime potest tranquillo, ac felici domicilio, in quo sancti veteres quiescebant: quod felicissimum subinde effectum est, omnique voluptate circumfluens ex Christi præsentia, ejusque divinitatis revelatione perspicua. Statuo secundo *Paradisi* nomen a Christo moriente prolatum, nedum congrue, sed spectatis omnibus circumstantiis congruentius sumi, non pro regno cælorum, sed pro eodem sanctorum Patrum domicilio, quod *Limbum*

bum Patrum, *aut Sinum Abrahæ* appellare solemus. Hoc colligitur tum ex verborum contextu, tum ex proprio, ac usitato sensu, qui tunc obtinebat in populo. Et quidem ex contextu verborum. Petierat enim bonus latro a Christo Domino, ut sui meminisset, dum perveniret in regnum suum. Quid latro *regni* nomine intellexerit, non adeo perspectum est: sed illud est exploratissimum, nullam Christum responsione sua de regno fecisse mentionem, solumque dixisse: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Si latroni Christus polliceri voluisset *cælorum regnum* ea ipsa die, qua loquebatur, consequendum, illud plane *Paradisum* haud nominasset, qui talem adhuc significatum non obtinuerat. Nonne Christus multoties in Evangelio cultoribus doctrinæ suæ *cæleste regnum* promiserat? Cur hac unica vice *regni* vocabulo prætermisso, *Paradisum* pollicetur? Non alia sane de causa, nisi me omnia fallunt, nisi quia illa die bonus latro introducendus non erat in cælum, sed in alium inferiorem locum, amœnum licet, atque felicem, in Limbum nempe Patrum, & Sanctorum consortium. Idem quoque confirmat adverbium *hodie* a Christo in responsione usurpatum. Certum quippe ex Evangelio est, & ex actibus Christum ad cælos non ascendisse, nisi post quadraginta dies a resurrectione sua. Non igitur illo eodem die, quo mortuus est, potuit Latro simul esse cum Christo in Cælo; quæ animadversio S. Augustini est superius adducta: *Neque enim*, inquit, *ipso die in cælo futurus erat homo Christus Jesus, sed in Inferno secundum animam .... Restat igitur ut si secundum hominem dictum est* (ut reapse dicunt adversarii nostri) *hodie mecum eris in Paradiso; In Inferno intelligitur esse Paradisus., ubi erat eo die futurus, &c.*

Id etiam constat, si consideremus personam, cui Christus locutus est. Nam profecto *Paradisi* nomine nihil aliud tunc Latro poterat intelligere, quam quod nos ipsi contendimus. Hebræi siquidem, inter quos vixerat ille, *Paradisi* voce ad futurum vitæ statum significandum translata, non *Regnum cælorum*, sed in Inferis locum quemdam animarum felicem, atque beatum intelligebant. Hoc evidens est ex iis, quæ supra produximus de Hebræorum doctrina quoad futurum animarum sanctarum locum. Hunc enim appellare consueverunt *Paradisum inferiorem*, ut a superiore, Cælo nimirum, distinguerent, quemadmodum ex Judæorum liturgia in precatione pro ægrotante recitari solita, & iis, quæ refert Origenes, satis constat: quibus consentiens Maimonides a Jacobo Windeto laudatus (*a*) refert plerosque Rabbinorum *Paradisum a Cælo secernere*. Quare dubitandum non est, ut etiam Simonius in Judaica Theologia versatissimus advertit, quin etiam nostri Salvatoris ætate receptissimum fuerit apud Hebræos *Paradisi* vocabulum ad subterraneum illum felicem locum significandum, ad quem abibant justorum animæ. Si ergo tunc temporis usitatum erat nomen *Paradisi* pro Limbo Patrum, quis inde non colligat, nec alio in sensu fuisse a moriente Christo prolatum, nec alio a pio Latrone perceptum? Quod ad difflandum in aures hæreticorum argumentum abunde est.

Adhuc nihilominus insistit Drelincurtius, repetitque, nec Apostolum Paulum *Epistola ad Corinth.* nec Joannem *in Apocalypsi Paradisi* nomen hoc sensu accepisse, sed pro superna beatorum Sede. Sit ita plane, ut libet, ut lubet. Quid inde tibi fas est colligere? Nonne quemadmodum *Paradisi* nomen a propria, & nativa *amœnissimi horti*

(*a*) Apud Clericum T. 1. Biblioth. *Selectæ*. Idem Windetus rem eamdem probat, adductis pluribus textibus, in quibus vox Græca *Adis*, nedum pro Damnatorum carcere, sed etiam pro loco felicitatis animarum sumitur, concluditque: *Unde apparet recte dici potuisse animam Christi fuisse in hade, dum corpus erat in Sepulcro, simulque in Paradiso: quoniam hades nedum infelicium, sed etiam felicium animarum statum complectitur.*

significatione ad subterraneum felicem admodum locum denotandum translatum fuerat, ita potuit ad æternam Sanctorum beatissimam Sedem designandam traduci? Ita plane factum est & ab Apostolo, & a Joanne in productis locis, & plerumque deinde a sanctis Ecclesiæ Patribus, postquam ereptis animabus justis a Limbo, & reserata cælorum Janua, nullus alius locus superest plenæ felicitatis præter cælum. Ut quidpiam argumentum a Calvinianis propositum evinceret, opus ipsis saltem fuisset ostendere, non aliam Christi ætate *Paradisi* vocem apud Hebræos, aut Gentiles obtinuisse significationem, quam quæ postmodum ipsi accommodata est. Verum, cum id neque probent, neque probare valeant, inane, ac ludicrum argumentum ipsorum est, planeque huic alteri simile, quo quis probare contenderet ex voce *Magi*, qua appellantur ii, qui ad cunabula Christi adoraturi venerunt, fuisse homines maleficiis, incantationibus, aut Dæmonum artibus addictos, quod hujusmodi vox pluries in actibus Apostolorum ad hos significandos adhibeatur, & hoc sensu progressu temporis usurpari consueverit. Quibus omnibus attente perpensis, compertissimum est, ut quidem arbitror, argumentum hæreticorum ex Christi verbis ad latronem dictis depromptum, quod præfidentia oppido incredibili veluti peremptorium obtrudunt, inane, ac ridiculum spectrum esse, quod cordatum neminem movere queat, eo præsertim, quod ex parte altera, quam defendimus, tot confluant invictissima argumenta, quibus commentitia eorum opinatio funditus convellitur.



CA:

CAPUT X.

Scripturæ textus proferuntur, qui descensionem Christi ad Inferos evincunt juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ. Celebris in primis prophetia Davidis desumpta ex psalmo 15. explicata de Christo a S. Petro in Actibus Apostolorum, *exponitur. Argumentum, quod ex ea conficitur, peremptorium est. Conspiratio SS. Patrum in eadem expositione. Augustinus Calmetus notatus. Demonstratur, quam absona sit, & indigna homine Christiano interpretatio textus Apostolici adhibita a Novatoribus, ac præsertim a Joanne Clerico.*

Asserta jam, & a Novatorum molitionibus vindicata sententia de Piorum omnium a regno cælesti semota mansione ad usque Christi Redemptoris nostri adventum, plana nobis patescit via, ut præcipuum comprobemus Ecclesiæ Dogma, quod est præsentis disputationis caput, *de Christi ad Inferos descensu* Catholico sensu explicato, & ab ævo Apostolorum continenti successione recepto. Ut non semel dictum est, Calviniani in primis descensum hunc mordicus negant, contenduntque sanctissimam Christi animam corporeis vinculis exsolutam, non ad Inferos profectam, sed statim in cælum recta perrexisse. Lutherani vero descensum hunc admittunt quidem, tametsi perperam intellectum, sed ad Dæmones, cæterosque damnatos spiritus dumtaxat deterrendos, non autem ad liberandas Sanctorum animas in Limbo existentes, quem & ipsi cum Calvinianis nullum agnoscunt. Adversum igitur hos omnes, ac Calvinianos præsertim, Dogma hoc catholicæ Ecclesiæ defendendum suscipio: & primo quidem sacrarum litterarum authoritate, ac deinde Patrum omnium sæculorum constanti traditione.

Quoad primum itaque caput attinet, plura Scripturarum testimonia in hanc rem a Bellarmino proferuntur, atque ab aliis Theologis nostris, quæ tamen, cum alium sensum non incommode sustinere queant, aut non idonea prorsus mihi videantur, prætermittenda censeo, paucisque contentus ero, sed quæ virum non omnino præjudiciis impeditum permovere facile possunt. Ac primum illud propono celebratissimum ductum ex *Psalmo* 15. & applicationem ejusdem factam a S. Petro in *Actibus Apostolorum*. Psalmi verba hæc sunt juxta Vulgatam: *Propter hoc lætatum est cor meum; insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Verba hæc Davidica ad Christum esse referenda, ejusque descensum ad Inferos secundum animam, & mansionem in sepulcro secundum corpus, ex concione, quam habuit Sanctus Petrus ad Hebræos magno numero congregatos, relata *C.* 2. *Actuum* luculentissime patet. Sic enim dixit S. Apostolus de Christi morte, ejusque Resurrectione disserens: *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus suscitavit, solutis Inferni doloribus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum: providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de Resurrectione Christi: quia nec derelictus est in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus: Cujus omnes nos testes sumus.* Hactenus Apostolus Petrus.

Ex hoc divino textu clarissime liquet scopum divi Petri non aliud fuisse, quam probare, & ostendere Judæis, quos alloquebatur, Christi resurrectionem jam a Davide prædictam illis verbis: *Quoniam non derelinques &c.* Aperte quippe testatur: *Providens locutus est de resurrectione Christi:* Resurrectio porro perficitur reunione animæ ad corpus: quemadmodum enim moritur aliquis, dum a corpore anima separatur, ita resurgit, cum iterum corpori conjungitur. Propterea utrumque Apostolus complexus est in laudatis verbis, & utrumque declarat ex prophetica prædictione, & illud scilicet, quod animam spectat, quæ post separationem a corpore, ad Infernum quidem, ut cæteræ, demigraverat, sed ibidem diu derelicta non est, cum dicit: *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno*, & illud quod ad corpus pertinet, quod ab anima divulsum passum non fuerit *in sepulcro*, cui demandatum est, *corruptionem*, ob animam eidem iterum die tertia conjunctam, atque adeo ob resurrectionem.

Hæc sola expositio plana, atque nativa Apostolici textus satis esse deberet cuilibet invictis præjudiciis expedito ad veritatem catholici dogmatis dignoscendam. Nihilominus, ut ea splendidius eluceat, præcipuas textus periochas paululum consideremus. Primo ergo pronunciat S. Petrus, *Deum suscitasse filium suum, quem iniquorum manus interemerant, solutis Inferni doloribus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. In textu græco loco ᾄδου, sive Inferni*, habetur θανάτου, scilicet *mortis*. Sed genuinam esse Vulgatæ lectionem, & in primigenio textu græco fuisse ᾄδου, efficacissime evincitur, tum quia ita legerunt primi Ecclesiæ Patres, Polycarpus initio *Epist. suæ ad Philip.* Irenæus *lib. 3. Cap. 12.* Theophilus Alexandrinus *3. Pasc.* Cyprianus *Serm. de cœna Dom.* aliique frequentius: tum quia vocabulum istud aptius cohæret cum verbis psalmi, quæ mox recitantur ab Apostolo. Porro verba hæc dupliciter intelligi possunt juxta sanctum Augustinum (*a*), & alios: nimirum primum *Dolores Inferni* hoc in loco significare, non pœnas, quas ibi Christus Jesus passus fuerit, (quæ monstrosa est, ac blasphema Calvini imaginatio) sed illas, a quibus ipse præservatus fuit: *Quemadmodum*, inquit S. Doctor, *solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Secundo ut de doloribus accipiantur, non a quibus Christus liberatus esset, sed de illis, *quibus teneri ipse non poterat*, quibusque alii tenebantur, ii nempe, qui ad supplicia sempiterna damnati non fuerant, vel etiam Patriarcharum, ac Sanctorum animæ, quæ tametsi, ut animadvertit Vener. Beda, in pace quiescerent, atque æternæ felicitatis, quam præstolabantur, suavissima spe fruerentur, minime quidem aliquo veluti dolore carebant, qui comes semper accedit privationi boni illius, quod summis votis concupiscimus. Utraque explicatio probatur etiam ab Angelico Doctore, & ab aliis frequentissime.

Pergit oratione sua Sanctus Petrus, utque ostendat Hebræis jam pridem a Davide prædictam fuisse Christi Domini resurrectionem, assumit verba laudati psalmi: *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* Quæ verba juxta obviam, & germanam significationem, non aliud exprimunt, nisi *Non permittes, ut anima mea jam a corpore per mortem sejuncta, & aliarum more descendens in Infernum, diu ibi permaneat: neque corpus meum, quod sepulcro clauditur, ibi contabescat, & corrumpatur; sed utrumque eripies, animam quidem ex Inferno, corpus vero incorruptum, & ipsa anima iterum vivificatum ex sepulcro.* Quæ κατὰ γράμμα de Christo prænunciata fuisse, non autem de Davide, qui ea verba protulit, Apostolus subinde probat ex eo, quod Davidis sepulcrum extaret adhuc penes ipsos Hebræos, ejusque cineres, in quos resolutum corpus erat, in eodem asservarentur. Igitur subdit, *Providens* (David) *non de sua*,

(*a*) Epist. olim 95. & lib. 12. de Gen. ad Lit.

sua, *sed de resurrectione Christi locutus est*: *quia neque derelictus est in Inferno*, *nec caro ejus vidit corruptionem*. Quum dicit ipsum Christum non derelictum in Inferno, metonymice loquitur, ac intelligit potiorem ejus portionem, videlicet *animam*: quod evidens est tum ex verbis psalmi præmissi, tum ex textu græco clarius hoc exprimente, *neque derelicta est anima ejus in Inferno* ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, *nec caro ejus vidit corruptionem*. Ubi aperte liquet animam a carne, sive a corpore distingui, & utrique parti, per mortem separatæ peculiarem locum assignari, priori quidem *Infernum*, posteriori vero *sepulcrum*.

Adeo splendidum visum est, & merito tissime quidem, hocce testimonium Sancto Augustino, ut propter ipsum maxime scribere non dubitarit, solum infidelem, qui nullo loco habet Scripturarum authoritatem, negare posse Christi ad Inferos descensionem. En ejus verba, quæ leguntur in *Epist. nunc 164. ad Evodium*: „ Dominum quidem carne mortificatum venisse in Infernum, „ satis constat; neque enim contradici „ potest vel prophetiæ, quæ dixit: „ *Quoniam non derelinques animam meam* „ *in Inferno*, quod ne aliter quisquam „ sapere auderet, in *Actibus Apostolorum* idem Petrus exponit: vel ejusdem Petri illis verbis, quibus eum „ asserit *solvisse Inferni dolores*, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis „ ergo, nisi *Infidelis*, negaverit fuisse „ apud Inferos Christum „? Quare Augustino judice *Infideles* dicendi sunt omnes Calviniani, qui tam perspicuam veritatem verbis illis luculenter assertam negare audent.

Augustino succinunt cæteri quique Patres tum Græci, tum Latini, qui verba eadem haud aliter exponi posse censuerunt, iisque probant, confirmantque unanimi consensione, quam semper tenuerunt de Christi ad Inferos descensu, Ecclesiæ doctrinam. Nonnullos afferre lubet, ut pudore saltem suffundantur male feriati homines, dum vident, quam longe a Patribus nostris in Scripturarum interpretatione ipsi discedant, & quanta audacia plane incredibili plures eorum, ac præsertim Drelincurtius traducant nos veluti Scripturæ depravatores, aut perversos Interpretes. Origenes *hom. 2. in libros Regum* ita scribit. „ Nonne illuc (apud Inferos Christus) pervenit? Nonne verum est, „ quod in psalmis dicitur, & ab Apostolis in *Actibus* interpretatur Salvatorem ad Inferos descendisse? Quod „ in psalmo 15. legitur, ad ipsum referri scriptum est: *Non derelinques* „ *animam meam in Inferno*, *nec dabis* „ *justum tuum videre corruptionem* „. Eadem habet in psal. 48. & in Matth. S. Cyprianus inquiens: „ Quod (Christus) a morte non vinceretur, nec „ apud Inferos remansurus esset (legimus) in psal. 29. *Domine reduxisti* „ *ab Inferno animam meam*. Item in „ psalm. 15. *Non derelinques animam* „ *meam apud Inferos*, *nec dabis sanctum* „ *tuum videre corruptionem*. „

Lactantius *lib. 4. inst. n. 19. pag.* 476. edit. Valchii: „ Illum autem „ (Christum) apud Inferos non remansurum, sed die tertio resurrecturum „ Prophetæ cecinerunt: David in Psalmo 15. *Non derelinques animam meam* „ *apud Inferos*, *nec dabis sanctum tuum* „ *videre interitum*. Oseas quoque de „ Resurrectione ejus testificatus est „. S. Philastrius *hæres. 69.* eorum nempe, qui dicebant Christum veram animam non habuisse, inter alia testimonia, queis errorem hunc confutat, utitur præsenti Apostoli Petri, inquiens: „ Et Apostolus Petrus de Salvatore testatus est dicens: *hujus anima non* „ *derelicta est in Inferno*, *nec caro ejus* „ *vidit corruptionem* „.

Præclarum est testimonium, quod habetur apud Theophilum Alexandrinum (*a*) ita loquentem: „ Salvator tollens „ animam, & separans a corpore suæ „ tempore passionis, rursus eam in resurrectione suscepit: & multo ante- „ quam

(*a*) Epist. inter Hieronymianas 98. edit. Veron.

„ quam id faceret, loquebatur in psalmo: *Non derelinques animam meam in Inferno: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Nec credibile est, quod ad Inferos caro ejus descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, Inferis apparuerit, sed quod corpus ejus positum in sepulcro: & ipse nec de corpore, & sapientia carnis, nec de divinitate sua dixerit: *Non derelinques animam meam in Inferno*; sed vere de nostræ naturæ anima, ut perfectam, & rationalem, & intelligibilem, atque sensibilem ad Inferos animam descendisse, monstraret „. Quibus nedum Calvinistarum, sed etiam Lutheranorum errorem longe antea refutavit.

Suffragatur S. Epiphanius *lib. 2. adversus hæres. n. 64.* his verbis: „ Triduo corpus (Christi) in sepulcro jacere debuit, ut illud vaticinium impleretur, *& factus sum inter mortuos liber: & projecerunt me dilectum tamquam cadaver abominandum*. Tum illud: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ut sub Sancti nomine corpus exprimat, animamque doceat, ne apud Inferos quidem destitutam, in qua cum in illo loco detineretur, Dei verbum inerat, ut quod ab Apostolis dictum est, re ipsa perficeretur: *Impossibile enim erat detineri illum ab Inferis*. Quid est, quod impossibile fuisse narrat, nisi quod & mors, & Inferi illius animam detinere studerent: fieri tamen ob divinitatem non potuit, ut ab illis coerceretur? „ Clarius adhuc idem asserit in *Ancorato* n. 34. contra Lucianistas: „ Quod autem carnem pariter, & animam habuerit Verbum, tum veteris, tum novi Testamenti persuadeat illis authoritas: Etenim David de ipso ita pronunciat, cui & Petrus adstipulatur: *Non relinques animam meam in Inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem* . . . . . Addit vero Petrus: *Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, hoc est ab Inferno. „

S. Athanasius *lib. de salut. ad Christ.* Corpus Christi in sepulcro positum fuisse scribit, animam ad Inferos abiisse, nec ab utroque divulsam esse divinitatem, atque huc pertinere illud Psalmi 15. *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ex quo ita colligit: „ Propterea in anima quidem Dei mortis dominatio solvebatur, & ab Inferis resurrectio fiebat, ac nunciabatur animabus. In Christi vero corpore corruptela delebatur, & incorruptibilitas ostendebatur e sepulcro „. Tum postea: „ Ex Inferis quidem animam, ex sepulcro vero corpus exhibens, ut in morte destrueret mortem, per exhibitionem animæ: In sepulcro vero corruptelam extingueret in corporis sepultura: Ex Inferis, & sepulcro immortalitatem, & incorruptionem ostendens „.

S. Gregorius Nyssenus lib. 1. con. Eunom. declarans Christum Dominum, sicut verum corpus, ita veram habuisse animam, quæ a corpore separata per mortem est, assumit textum Apostoli Petri *act.* 2. in quo recitantur verba Psalmi: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis, &c.* & ex communi catholicorum sensu ea intelligit de Christi anima, quæ ab Inferis erepta est, nec diu illic passa consistere. Quare, ut sapiens Petavii observatio est, quæ etiam ad alios Patres extendi debet, cum descensionem illam ad Inferos animæ Christi Davidis, & Petri authoritate firmatam, ad id probandum Nyssenus assumat, ut, quod in controversia erat catholicos inter, atque hæreticos adstruat, *veram animam in Christo fuisse*: consequens plane est prius illud Christianorum omnium assertione constitisse, ac pro certo, confessoque habitum ab universis. Oportet siquidem ex notioribus, & omnium confessione certis argumenta proficisci. Igitur neque de Inferis ab anima Christi aditis, neque de communi Christianorum interpretatione locorum psalmi, & Actuum, dubitatum est per illud tempus, de quo litem nobis hodie movere ausi sunt Novatores. Sed Patres alios persequamur eodem pacto explicantes, ac intelligentes

tes Apostoli, & Davidis testimonium.

S. Cyrillus Alexandrinus in Dialogo de Incarn. ex Apostoli Petri mente sic ejus verba declarat, ut neque anima Christi in Inferis relicta fuerit; nec caro ejus in sepulcro corrupta. „ Nam „ anima, inquit, divinam conjunctio- „ nem, & unionem cum verbo sortita, „ ad Inferos quidem descendit, & divi- „ na potentia, facultateque utens, spi- „ ritibus, qui illic erant, apparuit, „ &c. „

Leontius Bizantinus *lib.* 2. *cont. Nestorium, & Eutyc.* ex hoc eodem Actorum loco Christi animam apud Inferos fuisse docet, sed non illic mansisse; idemque adstruit ex Athanasio *lib.* 2. *cont. Apollin.* S. Gaudentius Brixiensis *Tract.* 10. hæc habet: „ Quoniam Dei „ operosa quies est, ipsa requies non „ operosa esse non potuit, nam corpo- „ re in sepulcro seposito divinitas cum „ anima hominis ad Inferna descendens, „ vocavit de locis suis animas Sancto- „ rum . . . Descendisse autem Salvatoris „ animam ad Inferos visitandos, non „ solum B. Petri Epistola, verum et- „ iam B. Davidis prophetia testatur, „ cum dixit: *Quoniam non derelinques* „ *animam meam in Inferno,* &c. „ Rufinus in expos. Symb. „ quod in Infer- „ num Cristus descendit, evidenter præ- „ nunciatur in psalmis . . . . Sed & „ ipse Dominus per Prophetam dicit „ tamquam de futuro: *Quia non dere-* „ *linques animam meam in Inferno, nec* „ *dabis Sanctum tuum videre corruptio-* „ *nem*. „

S. Ambrosius de interpel. Job. C. 8. „ Audito quid locutus esset in eo Deus, „ & cognito per Spiritum Sanctum, „ quod filius Dei non solum veniret in „ terram, sed etiam descensurus esset ad „ Inferos, ut mortuos resuscitaret, con- „ versus ad Dominum, ait: *Utinam in* „ *Inferno me conservares . . . . . Abys-* „ *sus dicit, non est in me*: quia ipse „ Dominus dixit: *Non derelinques ani-* „ *mam meam in Inferno*. „

S. Hieronymus in Cap. primum Jonæ ad illud, *De ventre Inferi clamavi*, scribit: „ Ventrem Inferi alvum ceti „ intelligamus, quæ tantæ fuit magni- „ tudinis, ut instar obtineret Inferni. „ Sed melius ad personam Christi re- „ ferri potest, qui sub nomine David „ cantat in Psalmo: *Non derelinques* „ *animam meam in Inferno, nec dabis* „ *Sanctum tuum videre corruptionem*, „ quia fuit in Inferno vivens inter mor- „ tuos liber. „

Theodoretus *in psal.* 15. hunc eumdem Davidis versiculum explicans, ait: „ Hæc supervacaneum est nos explica- „ re: cum B. Petrus horum olim ver- „ borum interpretationem dixerit. . . . „ *Neque anima mea in Inferno derelin-* „ *quetur, nec caro mea corruptionem na-* „ *turæ congruentem videbit*. „

S. Fulgentius *lib.* 3. *ad Trasim. C.* 31. relato testimonio Psalmi: *Quoniam non derelinques*, &c. inquit: „ Ibi B. Pe- „ trus divino vere spiritu illuminatus, „ qualiter hunc locum intelligere debe- „ remus, clarissima luce prædicationis „ ostendit ne quis in Christo veram „ carnem sic intelligeret, ut veram in „ illo animam denegaret. Sequitur ergo: „ *Viri fratres liceat audenter dicere*: „ *quoniam neque derelicta est anima ejus* „ *in Inferno, neque caro ejus vidit cor-* „ *ruptionem*. In hoc igitur divinitas „ Christi virtutem suæ impassibilitatis „ ostendit, quæ ubique semper, atque „ ineffabiliter præsens, & secundum a- „ nimam suam in Inferno, & secun- „ dum carnem suam in sepulcro sine „ corruptione jacuit „: quod & repetit fusius C. 34.

A reliquis Patribus, sicut & Scripturæ expositoribus, atque Theologis afferendis abstineo: Illudque solum placet advertere neminem esse inter veteres Ecclesiæ Patres, qui alio in sensu tum psalmi, tum Petri Apostoli verba interpretatus fuerit, insuper & catholicos scriptores, & Theologos concordi suffragio hanc interpretationem probasse, nec ullum saltem ex antiquioribus reperiri, qui aliter ea commode intelligi posse censuerit. Quapropter, si juxta Decretum Concilii Tridentini, Sacram Scripturam præsertim in rebus Fidei interpretari nefas est contra unanimem Patrum consensum, censura profecto di-

gni

gni sunt omnes, qui citatos textus in alios sensus detorquere non metuunt. Hinc caute legendus est Augustinus Calmetus, qui in expositione prophetici textus prius obiter refert communem inter catholicos interpretationem. Sed deinde (ut advertere quoque licuit in aliis nonnullis) concedit in interpretationem hæreticorum: sic enim subdit: „ Vel simpliciter *anima ejus*, ille ipse, „ corpus ipsius, quod illum repræsen„ tabat, & quod vocabatur adhuc Je„ sus Christus, licet non esset, uti an„ tea, animatum, positum fuit in In„ ferno, *in tumulo*: neque illic Deus „ reliquit, sed inde per resurrectionem „ illud eduxit „. Ac statim: „ Sensus „ hic magis accedit ad litteram. He„ braice *anima* dicitur non solum de „ homine vivente, sed etiam de mor„ tuo „: profertque in confirmationem aliquos textus Genesis; eademque repetit in expositione *C. 2. Actuum*. Sensus iste purus ille putusque est, ut mox constabit, quem laudatis verbis affingunt Calviniani, ut argumentum eludant, quod inde catholici conficiunt, longe sane diversus a sensu, quem illis continenter tribuerunt omnes Ecclesiæ Patres, qui agnoscunt in ipsis duplicem partem designatam, *animam* scilicet, & *corpus*; atque hoc quidem in sepulcro conditum fuisse, illam ad Inferos profectam esse, disertissime affirmant. Mirari tamen minime debemus, hæreticorum explicationem exscripsisse Calmetum. Cum enim in Commentariis suis plerumque fuerit usus, ut experientia comperi, scriptoribus Heterodoxis, Grotio, Hammondo, Drusio, Clerico, & aliis, qui in *Criticis sacris* collecti sunt, non raro per incogitantiam erroneas, aut male sanas eorumdem interpretationes nullo delectu in spissum opus suum intexuit (*a*).

Quid igitur reponere solent hæretici nostrates testimonio psalmi ab Apostolo Petro tam luculenter exposito: aut quo pacto ejus vim, qua opprimuntur, effugere conantur? Inter primos, qui occurrunt, est Theodorus Beza, qui in latina sua Scripturæ versione veritus non est sic locum Propheticum interpretari. *Non derelinques cadaver meum in sepulcro*, quasi vox *Nephesc* Hebraice, & ψυχὴ græce pro *corpore*, & *cadavere* sumenda sit, & *Sceol*, & *Adis* pro *sepulcro*. Sed hæc expositio risu, & conviciis etiam plurium Sectariorum suorum excepta est, quam in aliis deinceps editionibus, mutato consilio, emendavit. Nihilominus non defuere, qui illam nuperrime quoque ferme amplecterentur. Quos inter Joannes Clericus sub nomine *Thereponi* in notis ad *Epist. 164. alias 9.* S. Augustini, ubi Sanctum Doctorem carpit, quod scripserit ob psalmi, & Apostoli Petri sententiam, *neminem, nisi infidelem negare posse, fuisse apud Inferos Christum*, statuitque non alium esse verborum illorum sensum, nisi *Deum non passurum, ut Christus in sepulcro diu jaceret, & corrumperetur*. Sed non hæc pariter risu est excipienda, atque contemnenda interpretatio?

Pauca nihilo secius adversus illum delibemus, præter ea, quæ alibi dicta sunt, ex

---

(*a*) Hujusce incogitantiæ en aliud argumentum ex iis, quæ scribit *in Dictionario* de hac ipsa re, verbo *Infernus*. *Infernus*, inquit, hebraice Sceol. *Hoc nomine Scriptura sæpe sepulcrum nominat, in quo defunctorum corpora requiescunt*. Et hujusce significationis hæc e vestigio exempla profert: *Mortis filii sui Josephi dolore confectum, se in Inferna abiturum Jacob ingemuit. Core, Dathan, & Abiron subito terræ hiatu viventes absorpti sunt*, idest viventes *sepulti*. *Non derelinques animam meam in Inferno*, ait *Psalmista*, nempe non *sines corpus meum putrescere in sepulcro*. Hæc ille: ubi nemo non videt quam perperam his locis probetur vocem *Sceol* significare *sepulcrum, in quo mortuorum corpora requiescunt*. Sed perge & amplius miraberis: paulo post Calmetus idem hujus interpretationis oblitus scribit: *Postremo infernus eum locum designat, in quo animæ Sanctorum Christi adventum opperientes detinebantur, & quo post Domini resurrectionem exiere: Ad quos Inferos attinet illud: non derelinques animam meam in Inferno, &c.* Ecce tibi textus idem pro utraque nominis Sceol litterali, ac propria significatione adstruenda allatus, adeo ut si Calmetum audimus, *Non derelinques animam meam in Inferno* simul significet, *non sines corpus meum putrescere in sepulcro: & non permittes animam meam in Limbo Patrum detineri*. Quid absurdius?


ex Ludovico Antonio Muratorio *lib. 3. de Moder. Ingen. c. 9.* unicum quippe hæreticorum perfugium est, ad quod se recipiunt. In primis quod attinet ad voces *Sceol*, & *Adis*, jam luce clarius ostendimus, etiam doctiorum inter hæreticos authoritate, proprie non significare *sepulcrum*, sed locum intra terræ viscera profundum, sumlque frequenter pro animarum vita functarum receptaculis: Hebraicum quoque Nepsech, & Græcum ψυχὴν, non denotare nativa sua notione *cadaver*, aut corpus, sed *animam*. Verum etsi largiremur aliquando in Scripturis aliter usurpari, nonne juxta regulas sanæ criticæ, & hermeneuticæ sensus ille in aliqua propositione genuinus præsumi debet, qui usitatior est, atque frequentior, dum nihil est, quod aliter interpretari compellat; quemadmodum nihil esse in textibus Prophetæ, & Apostoli exploratissimum est? Atque hæc animadversio eo firmior, ac validior existimanda, quod in hunc catholicorum sensum conspirent omnes antiqui Patres, Justinus, Irenæus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Athanasius, & cæteri jam recensiti, quin ullus aliter exposuerit. „ Tanta, tamque vetusta, inquit „ laudatus Muratorius, Patrum, & „ Christianorum traditio, non id solum roboris habet, ut catholicorum „ quemlibet suæ professionis conscium „ ita sentire jam cogat, sed ipsos etiam traditionis, & vetustatis nuperos contemptores impudentiæ, ac temeritatis arguit, quod aliter audeant „ affirmare. Nam cum inter Novatores „ sincerissimi fateantur significationem „ vocis *Sceol* ambiguam esse (immo „ nullo modo proprie significare *sepulcrum*, in quo cadavera conduntur) „ & designari per illam statum quoque, & sedes spirituum humanorum „ post corporis mortem; certe nullam „ ipsi afferunt urgentem rationem, „ quare in *Psalmo* 15. vox illa significare non possit id, quod Ecclesia Catholica omnium temporum censuit. „ Rursum cum apud omnes æquos rerum æstimatores verisimile sit antiquissimos Ecclesiæ Patres eam non suo „ marte procudisse opinionem, sed exposuisse qualem ab aliis majoribus, „ atque adeo ab ipsis Apostolis veluti „ per manus acceperant; quis non videat potiori jure antiquis illis textibus rem adeo diserte affirmantibus, „ quam novitiis hisce criticis sine ratione valida negantibus, habendam „ esse fidem? Accedit quod ex iis etiam „ vetustis Scriptoribus tres saltem hebræam calluere linguam, Origenes, „ Hieronymus, & Epiphanius, & cum „ sui æqualibus Rabbinis versati, notionem vocis *Sceol* ignorasse censendi „ non sunt. In re autem a nostris temporibus adeo remota, quum de notione vocis agatur, quæ ab hominum „ usu, & arbitrio pendet, exigit prudentia, ut vetustioribus potius eruditis, quam recentioribus credamus „. De hac re consulantur ea, quæ in *secunda parte C. 3.* de voce *Sceol* fuse a nobis notata sunt.

Sed rem conficit omnem, omnemque depellit dubietatis nebulam, ipsa sancti Lucæ narratio, qui sic psalmi textum exposuit. *Quoniam non derelinques animam meam in Inferno:* ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου: *neque dabis*, &c. Psichin *animam*, adin vero *Inferos* significare, adeo compertum est apud omnes, qui linguam Græcam vel labiis primoribus attigerunt, ut non refelli, sed derideri debeant, qui aliter interpretari ausint, nosque rem hanc citato loco *c. 4.* clara in luce posuimus. Quapropter, subdit laudatus author, „ qui in eo psalmi loco vocem *Sceol* „ pro *sepulcro* proterve accipiunt, nihil minus facere mihi videntur, quam „ Lucam scriptorem divino afflatu procul dubio plenum ignorantiæ, atque „ inconsiderantiæ arguere, suamque criticam eruditionem, scientiæ, ac judicio Apostolorum præponere. Aut „ enim perspecta Lucæ non fuit notio „ vocabuli *Sceol*, & *hades*: & tunc ex „ opinione Novatorum consequitur hic „ suam eruditionem, & scientiam, immo divinum Spiritum defecisse: Siquidem si istis credimus, *Sceol sepulcrum* tantummodo significat; *Hades* „ vero, ut nos statuimus, pro *Inferis*

„ perpetuo linguæ græcæ usu accipitur. „ Sin autem Lucas novit *Sceol* significare *sepulcrum*, quomodo ab inconsiderantiæ nota liberari vir θεόπνευστος, theopneustos potest, qui cum facile per dictionem græcam τάφος, hoc est, „ *sepulcrum*, aut per alias græcis usitatas voces reddere posset Hebraicum „ Sceol, tamen voluit usurpare vocem „ *Adis*, quæ rem aliam a Sepulcro designat? Nonne hoc erat certissimum „ errandi fundamentum præbere græcis „ lectoribus, qui hebraica ignorantes „ vocem *Hades* pro suo more interpretaturi fuissent? Quod si Patres in ea „ interpretatione errarunt (uti Novatores affirmare audent) nonne in Lucam resilit culpa, qui aliis tam facile poterat, debebatque sese explicare verbis, dum græcos homines erudiendos susceperat? „

Hisce animadversionibus cuilibet satis perviis quid reponendum existimavit Clericus? Audi: Græcos Interpretes, qui Septuaginta dicuntur, *tum in hoc, tum in aliis se se Gentilibus attemperasse, & Lucam versioni græcæ adsuetum, & in Græcorum gratiam scribentem, adhibuisse locutiones Septuaginta Interpretum*. At vero quam absona sit, quamque indigna homine Christiano hujusmodi responsio quis statim non intelligit? Namque si Septuaginta Interpretum versio in eo Psalmi loco infidelis erat, nec Hebraico Textui consentanea, eamque nihilominus S. Lucas secutus est; nullam hic amplius fidem, venerationemque meretur, qui falsam, & ineptam interpretationem obtrudit, certamque erroris ansam nobis præbuit, adeoque nec canonicus ejus liber dicendus erit, nec Spiritus Sancti afflatu conscriptus. Impossibile quippe est errorem inspirare Deum, aut falsi quidpiam proponere. Non hic Græcam Septuaginta versionem in omnibus tueri est animus: verum in hoc Textu recte expressisse vim hebraici vocabuli, Sancti Lucæ, qui interpretationem illam hoc loco adhibuit, & adhibendo probavit, authoritas omnino convincere debet, nedum Christianum hominem, sed quemlibet alium a studio partium alienum. Cum enim nemo jure aliquo asserere valeat tum Apostolum Petrum, tum Actuum Apostolorum scriptorem Sanctum Lucam, hebraicæ, & græcæ Linguæ vim, & potestatem ignorasse, aut studio decipere alios voluisse, quod plane neque potuissent, cum inter illos, quos alloquebantur, plurimi essent utriusque linguæ periti; illud consequens profecto est voces *Adis*, & *Psichis* ideo usurpasse in interpretatione Davidicæ sententiæ, quod illas optime nossent nativo hebraicæ linguæ sensui apprime respondere. Quod si etiam Clerico, cæterisque gregariis suis concederemus, quod tamen concedere neutiquam possumus, Sanctum Lucam assecutum non fuisse vim hebraicæ vocis *Sceol*, illud certe minime negaverint, saltem calluisse græcam linguam, nec ignorasse notionem vocum *Psichis*, & *Adis*. Hoc autem ad ipsos revincendos satis nobis est, satisque debet esse æquo cuilibet rerum Judici. Siquidem, cum Sacer Scriptor diserte pronunciet *Christi Animam non fuisse derelictam in Hade*, quæ verba non aliud plane sonant, nisi Christi Animam a corpore solutam ad Inferos demigrasse, illicque diu non permansisse, evidens omnino est Sanctum Lucam id credidisse, ac litteris, & memoriæ prodidisse, quod nos Catholici credimus, semperque credidit, docuitque universa Ecclesia. Quare adversarii nostri litem dumtaxat intentare possunt S. Lucæ circa germanam hebraicarum vocum notionem: sed illud in controversiam trahere nequeunt, num rem ipsam de qua disputamus, quam ille, si eos audimus, in eo Psalmi loco inutiliter quæsivit, aliunde certam habuerit, atque alte animo perceperit. Quandoquidem, nisi persuasus antea fuisset de veritate *descensus Animæ Christi ad Inferos*, ab ea locutione, sive interpretatione abstinuisset, quæ descensum hunc lectoribus aperte significabat, & persuadebat, semperque deinceps persuasit, ut ex Textibus SS. Patrum jam relatis, & Ecclesiæ Catholicæ doctrina manifestissimum est. „ Si ergo (cum laudato Authore concludamus) saltem constat Lucam de „ Christi ad Inferos descensu non du- „ bi-

„ bitasse; quid nos amplius de ea re „ dubitare pergimus? Hoc unum est, „ quod potissimum quærimus, & scire „ volumus, & hinc ediscimus. Hæc „ summa litis nostræ, num Lucas no„ verit, crediderit, atque tradiderit, A„ nimam Christi ad infera loca migras„ se? Id autem credidit S. Lucas„. Atque id credidisse, atque tradidisse clamant & verba ipsius, quæ nullum alium sensum congrue recipiunt, & perpetuus Sanctorum Patrum ita interpretantium consensus, & Catholicæ Ecclesiæ authoritas, quæ sensum hunc semper tenuit, ac docuit, ac demum etiam omnes aliæ Ecclesiæ schismaticæ, præter Calvinianam solam: nam & ipsi Lutherani hunc esse Apostolici Textus legitimum sensum (licet postea alio ex capite eumdem corrumpant) nobiscum sentiunt, Lutherum Magistrum suum secuti, qui *frivolas & impias nugas* appellat eorum huic repugnantem interpretationem, qua Christi ad Inferos descensionem negant.



CAPUT XI.

Aliæ Scripturarum Sententiæ in confirmationem Catholici Dogmatis proferuntur: Textus Apost. Pauli ex Cap. 4. Epist. *ad Ephesios. Legitimus ejus sensus Patrum interpretatione communitur. Bocharti ineptum commentum. Christi verba apud Matth. C.* 12. *de descensu Christi ad Inferos intelligenda. Exploduntur futilia Ministri Drelincurtii responsa. Textus Apostoli* ad Rom. 10. *productus. Pueriles deridentur ejusdem Ministri triumphi. Alia duo Scripturæ testimonia in Catholicæ veritatis præsidium adducta.*

PRæter jam expositum, & ab Hæreticorum cavillis vindicatum Psalmi, & Actuum Apostolorum textum, præsto sunt alia ad confirmandam Catholicam veritatem *de Christi ad Inferos descensu*, sacrarum Litterarum loca, quæ vicissim sibi dant, accipiuntque lucem, roburque invictissimum: atque inter potiora illud merito censetur, quod legimus in Epist. ad Ephes. C. 4. nempe: *Quod autem ascendit, quid est nisi qui & descendit primum in inferiores partes terræ τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia.* His verbis, ut nemo non videt, affirmat Apostolus descendisse Christum nedum in terram; aut superficiem terræ, ubi nos degimus, non in Sepulcrum paucis ulnis ab hac superficie discretum, sed in profunda terræ penetralia; neque enim aliter explicari congrue possunt græca verba: ex quibus sanctorum Spiritus, quos ad Philip. καταχθονίους, sive subterraneos vocat, eduxit, ac in Cælum subinde secum provexit.

Hunc porro esse proprium, atque nativum textus Apostolici sensum, præter ea, quæ alibi attulimus ex confessione sinceriorum inter Protestantes, constat ex SS. Patrum consensu, ; ex quibus unum, vel alterum audire non pigeat. S. Hieronymus in hunc locum ait: *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad Cælos victor abduceret.* Et in Cap. 1. Lucæ: *Vide magnitudinem Salvatoris . . . Ascende in Cælum, & vide quomodo cælestia repleverit. Descende cogitatione in Abyssos, & videbis eum etiam illuc descendisse: qui enim descendit, ipse est & qui ascendit, ut impleret omnia.*

Leporius Presbyter, qui ab Hæresi ad Fidem Christi opera Sancti Augustini conversus librum conscripsit *emendationis*, in quo fidei suæ professionem edidit, cui quidem libro subscripti leguntur Episcopi cum Augustino quinque, ut, quod in eo continetur, Affricanorum illorum Præsulum, & Augustini cum primis authoritati tribueretur, ille, inquam, præsentem doctrinam de Christi Carne in morte ab Anima separata, hujus vero ad Inferos descensione confirmat hoc ad Ephes. Apostoli testimonio, inquiens: *Tam Christus Filius Dei mortuus jacuit in Sepulcro, quam idem Christus Filius Dei ad Inferna descendit*, sicut Beatus Apostolus dicit ad Ephesios: *Ipse utique Dominus, ac Deus noster Jesus Christus unicus Dei, qui cum* anima ad Inferos *descendit, ipse cum anima & corpore ascendit in Cælum.*

Eodem usus fuerat antea testimonio Origenes (a) dicens: *Venit Servator quærere, & servare quod perierat, venit eos translaturus ad superna . : . . Quin etiam ipse est, qui descendit in inferiores partes terræ propter eos, qui erant in infimis partibus terræ . . . . Jam quasi differant inter se loca, quæ inferne sunt, superlative dicitur: posuerunt me in lacu infimo: & illud*, qui *descendit in infimas partes terræ, hic etiam est, qui* ascendit &c.

In

(a) T. 2. edit. Huetii p. 282.

In eumdem locum S. Primasius, & Theophylactus hæc habent: Et prior quidem: *Descendit* (Christus) *primum in Inferiores partes terræ: ergo sub terra est Infernus. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes Cælos, ut adimpleret omnia. Qui descendit cum anima ad Infernum, ipse cum anima, & corpore ascendit ad Cælos, ut adimpleret omnia.* Alter vero: *Quo autem descendit (Christus)? Ad Inferos. Hos enim infimas terræ partes appellat juxta COMMUNEM opinionem, & intellectum.* Et postea: *Descendit igitur ad infimas terræ partes, post quas non est aliud quid: & ascendit super omnia, ultra quæ non sunt alia.* Eodem modo hunc Textum exponunt Tertullianus, Hilarius, Eusebius, Ambrosius, Chrysostomus, aliique. Consulantur ea, quæ dicta sunt adversus Swindenium testimonium hoc perperam explicantem de adventu Christi in hunc mundum: ubi etiam Drusii animadversionem adduximus, Paulum dixisse *εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς*, non *τοῦ κόσμου*, ut dicere debuisset si de Christi Incarnatione loqueretur.

Samuel Bokartus loco cit. pag. 983.; cum sibi hunc Apostoli Textum objecisset, respondet de Christo Domino dici *descendisse εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς*, sive in inferiores partes terræ, eo sensu quo David formatus dicitur *psalmo 139. V. 15.*, in inferioribus terræ, hoc est in utero materno: quam etiam explicationem dederant Drelincurtius, & alii Hæretici interpretes.

Sed observa, & mirare perversam Novatorum arguendi rationem. Demus ipsis Davidica illius loci verba intelligenda esse, ut contendunt, de *utero Matris*, in quo Propheta formatus est; nunquid negaveris locutionem illam esse allegoricam, eamque in sacris Libris insolitam, adeo ut præter illum Textum nuspiam reperias in divinis Scripturis ea verba usurpata in hac tropica significatione? Si ex una Scripturæ locutione metaphorica V. Testamenti colligis Pauli verba explicanda esse de *utero Matris*, in quo formatus est Christus, cur non potius ex sexcentis aliis locutionibus, in quibus *inferiora terræ* proprie, & *κατὰ γράμμα* de internis terræ partibus accipiuntur, colligas etiam ita accipienda esse in laudato Apostoli Textu, præsertim cum nomen correlativum *Cælorum* eo loci positum ita accipere cogat? Nunquid enim asserere audebis etiam metaphorice locutum Apostolum, cum dixit: *Qui descendit* (in inferiores partes terræ) *ipse est, qui & ascendit super omnes Cælos?* Quod si nomen *Cælorum* litteraliter sumis, quare ita quoque sumendas negaveris *inferiores partes terræ*, quas illis opponit?

Apostoli Textui alium subnectimus ex Cap. 12. Evangelii Matth. ubi v. 40. ita Christus locutus est: *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: in corde terræ*, hoc est in imo terræ, sive intra terram, sicut cor est intra corpus hominis. Siquidem Christus in Cruce mortuus quoad Corpus positus fuit in Sepulcro, quoad animam vero descendit ad Infernum, qui intra terram delitescit: atque de hoc loco præsertim *cor terræ* esse sumendum, ex eo patet, quod sepulcrum vix differt, ac nec vix quidem aliquando differt a superficie terræ. Certe Christi Sepulcrum supra ipsam terram extitisse dicendum, erat enim monumentum excisum ex lapide supra, aut prope terram extante: unde *cor terræ* perperam appellari potest; præterquam quod nullum invenies in Scripturis *Sepulcrum*, cui nomen hoc etiam figurate tribuatur.

Atque hoc sensu dominica verba accepere Ecclesiæ Patres, quibus potius credendum, utpote in notione verborum Scripturæ peritioribus, quam neotericis quibusdam, qui nil aliud student amplius, quam præconceptis opinationibus suis aptare violenter Sacras Scripturas. Eusebius Cæsariensis in psal. 87. (a) ad illud, *Posuerunt me in lacu inferiori* hæc scribit: „ Loco illius *posuerunt*

(a) in nova Collect. Montfauc.

„ *runt me*, Aquila, *posuisti me*: Symmachus vero *statuisti me*, ediderunt: „ queis declarat (Christus) se ex nutu, & voluntate Patris non modo in „ mortem, in Infernum, & in memoratum lacum descendisse, sed etiam „ in profundissima, infima, & extrema, ut ita dicam, ibi posita loca: „ idipsumque in Evangeliis narrat his „ verbis: *Oportet filium hominis manere in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. n. 17. „ Hujuscemodi rerum „ testificationem quærentibus hanc nobis suppeditat Dominus Jesus in Evangeliis ajens: *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tres dies, & tres noctes; sic erit filius hominis in corde terræ* .... Ille projectus est in „ alvum Ceti: iste vero sponte descendit, ubi erat intelligibilis cœtus mortis. Sponte vero descendit, ut mors „ eos, quos absorbuerat, evomeret, „ juxta id, quod scriptum est: *De manu Inferi liberabo eos, & de manu mortis redimam eos*.

Tertullianus de anima loco alibi citato: „ Nobis Inferi non nuda cavositas &c. sed in fossa terræ, & in „ alto vastitas, & in ipsis visceribus „ ejus abstrusa profunditas: siquidem „ Christum in corde terræ triduum morte legimus expunctum, idest in recessu intimo,&interno,& in ipsa terra operto, & inferioribus adhuc abyssis superstructo „. S. Hieronymus in Cap. 2. Jonæ: *Quomodo cor animalis in medio est, ita Infernus in medio terræ*, &c. S. Maximus quæst. 64. in Script. „ Ipse Dominus noster, & „ Deus factus homo, atque in vitæ „ nostræ pelagum, velut e Joppe, Cælo veniens &c. qui proposito sibi „ gaudio sustinuit Crucem, confusione „ contempta, atque *in cor terræ*, ubi „ nos mortis interitu absorptos nequissimus carcere detinebat, sponte descendens, ac per Resurrectionem abstrahens „ &c. Hesichius in Jonam: „ Non erat in potestate Jonæ ut sponte resurgeret, sed Christus poterat „ sua sponte hoc facere, Quapropter „ Infernum, ad quod descendit, Christus *cor terræ* nuncupavit: hic autem „ Infernum vocavit ventrem Belluæ „. Similiter hoc sensu intelligunt Christi verba Irenæus *lib.* 5. circa finem, Nyssenus *Orat.* 1. *de Resurrect.*, Ambrosius in *Cap.* 4. ad *Ephes.* Anastasius Sinaita *lib.* 5. *de rectæ fidei dogmat.* aliique.

Lepida profecto sunt, quæ adversus hanc expositionem scribit Drelincurtius. Primum, ait, verba illa de Anima Christi haud posse intelligi, quam jam in manus Patris commendaverat, quasi ad Inferos victrix descendens in manibus Patris esse non potuerit. Addit Animam Christi in Inferis commorantem signum illud esse non potuisse, quod Christus Judæis pollicitus erat: perinde ac si de corpore posito in Sepulcro idem omnino dici non posset. Quod Christus promisit Hebræis, fuit signum prodigiosæ Resurrectionis suæ, quæ in reunione Animæ ad Corpus perfecta est: hæc autem est *signum Jonæ Prophetæ*, quoniam in facto Jonæ educti de ventre Ceti præfigurata fuit, ac reipsa prænunciata. Tandem in Catholicos opponentes *Sepulcrum* congrue vocari non posse *cor terræ*, altiores induens cothurnos, regerit illud Christi ad Sadducæos *Cap.* 22. Matth.: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Si assueti*, inquit, *essetis vos phrasibus, & locutionibus Spiritus Sancti, compertum vobis foret, cor alicujus rei non dici, quod in medio est, sed quod ex omni parte circumdatum est. Sic enim apud Ezechielem Tyrus sita dicitur* in corde maris, *cum tamen sit insula terræ proxima*. Omnia belle. Sed quis non videat hominem ita audacter loquentem, nobisque ignorantiam improperantem locutionum Divinæ Scripturæ, semet admodum ignarum prodere genuini sensus, quo accipienda est locutio Christi apud Matth. juxta locum, & usum, unde deducta est? Concedo itaque apud Ezechielem phrasem *in corde maris*, haud mathematice sumi pro *medio maris*: omitto, quod alibi, ut in *Psal.* 45., ubi legitur: *Non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor* ma-

maris; non possint hujusmodi verba apte explicari, nisi de profunditate maris. Textum dumtaxat appello Prophetæ Jonæ, cui Christus laudatis verbis alludit; dum pronunciat: *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti, sic erit filius hominis in corde terræ*. Cap. 2. Jonæ ita legimus Jonam orasse: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum: de ventre Inferi clamavi, & exaudisti vocem meam: Et projecisti me in profundum in corde maris: & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt, &c.* Nonne ex his verbis liquet, quam maxime *cor maris* sumi non pro superficie, aut situ superficiei proximo, sed pro profundo, & alto maris? Quod & evidentius constat ex verbis, quæ sequuntur, quibus Propheta calamitatem suam describens: *ad extrema*, inquit, *montium descendi: terræ vectes concluserunt me*. Si ergo comparatione hujusce loci, ad quem Jonas devenit, locutio sumpta est, quæ habetur apud Matth. *in corde terræ*, ad locum designandum, in quo Christus futurus erat; quis inficias iverit aptissime hic sumi *cor terræ* pro profundo Inferorum loco, quo post animæ a corpore discessum Christus profectus est, non vero pro *Sepulcro* vix paucis digitis a superficie distante, quod nonnisi violentia magna *cor terræ* nuncupari potest? Eat nunc Drelincurtius, & elatiore voce inclamet adversus Catholicos: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*.

Ad eamdem veritatem roborandam prætereundum non arbitror textum Apostoli Pauli in Epist. ad Rom. Cap. 10. ob inanem, ac puerilem triumphum, quem se Drelincurtius retulisse putat, ac jactat de Catholicis illum in rem hanc allegantibus. Verba Apostoli sunt: *Quæ ex Fide est, justitia sic dicit: ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in Cælum? idest Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? idest Christum a mortuis revocare*. Hæc verba non jam ex Catholicis quispiam, sed ex Protestantibus ira exponit Nicolaus Zegerus (*a*): „ Quis in ipsum conscendit Cælum, qui illinc Christus descendere „ faciat, nostris hisce exhibendum obtutibus ut tali in fide solidemur argumento? Aut quis ad Inferorum „ abyssum demissus est, qui Christum „ nobis illinc producat, probetque certo argumento captivis animis per ipsum redemptis gloriose resurrexisse? „ In eumdem modum locum hunc interpretantur Erasmus, Vatablus, cæterique ferme Expositores. Ex hac porro intelligentia Apostolici Textus argumentum Catholici ducunt pro descensu Christi ad Inferos adstruendo. Illis etenim verbis descensum hunc præsumere videtur Apostolus velut jam exploratum, ubi dicit, *quis descendit in abyssum, hoc est Christum a mortuis revocare?* Quæ verba denotant opus non esse ad firmandam veritatem fidei, ut iterum Christus ab Inferis revertens resurgat: atque adeo Christum jam antea ab Inferis emersisse pro certo habet S. Paulus.

Audiamus vero quid huic argumento reponat Drelincurtius. Miratur, vociferatur, exclamat, judicio quodam Dei factum esse, ut Catholici textum hunc in sui favorem producerent, quo ipsi potius revincuntur, & prosternuntur. Ut autem tantam patefaciat horum inscitiam, sive incogitantiam, assumit Deuteronomii textum cap. 30. 11. *Mandatum hoc &c. non supra te est, nec procul positum, nec in Cælo situm &c. sed juxta te est in ore tuo, & in corde tuo*. Deinde affert Apostoli verba, quæ sequuntur: *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum Fidei, quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod illum suscitaverit Deus a mortuis, salvus eris*. Atque ita subinde Catholicos alloquens „. Advertite, si „ placet, quod Apostolus opponit *Cælum*, quo Christus ascendit, abysso, „ unde resurrexit a mortuis. Ex quo „ sequitur hunc abyssum, unde Christus

(*a*) in Criticis Sacris.

„ stus surrexit, adeoque & Infernum, „ quo descendit, nihil aliud esse præter „ *Sepulchrum*, ubi positus est, & unde „ ereptus divina virtute.

En igitur totum argumentum, unde inaniter exultat Drelincurtius, ac de Catholicis se triumphum reportasse gloriatur. At quis non derideat Calvinianum Ministrum in futili triumpho suo? Quænam enim consequentia est: Apostolus opponit *Cælum*, quo Christus ascendit, *abysso*, unde resurrexit: ergo abyssus nihil est aliud, nisi Sepulcrum? Quin potius oppositum colligendum cuilibet sano capiti videbitur. Inepta siquidem est, & in divinis Scripturis prorsus inusitata oppositio Cæli cum Sepulcro, nec ullum extat in iisdem exemplum, in quo Sepulcrum, aut mortuorum tumulus *abyssi* nomine appelletur, ut sexcentis exemplis probare fas esset, & pluribus probavimus jam in secunda parte hujus Operis. Lubens admitto loqui Paulum de Christi Resurrectione; sed cum resurrectio, ut sæpe diximus, in reunione consistat partium duarum, Animæ, & Corporis, quarum illa præcipua est, abyssus, unde revocatus est Christus, non est *Sepulcrum*, quod est locus corporis, sed *Inferi*, in quibus triduo illo mortis commorata est Anima Christi, & ibi non derelicta. Atque ita *abyssum* hoc loco pro ima terræ parte accipiunt doctiores quique Interpretes, ex quibus uni tantum aures præbeat Novator noster, Eusebio scilicet Cæsariensi, qui in *Psal.* 70. ad illud *de abyssis terræ iterum reduxisti me*, ita scribit: „ *Abyssos terræ hic Inferorum regionem vocavit: quod Apostolus explicuit dicens*: ne dixeris, quis descendit in abyssum, idest Christum ex mortuis reducere?... *Qui porro hic ait*: & de abyssis terræ iterum reduxisti me, *clare docuit, se in abyssos terræ descendisse, ac rursus ascendisse. Nec scio, utrum quis valeat alio accidere modo, quam ad Servatorem, & Dominum nostrum referendo Prophetam*.

Insistit tamen adhuc Minister Calvinianus, aitque *abyssi* nomen rigide, ac stricte sumptum significare centrum terræ. Porro Limbus Patrum, ad quem Christi Anima descendit, juxta Catholicos *Centrum terræ* non est, sed locus altior a centro. Quid ineptius? *Abyssus* in sacris Libris, & in quibusvis Scriptoribus, sive Græcis, sive Latinis nunquam *Sepulcrum* denotat, sive tumulum cadaverum: sed neque proprie, & cum rigore *centrum terræ*, cum propria ejus significatio sit alicujus loci profundi in ipsa terra, atque eodem pacto sumitur ab Apostolo in verbis citatis. Nunquid *fontes abyssi magnæ*, qui in Genesi *rupti* dicuntur, erant in centro terræ? Nunquid in centro terræ *abyssus jacens deorsum*, quæ memoratur eodem libro; *Cap.* 49.: aut illa, de qua mentio fit Deuteron. *Cap.* 33., aliæque similes passim occurrentes?

Non levis quoque in rem nostram momenti judicanda est sententia, quæ legitur cap. 9. Zachariæ: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Loqui hic Sanctum Prophetam de Messia; sive de Christo Domino satis liquet ex verbis antecedentibus, quibus dicitur: *Exulta Sion &c. Quia ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator &c.* Sensus ergo proprius hujus Prophetiæ est, quem ita exponunt Interpretes. „ Tu quoque, „ o Messia, *in sanguine*, idest per sanguinem, sive merito, & pretio Sanguinis tui in Cruce effusi, quo Testamentum, seu fœdus tuum inter „ Deum, & homines de novo initum „ sancivisti, confirmasti, & quasi lytrum pro captis, ac vinctis filiis tuis „ dependisti; hujus, inquam, sanguinis „ tui merito, mox ut victor ad subjugatum Infernum descendisti, præruptis carceribus inde solutos, ac liberos eruisti, & emisisti vinctos omnes tuos, ac de arido lacu Inferorum, idest de Limbo Patrum, in quo „ aqua illa non erat fontis salientis in „ vitam æternam, tecum eduxisti in „ optatissimam a tot sæculis libertatem, „ gaudium, & gloriam „. Ita legunt juxta 70., & ita ferme interpretantur hunc textum Origenes, & Sanctus Hieronymus, qui nullam notat in Textu Hebraico varietatem, ita quoque S. Augustinus, Theodoretus, Cyrillus,

Græ-

Græci omnes cum latinis Patribus. Rabbini equidem recentiores cum Chaldæo mutatis, ut opinor, punctis pro *Scillachta*, idest *emisisti*, legunt *Scillachti*, idest *emisi*: sed exigua varietas est, & in idem sensus redit, ut Bellarminus, & a Lapide perspicue demonstrant.

Huc quoque revocatur ea sententia, quæ habetur in Epist. 1. Petri cap. 3. *Christus semel pro peccatis mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit &c.* Sed quoniam multa de hoc supra diximus, ut ejus sensum exponeremus; idcirco hic tantum aliquas proferemus de illa Patrum authoritates, quæ propius ad præsens attinent argumentum de Christi ad Inferos descensione, cui suffragatur in primis versio Siriaca, quæ hunc locum ita transtulit, *prædicavit animabus illis, quæ detinebantur in Inferno*. Quanta porro veneratione versio hæc Novi Testamenti digna sit, eruditis compertum est. Ejus antiquitatem ad usque Apostolorum ævum revocare quidam non dubitant: at certe vetustissima est; unde solidum ex ea fundamentum eruitur sic esse Petri verba accipienda, *de annunciatione* nempe *salutis a Christo facta animabus justis in Inferis, sive subterraneis sedibus degentibus*.

Origenes in Matth. T. 3. pag. 922. *Ipse* (Christus) *filium Dei se deridentibus quidem non ostendebat: ostendit autem credentibus sibi, postquam dispensavit ea, quæ oportebat eum dispensare in tribus illis diebus postquam descendit ad Inferos, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, spiritibus qui erant In carcere prædicavit &c.*

S. Hilarius in illud Psal. 118. *defecerunt &c.*, *dicentes, quando exhortaberis* (sive *consolaberis*) me, ait: scit (Propheta) *exhortationem hanc* (sive *consolationem*) *Sanctos quiescentes in Inferno desiderare: scit, testante Apostolo Petro, descendente in Inferna Domino, etiam his, qui in carcere erant, & increduli aliquando fuerunt in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse &c.*

Cyrillus Alexandrinus *de recta ad Deum Fide* ad Theod. hæc scribit: „ Christi Anima, quæ cum illo conjuncta, copulataque fuerat, non sua, „ sed divina virtute, potentiaque nixa „ ad Inferos descendit, Spiritibusque „ ibidem captivis se se exhibuit . . . . „ Atque huc Magnus ille Petrus respexisse videtur, cum de Dei Verbo, „ ejusdemque secundum dispensatoriam „ unionem, anima, hunc in modum „ concionatur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant*) *aliquando*, &c. „

Atque ita ferme de descensu Christi ad Inferos, ubi defunctorum Spiritus extitisse firmiter credidere, hunc Petri locum exposuerunt veteres Ecclesiæ Patres, Clemens Alexandrinus *lib. 6. Strom.* Athanasius Epist. ad Epit., & lib. *de Incarn.* Ambrosius in Cap. 10. ad *Rom.*, Rufinus in *exposit. Symboli*, Oecumenius in hunc locum, Anastasius Sinaita *in Odego q. 3.* apud Allatium, & alii: quin & recentiores doctissimi Interpretes nedum Catholici, sed etiam Protestantes in hoc sensu conveniunt, ex quorum postremis fusam memini me legisse de hoc loco Dissertationem a viro erudito editam, in qua rejectis suorum interpretationibus veluti ineptissimis, nullam verisimiliorem statuit, quam quæ a Catholicis frequentius tribuitur.

CAPUT XII.

Eadem veritas de Christi ad Inferos descensu perpetua, ac firma SS. Patrum, atque Ecclesiæ Scriptorum traditione comprobatur. Nonnulla de testimonio S. Thaddæi Christi Discipuli ab Eusebio producto. Tum vero a S. Ignatio Martyre series testimoniorum ad quintum usque Ecclesiæ Sæculum perducitur. Cætera indicantur. Quædam de sensu, ac fide aliarum Ecclesiarum, quæ a Catholica Romana sejunctæ sunt.

Anonymus Anglus Author *Historiæ Symboli Apostolici*, pluries a nobis laudatus admonendum putavit initio dissertationis suæ in articulum symboli, *descendit ad Inferos*, rectum hujusce sensum, atque intelligentiam petendam maxime esse ex primorum Ecclesiæ Patrum traditione. In eo dumtaxat culpandus hic Author est, quod nullum in allatis hactenus Scripturarum textibus pondus agnoscere videatur ad Catholicæ fidei doctrinam de hoc articulo comprobandam. Cæterum, dum ad Patrum, & traditionis Tribunal nos vocat, lubentes conditionem recipimus, ut Scripturæ testimoniis, quæ allegavimus, in ejusdem veritatis confirmationem, etiam Patrum authoritates adjungamus. Tot porro sunt in hanc rem, quæ conspirant Patrum, & Ecclesiæ testimonia, Catholico Dogmati apertissime faventia, ut dicere ausim vix esse aliud Catholicæ Fidei Dogma, quod tanta consensione doctrinæ receptum a Patribus, traditum. que nobis sit. Neque sane hoc a me nimium confidenter dictum arbitretur aliquis. Id namque antea animadvertit V. Cl. & in Patrum lectione, siquis alius, versatissimus Petavius, cujus verba, & effati sui fundamenta non displicebit audire. Sic itaque scribit ille *lib.* 13. *de Incarnat.* C. 18. „ Nulla „ professionis pars est Catholicæ; nul„ lus, ut vocant, articulus Fidei, quem „ crebrius, & constantius, ac plurium „ Patrum testificatione; comprobatum „ afferre possis. Certe, quod sciam, „ in Fidei regula, ejusque breviario, „ quod *Symbolum* vocant, reponi mini„ me consueverunt controversa, & non„ dum liquido definita capita, quæ „ Scholasticis altercationibus relicta in „ utramque partem agitantur. Cujusmo„ di illud non est, de quo modo agi„ tur: quod & in legitimo, ac popu„ lari Symbolo continetur, legitimo ve„ ro, quod lege quadam discendum o„ mnibus, ac veluti ordinarium tradi„ tur: quemadmodum *legitimam* appel„ lat Tertullianus *Dominicam Orationem*: „ Et in Athanasiano quoque publice, „ & passim canitur: & Synodorum, ac „ Romanorum Pontificum adstipulatio„ ne firmatur. Etenim in Lateranensi „ Concilio Generali, quod sub Inno„ centio III. Romæ celebratum est, in „ celeberrima illa Fidei professione, quæ „ *in Capite* 1. ponitur, & inter Decre„ tales principem locum obtinet; ille i„ pse Christi descensus ad Inferos ex„ primitur. Tum in Toletano 4. quod „ anno 633. habitum est, & latius, ac „ distinctius in Toletano 16. anni 693. „ celebrato, cujus hæc verba sunt: *Tar„ tara penetravit in anima, & Sancto„ rum animas, quas illic hostis vinctas „ tenebat, morsu potentiæ suæ exemit, „ ut prophetale vaticinium inquit*: o In„ ferne ero morsus tuus. Jam quod „ ad Romanos Pontifices spectat, præ„ ter Leonem primum, & Gregorium „ Magnum, quos suo loco recensui„ mus, Symmachus etiam Papa Chri„ stum post Passionem apud Inferos agno„ scit: nec non Hormisda Symmachi „ successor in *Epist.* 79. ad Justinum „ Imperatorem. Quocirca nemo nisi „ Christianæ institutionis rudis omnino „ nescire potest, certissimum id esse Fi„ dei Catholicæ decretum, quo Chri„ stum post mortem apud Inferos fuis„ se, jubemur credere „. Hæc ille, qui in hac quæstione tot alios Patrum textus congerit, quod & præstat Bellarminus cum aliis, ut nos plane a referendis illorum textibus supersedere debere-

beremus, & ad eos Lectores nostros remittere. Nihilominus, re melius considerata, visum mihi est non omnino præterire hoc, quod ex Ecclesiæ traditione sumitur, argumentum, & præter plurimos Patrum textus, quos jam attulimus in tribus nostræ Dissertationis partibus, maximeque in hac postrema, occasione aliarum quæstionum, quæ cum Catholico Dogmate connexæ sunt, atque implicatæ, nonnullas alias sententias huc corrivare, quas intactas reliquimus, easque solum desumptas ex prioribus Æræ Christianæ sæculis, ne in immensum excrescat oratio.

Et primum quidem fateor ancipitem me diu fuisse an orsa ducerem a vetustissimo quodam documento ab Eusebio producto *lib.* I. *hist. Cap. ultimo* ex Ecclesiæ Edessenæ actibus, ob frequentes lites, quæ de his moventur a quibusdam Criticis. Verum, cum illud vel ex ipsis Novatoribus nostris viri magni nominis ut legitimum fœtum exhibeant, atque defendant, silentio nolim obvolvere. Illud itaque iisdem verbis refero, quibus ex græco vertit Ernestus Grabius Anglus (a) nempe. *Thaddæus dixit: congrega mihi cives tuos, & verbum Dei coram illos prædicabo. . . . . Exponens de adventu Jesu Christi . . quo pacto semetipsum depresserit, mortemque subierit . . . . quot, & quanta a Judæis perpessus, qualiter crucifixus sit, & ad Inferos descenderit*, καὶ ἔσχισε φραγμὸν, *claustrumque ab omni ævo intactum disruperit: quo pacto resurrexerit, & mortuos, qui multis retro sæculis sepulti jacebant, secum una suscitaverit, utque solus quidem e cælo descenderit, ascenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad ejus dexteram honorifice sedeat in Cælo.*

In hocce textu disertum contineri de Christi ad Inferos descensione testimonium, res est extra aleam dubitationis posita. Dicitur quippe verbis conceptissimis *Christum ad Inferos descendisse*: tum ad majorem declarationem additur, *claustrum ab omni ævo intactum disrupisse*: quod profecto nonnisi de liberatione justorum ex Inferorum claustro intelleXeris. Refertur demum *Dei Filium solum quidem e Cælo descendisse; ascendisse vero ad Patrem cum maximo comitatu*, justarum utique animarum, quas ex Inferis in plenam revocaverat libertatem. Quæ omnia apprime consentiunt cum Catholica, quam modo propugnamus, doctrina.

Videndum igitur solum est, quantæ sit, aut censeri possit, ac debeat authoritatis, & ponderis hujusmodi testimonium. Certum in primis est apud omnes, nec ullum mihi reperire licuit, qui hoc in dubium revocaret, Edessena Acta, quæ profert Eusebius, ab ipso data opera non fuisse conficta, vereque ævo suo extitisse in Archivis Ecclesiæ Edessenæ. Nam præter Eusebii fidem, qui ea refert, testaturque se descripsisse ex veteribus Edessenorum Annalibus, & ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam transtulisse, S. Ephrem Syrus Edessenæ ejusdem Ecclesiæ Diaconus, qui tempore Magni Constantini floruit, & alii subinde cum ipso tamquam genuina laudarunt. Quare ex hoc testimonio illud ut minus sequitur, jam a primo, vel secundo saltem Sæculo æræ Christianæ, hanc in Ecclesia Edessena persuasionem viguisse de Christi ad Inferos descensu. Sed major huic documento accedit, aut accedere mihi videtur authoritas, si verborum illorum authorem consideremus. Si quidem in actis iisdem sententias illas prolatas fuisse perhibetur a S. Thaddæo, non Apostolo quidem, sed uno ex septuaginta duobus Christi Discipulis: & Eusebius vir oppido inter Scriptores veteres acerrimi judicii, eam ut ejusdem Sancti Discipuli doctrinam recipit, & absque hæsitantia ulla evulgat. Non me quidem latet Natalem Alexandrum, Dupinium, aliosque ex recentioribus contendere Eusebium in hoc fuisse deceptum, & supposititia acta pro authenticis recepisse: Sed argumenta, quæ promunt ipsi, non ea sunt, ni fallor ego, quæ prudentem hominem mo-

(a) In Spicilegio Patrum.

movere queant, ac, ut jam innui, inter ipsos heterodoxos non pauci sunt clarissimi viri, qui eadem acta vel reipsa recipiunt, vel facile tam venerandæ vetustatis monumenta repudianda non judicant. Guillelmus Cave *in Hist. Litt.* p. 1. hujusmodi acta genuina esse non abnuit, quin potius tribus argumentis, quæ apud ipsum legi possunt, valide confirmat. Cumque quidam ex amicis suis objecisset eidem, in Edessenis Actibus Thaddæum profiteri articulum *de descensu Christi ad Inferos*, qui talem antiquitatem haud sapere videtur, ita reposuit Cave: *Sententia de Christi εἰς τὸν ᾅδην descensu antiquissima videtur: serius in Symbolo articuli locum obtinuisse constat: dogma vero ipsum longe esse vetustius quid vetat? In ipsa enim propositione consentiunt omnes*, &c. *Quis nisi infidelis*, inquit Augustinus, *negaverit fuisse apud Inferos Christum*? &c. Addit quidem, *Epistolas, & Acta Edessena non paris apud ipsum esse authoritatis: acta namque post Christi demum ascensum confecta sunt, idque forsan a Notariis, qui rem, quam auditu acceperunt, parum accurate intelligebant*. At quis non videt nequaquam fieri potuisse, ut Notarii litteris commendarent Christi ad Inferos descensionem, nisi hoc dogma vel ab ipso Thaddæo, vel ab aliis Synchronis Christianis traditum accepissent?

Etiam Ernestus Grabius ut authentica agnoscit Edessena acta *in Spicilegio Patrum*, ubi tum citatum Cave laudat, tum opinionis ejusdem patronum Rev. Montecutium *T. 1. Orig. Ecclesiast.*, quos appellat *Anglicanæ Ecclesiæ clarissima lumina*. Et in notis omnia solvit argumenta, quæ contra authoritatem horum monumentorum opposuerant Natalis, & Dupinius. His addo in opere quodam Scriptoris vetustissimi *Coronæ* nomine nuper in lucem edito, nova fundamenta suppetere, queis eorundem actuum authentia admodum comprobatur. Integrum hoc opus mihi hactenus videre non licuit, sed laciniæ plures referuntur Tomo 194. *Diarii Litteratorum*, qui *Ultramontani* dicuntur, quem consulere quisque potest. Ex quibus omnibus fit, sin minus omnino certam, longe tamen probabiliorem esse authentiam talium actuum: atque adeo validum inde argumentum sumi asserendi veritatem descensus Christi ad Inferos ab ipsis Apostolis, & Christi Discipulis fuisse traditum. Sed illud demum, ut dixi, tamquam certissimum ab omnibus admittendum, nedum Eusebii tempore, sed ante ipsum, atque adeo primo, aut secundo sæculo Ecclesiæ invaluisse inter Christianos hujusmodi fidem; neque enim quisquam asserere ausus fuerit, primum ab Eusebio excogitatam esse. Verum ad Patres alios afferendos pergamus.

Alibi jam productum a nobis est testimonium Viri Apostolici, & insignis Ecclesiæ Martyris S. Ignatii ex Epistola ad Trallianos: *Jesus Christus* vere natus est, &c. *Vere crucifixus, & mortuus est, videntibus Cælestibus, terrestribus, & subterraneis, qui & vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius*. Nunc notandum in eadem Epistola, quæ interpolata censetur ab eruditis, clarius exprimi Christi descensum ad Inferos, nomine *subterraneorum* solum indicatum. Ita quippe explicat verba illa: *videntibus, &c. Cælestibus quidem, nimirum incorporeis naturis: terrestribus vero Judæis, & Romanis, cæterisque hominibus, qui tunc temporis, cum crucifigeretur Dominus, aderant: subterraneis autem, ut ii, qui plurimi cum Domino resurrexerunt ..... descendit ad Infernum solus; regressus autem est cum multitudine: septum illud, quod a sæculo erat, rupit, mediumque parietem illius destruxit*. Quæ applicatio, licet S. Ignatii haud censeatur, antiquissimi tamen Scriptoris est, magnæque authoritatis. Videndus Cotelerius in notis.

Ad aliorum Patrum scripta primævæ ætatis adolescentis Ecclesiæ progredior. Primus, qui se nobis offert, est Illustrissimus Fidei Christianæ defensor, & Martyr eximius S. Justinus, qui in *Dialogo cum Triphone Judæo*, inter alia Scripturæ loca, quæ ab Judæis abrasa fuisse queritur, quamdam recenset Jeremiæ sententiam, in qua descensus Christi ad Inferos perspicue declarabatur. „ Quin „ etiam, inquit, ex ejusdem Jeremiæ „ simi-

„ similiter dictis detruncarunt istud : „ *Memor fuit Dominus mortuorum ex* „ *Israel, qui dormierunt in terra agge-* „ *ris, & descendit ad ipsas, ut evange-* „ *lizaret eis salutare suum* „. Jure ne, an injuria de hac detruncatione queratur S. Martyr, parum nostra interest. Satis enim ad institutum nostrum est, hanc saltem fuisse Justini sententiam, Christum Dominum post mortem ad Inferos venisse, ac ibidem mortuis, sive justis fato functis salutem annunciasse, cujus percipiendæ capaces erant. Inter Sancti hujusce opera prostat etiam Author *qq. ad Orthodoxos*, vetustissimus & ille profecto, qui in *Resp. ad q.* 81. habet: *Christus certe quidem vivificam potentiam suam mortuis excitandis mirifice exhibuit in præsenti rerum statu, & animis piis defunctorum apud Inferos omnibus liberandis*.

S. Irenæus lib. 4. cont. hæref. c. 22. idem affert cum S. Justino Jeremiæ testimonium inquiens. „ Quapropter re„ cumbentibus eis (Discipulis) mini„ strabat escam, significans eos, qui in „ terra recumbebant (scilicet mortui „ jacebant), quibus venit ministrare „ vitam, sicut Jeremias ait: *Rememo-* „ *ratus est Dominus Sanctus Israel mor-* „ *tuorum suorum, qui prædormierunt in* „ *terra defossionis, & descendit ad eos,* „ *ut evangelizaret eis salutare suum,* „ *ad salvandum eos*. „ Et postea „ Se„ cundo vero veniens excitavit eos, & „ erexit significans, quoniam Passio ejus „ expergefactio est dormientium Di„ scipulorum, propter quos & descen„ dit in inferiora terræ, id, quod erat „ inoperatum conditionis visurus ocu„ lis „. Et cap. 27.: „ Et propter „ hoc Dominum in ea, quæ sunt sub „ terra, evangelizantem, & illis adven„ tum suum, remissione peccatorum e„ xistente, his, qui credunt in eum. „ Crediderunt autem in eum, qui spe„ rabant in eum, idest qui adventum „ ejus prænunciaverunt, & dispositio„ nibus ejus servierunt, justi & Prophe„ tæ, & Patriarchæ „. Fusius idem argumentum pertractat *lib.* 5. *Cap.* 31. Vide, si lubet, in laudata loca notas P. Massueti novissimi hujus S. Patris editoris, & ibidem fusiores notas Fevardentii, ubi Catholicum Dogma pluribus confirmat.

Cum plura jam ex Tertulliano producta fuerint, satis hic attulisse sit, quæ inter ejus Opera habet Author Carminis adversus Marc. lib. 2. de Christo loquens.

Post ubi secretas Inferni venit ad undas,
Atque suum victor captivum luce retexit, &c.

& lib. 5.

Infernum petit: hic animas pro crimine vinctas,
Quæ sine præsidio conclusæ pondere legis
Olim promissa, & sperata, & tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.

Quamquam nonnulla etiam Origenis testimonia producta sint, proderit tamen & alia pauca exscribere. Lib. 2. *contra Celsum n.* 43. (*a*) ait. „ Hinc „ sermonem (Celsus) ad nos conver„ tens, non dicetis, inquit, cum non „ posset (Christus) his, qui hic de„ gebant persuadere, profectum ad In„ feros fuisse, ut qui illic sunt persua„ deret „. Quæ verba Celsi produnt aperte doctrinam Ecclesiæ de Christi ad Inferos descensu ita apud Christianos omnes fuisse vulgatam Origenis ævo, ut ea insectator ille usus fuerit ad fideles oppugnandos. Quid autem respondet Origenes? Accipe. „ Quantumvis no„ lit, dicemus, hic non paucos, sed „ tanto numero persuasisse, ut ob eam „ rem insidiæ illi fuerint comparatæ: „ & postquam corpore exuta est anima „ cum nudis corpore animabus colloquia „ habuisse, & ad se convertisse eas, quæ „ voluerunt, aut quas certis quibusdam „ rationibus sibi notis vidit ad sua do„ cumenta magis idoneas „. Homil. pariter 15. *in Genes.* scribit, *pro salute* Mun-

(*a*) Edit. PP. Cong. S. Mauri.

Mundi usque ad Inferna Christum descendisse, & inde Protoplastum revocasse. Item *Hom. 6. in Exodum: Sed & nos puto aliquando terra devoratos in Inferni penetralibus retinebat. Et propterea Dominus noster descendit, non solum usque ad terras, sed usque ad inferiora terræ.* Quid clarius? Paria docet pluribus aliis in locis, quæ brevitatis caussa prætereo.

S. Clemens Alexandrinus *lib. 6. Strom.* pagina *mihi 637.* „ Quamobrem prædicavit Dominus iis quoque, qui erant apud Inferos. Dicit quidem certe Scriptura: dicit Infernus perditioni: ejus quidem speciem non vidimus, ejus autem vocem audivimus. Non locus utique, voce accepta, dicit ea, quæ prius dicta sunt: sed ii, qui sunt collocati apud Inferos, & seipsos tradiderunt ad exitium .... Ipsi ergo sunt, qui Divinam audierunt virtutem, & vocem „. Gemina habet *lib. 6. c. 2.*

S. Hippolytus de *Antic.* „ Rex, omniumque Judex creatus est (Christus), cælestium quidem, quod Verbum Patris ante sæcula extiterit: terrestrium vero, quod homo inter homines natus est, ut a se ipso Adamum reformaret: Infernorum autem quod inter mortuos reputatus Sanctorum animabus prædicans morte victor mortis extitit „ ... Ac deinde: „ Joannes in Jordane ipsum eorum Salvatorem ostendit, dicens: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi.* Hic iis etiam, qui erant in Inferno prior evangelizavit, sublatus Herodis gladio, illis factus præcursor: nempe ibi quoque indicaturus expectandum Salvatoris descensum, qui Sanctorum animas de manu mortis esset liberaturus. „

Supra dedimus insignem S. Cypriani textum: subjungimus modo sententiam Authoris *de Cardin. Oper. Christi* inter Cypriani opera recensiti: „ Passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensque ad Inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit „: additque: „ Omnino convenit, ut eo tempore, quo Christus captivos eduxit ab Inferis, reconciliati peccatores reducantur ad Ecclesiam. „

Eodem sæculo præter Lactantium Firmianum, testimonium illustre perhibent de Catholica veritate alii plures Scriptores, quos inter Julius Firmicus scribens: „ Fecit Filius Dei quod ante promiserat: clausit januas sedis infernæ, & duræ legis necessitatem calcata morte prostravit. Per triduum recens ita ab eo justorum turba collecta est, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne justorum meritum ex longa desperatione concideret, fregit claustra perpetua, & ferreæ fores, Christo jubente, collapsæ sunt, &c. „

S. Zeno Episcopus Veronensis *Tract. 6.* „ Hic est (Christus) Fratres, qui venturus denunciatus est per Prophetas: ... Sæculorum Genitor Filius Virginis, immortalis sibi, homini moriturus: mortem gustat, ut mortem devincat: Inferos penetrat, ut mortuos vivos inde reducat. „

Eusebii Cæsariensis, ut & Sancti Hilarii plures jam sententiæ productæ sunt. Unam tamen, vel alteram ad cumulum adjiciamus. Prior *lib. 8. Demonst. Evang.* ait: „ Carnis expers, & nudatus corpore, quod assumpserat, ad hostium regionem descendit ille, qui est ipsa vita, ut mortem destrueret, & insurgentes in se virtutes „. Et lib. 10: „ Hic ob salutem animarum, quæ apud Inferos detinebantur, aderat, quæ quidem a multis jam Sæculis illius adventum præstolabantur, ac descenderat æreas contriturus fores, & vectes confracturus ferreos, ut qui apud Inferos vincti prius erant liberos dimitteret „. Alter vero *lib. 3. de Trin. n. 15.* „ Dei Filius crucifigitur: sed in Cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei Filius moritur: sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei Filius in Inferis est: sed homo refertur ad Cælum. „

S. Athanasius præter alia superius adducta, lib. 1. cont. Apollinarium n. 13. „ Non solum in nobis, sed in ipsa Christi morte idipsum commonstratur: quando corpus quidem usque ad Sepulcrum tantum pervenit: anima

„ ve-

„ vero ad Infernum usque transmeavit, „ locisque multo spatio distantibus, sepulchrum quidem corporalem adventum excepit, ac ibi corpus adfuit: „ Infernus vero incorporeum admisit. „ Qua ratione igitur, cum Dominus „ illic incorporaliter adesset, homo tamen a morte? Ut animabus in vinculis detentis propriæ animæ formam „ incapacem vinculorum mortis, quasi „ capacem exhibens præsentibus præsentem vincula animarum in Inferno detentarum disrumperet, resurrectionisque terminum designaret; ut conditor, „ & factor hominum, & qui hominem „ damnationi subjecerat, ipse præsens „ per se ipsum hominem plane in sua „ ipsius forma liberaret „. Haud hercle scio, an luculentius quidpiam desiderari valeat. Sed etiam in *lib. de Salut. Christi adventu* non minus luculenter disserit, inquiens: „ Ex Inferis quidem animam, e sepulcro vero „ Corpus exhibens, ut in morte destrueret mortem per exhibitionem animæ: „ in sepulcro vero corruptelam extingueret in Corporis Sepultura, ex inferis, & sepulcro immortalitatem ostendens. „

Macarius Hierosolymitanus Episcopus in Actis Concilii Nicæni apud Gelasium Cizicenum: „ Descendebamus nos post „ mortem ad Inferos: suscepit & hoc „ (Salvator), descenditque sponte ad „ eos, non tamen detentus, sicut & nos. „ Cumque solus descendisset, cum multis rediit. „

S. Gregorius Neocæsariensis *Serm. in Theoph.* Christum ita loquentem inducit. „ Oportet me descendere etiam in „ imum Inferni profundum propter mortuos ibi detentos. Oportet me triduana morte carnis meæ delere, ac „ profligare diuturnæ mortis imperium. „ Oportet me corporis mei lucernam illis accendere, qui in tenebris, & in „ umbra mortis sedent. „

S. Basilius Magnus hom. in Psalm. 48. ad illud, *verumtamen Deus redimet animam meam de manu Inferi*, scribit: „ Palam prædicit (Propheta) Domini ad Inferos descensum, qui unacum „ aliis ipsius etiam Prophetæ animam „ liberabit, ut ne illic remaneat „. Et in *Psalm.* 44. „ Christi bonus odor „ myrrham quidem spirat ob Passionem, „ guttam vero, quod non immobilis, „ nec otiosus, aut inefficax permanserit „ tribus diebus, & noctibus, sed in „ Infernum descenderit ob resurrectionis dispensationem, ut omnia quæ ad „ se spectabant, expleret . . . . Habes „ ergo myrrham ob sepulturam, guttam ob descensum ad Inferos, &c. „

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* 14. *n.* 18. „ Christus in Inferna descendit solus, pluribus vero comitatus huc reversus est „. Et num. 19. „ Exterrita mors novum quemdam in „ Infernum descendentem conspicata, „ qui hujus loci vinculis non tenebatur. Qua de caussa, o Inferni Janitores, eum videntes expavistis? Qui „ vos insolens occupavit timor? Fugit „ mors, ejusque timiditatem fuga illa „ arguebat. Accurrerunt Sancti Prophetæ, & Moyses Legislator, Abraham, „ & Isaac, & Jacob: David quoque, „ & Samuel, & Hesaias, & Baptista „ Joannes, qui ait, & testatur: *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* „ Redempti sunt Sancti omnes, quos „ mors absorbuerat . . . . Hujus Salvatoris nostri figuram gestavit Jonas „ de ventre Ceti, orans, & dicens: „ *Clamavi in tribulatione mea de ventre Inferi*. Atqui in ceto erat. Nihilominus in ceto cum esset, in Inferno „ esse se dicit: figura namque erat Christi in Infernum olim descensuri . . . . „ Et cum in mari existeret Jonas dixit: „ descendi in terram: quandoquidem „ figuram referebat Christi, qui in cor „ terræ descendit. „

S. Ambrosius in Psal. 43. „ Ipsa oratio Sancti Jonæ docet Dominicæ „ Passionis esse mysteria, cum dixit: „ *Clamavi ad Dominum meum in tribulatione, & audivit me de ventre Inferi*. Vides quia Inferni ventrem dixit, non ceti? Dominus autem non „ in Cetum, sed in Infernum descendit, & ut illi, qui in infernis erant, „ a perpetuis vinculis solverentur „. Et in *Psal.* 48. *num.* 22. ad illud: *Veruntamen Deus liberabit animam meam de*

de manu Inferi, cum acceperit eam, ait: „ Bene hoc dicit, qui sciebat animam „ suam in Inferno non derelinquendam: „ descendit enim, ut captivos absolveret de faucibus Inferorum, non ut „ in his captiva remaneret „. Item „ *lib. de Incarn. Dom. Sacram.* Cap. 5. „ Corpus quidem Christi jacebat in tumulo: ipse autem inter mortuos liber remissionem in inferno positis, „ soluta mortis lege, donabat „. Et infra: „ Denique etiam in Inferno positis vitæ lumen fundebat æternæ. „ Radiabat etiam illic lux vera sapientiæ, illuminabat Infernum, sed in „ Inferno non claudebatur „. Eadem habet lib. 4. de Fid. C. 1. n. 8. & in hymno, *Veni Redemptor*, &c.

Præter supra recitatas S. Epiphanii authoritates, aliam, licet paulo fusiorem, audire non tædeat *ex serm. in Sepulcrum Christi*: „ Quomodo lux non vesperascens ad loca tenebrosa, & umbram „ mortis pervenit? Quo tendit? Quo „ advenit, qui a morte superari non „ potuit? Quæ hæc ratio? Qui modus? „ Quod consilium illius in Infernum „ descensus? Forsitan Adamum condemnatum, & nostrum conservum ut „ educeret descendit? Profecto primum „ parentem, tamquam perditam ovem, „ quæsitum vadit: omnino in tenebris, „ & in umbra mortis sedentes invisere „ vult: omnino captivum Adam, unaque captivam Evam, ex doloribus „ solutum vadit Deus. Verum una descendamus. . . . Dei fœdera cum hominibus intuentes, & condemnatorum „ liberationem a benigno Domino factam. Vadit enim natura humanissimus; ut educat eos qui a sæculo vincti sunt . . . . quos ille Cælestibus „ Incolis in libertatem assertos annumerare cupit. Illic vinctus Adam primus parens, & primo creatus omnibus infimis condemnatis inferior. Illic Abel primus mortuus, & primus „ justus pastor injustæ Christi Pastoris „ cædis figura. Illic Noe, &c. illic „ Abraham, &c. illic infra vinctus „ Isaac, illic infra Jacob in Inferno „ mœrore confectus, &c. illic Joseph „ vinctus, &c. illic Moyses infra in „ locis tenebrosis, &c. illic Daniel in „ lacu Inferni, qui supra quondam in „ lacu leonum versatus fuerat: illic Jeremias tamquam in lacu cœni, in lacu Inferni corruptionis mortis: illic „ Jonas in mundi capace ceto, hoc est „ in Inferno, jacet: illic præterea David Dei parens, &c. Sed quid dico „ Davidem, & Jonam, & Salomonem? „ Illic & Magnus ipse Joannes major „ omnibus Prophetis, tamquam in tenebroso utero Christum prædicans iis, „ qui in Inferno erant omnibus duplex „ Præcursor, & Præco vivorum, & „ mortuorum, &c. At justi, injustique „ qui erant a sæculo consopiti, præsertim Prophetæ, & justi cuncti preces „ assiduas occulte, misticeque Deo illic „ offerebant, redemptionem flagitantes „ . . . . Quos omnes cum exaudisset „ summe misericors Deus, non æquum „ censuit, ut iis solis, qui vitæ ejus „ essent tempore, aut post futuri, propriam impertiret misericordiam; verum & iis, qui ante ipsius adventum „ in Inferno erant detenti, & in tenebris, & umbra mortis sedebant. Quocirca homines quidem carne præditos „ per carnem animatam Deus Verbum „ invisit; animabus vero a corporibus „ liberatis per Divinam, & purissimam „ ipsius Animam in Inferno apparuit „ . . . . Quapropter & tunc descendebant (Angeli) cursu simul, & concursu accelerantes cum Deo, & Domino in infera, & subterranea, & „ omni terra profundiora, quæ sunt a „ sæculo, mortuorum latebrosa domicilia: cum educeret in fortitudine a „ sæculo in compedibus habitos, &c. „ Vide reliqua, si lubet.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 35. „ Christus moritur, sed vitam impertit, ac morte sua mortem extinguit. „ Sepultura afficitur, sed resurgit: in „ Infernum descendit, sed animas suorum ducit, atque in Cælos ascendit. „ Et *Orat.* 42. „ Si in Infernum (Christus) descendat, simul descende. Ea „ quoque mysteria cognosce, quæ Christus illic designavit: quod duplicis „ descensus consilium, quæ ratio fuerit; utrum omnes sine ulla exceptio-

„ ne

„ ne adventu suo salvos fecerit, an il- „ lic quoque eos dumtaxat, qui credi- „ derunt „. Quæ verba sic commentatur Nicetas: „ Descendente Christo in „ Infernum, ipsum quoque per con- „ templationem sequere . . . ac quære, „ quæ duplicis Christi descensus causa „ fuerit, alterius nimirum de Cælo in „ terram, alterius de terra ad Infernum „ . . . . Enim vero Christus in Infer- „ num descendens non omnes, verum „ eos solos, qui crediderunt, salvos fe- „ cit. Chrysostomus ipse affirmat, ne- „ minem in Inferno a Christo salutem „ accepisse, nisi qui salute dignus es- „ set, cum ex hac vita discessisset. „

S. Gregorius Nyssenus Orat. 1. *de Resurrect. Christ.* „ Vultis aliquid de tri- „ dui tempore scire? Sufficit tantum „ didicisse, quod cum Dominus O- „ mnipotens sapientia in tam exigui „ temporis spatio fuisset in corde ter- „ ræ, quod est mentis illius (Diaboli „ scilicet) domicilium, magnam illam „ mentem, quæ in eo habitat, potuit „ decipere, & infatuare. „

S. Joannes Chrysostomus in Orat. *quod Christus sit Deus*: „ Cum Christus „ in Infernum descendisset, omnia tur- „ bavit . . . . Hanc rem non silentio „ prætereunt; sed modo David dicit: „ *Attollite portas Principes vestras*, &c. „ modo Hesajas aliter: *Portas æreas confringam, & vectes ferreos conteram,* „ *& aperiam tibi Thesauros tenebrosos,* „ *occultos, invisibiles ostendam tibi*, sic „ appellans Infernum. Nam etiamsi In- „ fernus esset, at sanctas Animas, & „ vasa pretiosa servabat, nempe Abra- „ ham, Isaac, & Jacob: propterea „ Thesauros appellabat: tenebrosos au- „ tem: quia nondum sol justitiæ ibi „ fulserat, neque de resurrectione præ- „ dicaverat „. Et hom. *de cemet. & cruce*. „ Hodie omnia Inferorum loca cir- „ cuit Dominus noster: hodie portas „ æreas confregit: hodie vectes ferreos „ contrivit. Vis discere quomodo fuerit „ implacabilis, inflexibilis, & ipsissimus „ Adamus? Tanto tempore nunquam „ ei persuadere potuit ut quemquam ex „ illis, quos captivos tenebat, dimit- „ teret, quoad usque Angelorum Do- „ minus eo descendens eum vi sua coe- „ git, &c. „

S. Pacianus Episcopus 3. *cont. tract.* Novat. „ Dicam adhuc planius: ille po- „ sterior populus: ille pauper, ille me- „ diocris imago Ecclesiæ fuit: anima „ humilis, ac modesta, anima liberata „ per Christum: hanc venit Dominus „ salvam facere: hanc apud Inferos non „ reliquit. „

Prudentius hymn. 1. ad galli cant.

Inde est, quod omnes credimus
Illo quietis tempore,
Quo Gallus exultans canit,
Christum rediisse ex Inferis:
Tunc mortis oppressus rigor:
Tunc lex sublata est Tartari, &c.

Et hymno 9.

Quin & ipsum, ne salutis
Inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat:
Fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulsis
Cardo dissolubilis:
Illa prompta ad irruentes;
Ad revertentes tenax
Obice extrorsum recluso,
Porta reddit mortuos, &c.

S. Hieronymus præter alia adducta; in caput 14. Isaiæ: „ Non ad Infernum „ sponte descendes: hoc enim Domini „ Salvatoris est, ut vinctos de Infernis „ liberet „. Et ibidem: „ Ad infernum „ descendit Dominus, ut vinctos de „ carcere dimitteret „. Et in illud Jonæ, *intravit caput meum ad scissuras montium*, sic ait: „ Dominus noster ad „ montium extrema descendit, & æ- „ ternis conclusus est vectibus, ut „ omnes qui clausi fuerant, libera- „ ret „.

S. Gaudentius Brixiensis *tract.* 8. *de lect. Exod.* „ Corpore Christi in sepul- „ cro posito, Divinitas cum anima ho- „ minis ad inferiora descendens voca- „ vit de locis suis animas Sancto- „ rum. „

Omissis textibus Ruffini, Theophili Alexandrini, sicut etiam S. Augustini, de quibus nulla institui controversia potest; & plures jam supra recitati sunt, paucos alios quinti Sæculi Patres in medium promam. Et primum quidem

S. Cyrillum Alexandrinum, qui *lib.* 8, *de Adorat. in Spir. & verit.* hæc habet: „ Procul a Mundo, & a corpore „ hominis infelix anima exilio mulctabatur, atque in abditis mortis, & „ penetralibus locis, tamquam in Urbe „ quadam refugii residens longo tempo„ re perseverabat: mortuo autem Chri„ sto magno Sacerdote vix tandem di„ missa est, qui cum pro omnibus per„ tulisset mortem, ad inferna descendit, „ atque portas Inferi aperuit, eorum„ que vincula relaxavit: dicens iis, qui „ vincti erant, exite: & qui in tene„ bris, relevamini. „

S. Paulinus Nolanus, qui initio Sæculi quinti floruit, carm. de Obit. Celsi.

Denique quod verba dixit (Christus) *virtute probavit*
Ipse suum revocans ex Erebis *hominem:*
Namque ut *concussis patefecit Tartara* Terris,
Et vinctum Inferno carcere solvit Adam
Viderunt multi Veterum renovata piorum
Corpora, descensu vivificata Dei.

Philo Carpathius, qui sub idem tempus scripsit, ad illa verba cant. *apprehendam te, & introducam*, &c., ait: „ Ut in promptuario Thesauri recon„ duntur, sic & in morte animæ ju„ storum requiescunt, & ad perpetuæ „ vitæ felicitatem, & gloriam transfe„ runtur. Regnavit enim mors, & im„ peravit homini ab Adam usque ad „ adventum hujus Cælestis Sponsi. Sed „ idem Jesus humana carne, eaque mor„ tali vestitus, ut in ea mortem per„ deret, & vitam repararet æternam, „ quam semel assumpsit pro nobis in „ mortem, quasi in domum intulit, „ eamque in intimum promptuarium, „ & sinum terræ, quæ nos omnes col„ ligebat, triumphalem invexit, ut in„ de Sanctorum Animas, quæ illic ve„ luti reconditi Thesauri Redemptoris „ hujus præstolabantur adventum, exi„ meret, ac solveret, secumque addu„ ceret sine fine victuras. „

Synesius hymn. 9. de Christo ita canit.

Et descendisti sub tartara,
Animarum ubi plurima
Mors tenebat agmina . . . :
Tu vero cum solvisses catenas
Animarum sanctos cœtus
Comitata integerrimo
Laudes deferebas Patri, &c.

Præterire minime debemus egregium testimonium exhibitum circa annum 430. a Capreolo Episcopo Carthaginensi, qui cum rogatus a Vitale, & Constantio fuisset, ut ipsis edissereret, *quod rectum habet Fides Catholica circa Personam Salvatoris*, &c. Inter alia, quæ respondit, hæc sunt ad institutum nostrum pertinentia: „ An dicimus Deum „ in suscepto homine etiam apud In„ feros non fuisse? Aut vero metuen„ dum est, ne Divinitas ibi quasi pœ„ naliter fuerit? . . . . Times includi „ Immensum, teneri Omnipotentem, „ abscondi ubicumque diffusum? . . . . „ Ipse in homine est visitare Inferorum „ dignatus obstrusa, & præpositos mor„ tis præsentia invictæ Majestatis exter„ ruit, & propter liberandos, quos „ voluit, Inferorum portas reserari „ præcepit . . . . Tantum igitur abest „ Deum Dei Filium incommutabilem, „ atque incomprehensibilem, ab Inferis „ potuisse concludi, ut nec ipsam ad„ sumptionis animam credamus aut exi„ tialiter susceptam, aut tenaciter de„ relictam. Sed nec carnem ejus credi„ mus contagione alicujus corruptionis „ infectam. Ipsius namque vox est in „ Psalmis, sicut Petrus interpretatur „ Apostolus: *Non derelinques animam* „ *meam apud Inferos, neque Sanctum* „ *tuum videre corruptionem* . . . . Deus „ ergo Filium hominem nec in Inferis „ deseruit, nec apud Inferos dereliquit. „ Cujus autem virtute, ac majestate „ antiqua Sanctorum corpora visa sunt „ resurrexisse, si Deus Inferos visita„ vit „ ? Ac post multa concludit demum. *Instate itaque*, sicut Apostolus præcipit, *opportune, atque importune, & doctrina sana universos errantes arguite. Non mea, quæ nulla, aut parva sunt, habentes in hac Fidei regula documenta, sed Scripturarum Divinarum, ac majorum, ac doctissimorum virorum,*

qui

qui hæc ante nos & firmissime tenuerunt, & multiplicibus libris eloquentissime docuerunt. Quæ verba notanda admodum sunt: ex his quippe conficitur evidenter, constantem hanc fuisse semper totius Ecclesiæ Fidem, quam Novatores nostri pervertere satagerunt.

Sed non minus notanda, quæ circa idem tempus scripsit Leporius, ex quo superius attigimus quoddam testimonium hic uberius exponendum ob ea, quæ continet, dum ad Fidem ille conversus, *emendationem* eorum, quæ ante tenuerat, evulgavit in suo libello, quem publici juris fecit Sirmondus Tom. 1. *Oper. var.* In hac sua *emendatione* profitetur Fidei Catholicæ dogmata, ac sæpe repetit, *credo*, &c. *confiteor*, &c. *hæc fides nostra*, &c. Igitur inter alia, quæ profitetur juxta Fidem, hoc est: *Tam Christus Filius tunc mortuus jacuit in Sepulcro, quam idem Christus Filius Dei ad Inferna descendit, sicut B. Apostolus dixit, &c. Ipse utique Dominus, ac Deus noster Jesus Christus, unicus Dei, qui cum anima ad Inferna descendit, ipse cum anima, & corpore ascendit ad Cælum*. Demum quidquid professus fuerat ut fide tenendum, in fine sua subscriptione firmat: *Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo Fidem meam, Deo volente, in finem usque tenebo, medullitus exprimere volens coram Sanctis Episcopis in Ecclesia Carthaginensi relectum subscripsi*. Sequuntur deinde nomina Episcoporum hoc modo: *Ego Domninus hanc Fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi. Ego Bonus hanc Fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis oblato a Leporio libello, ac relecto subscripsi. Augustinus Episcopus Hipponensis regionis oblato nobis a Leporio libello subscripsi. Florentius Episcopus Hipponensium Diarritorum oblato nobis a Leporio libello subscripsi. Secundus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, sive Megarmitanæ, oblato nobis a Leporio libello subscripsi*. Quod ergo professus Leporius est, veluti Fidei Catholicæ dogma, hoc sex Episcoporum suffragio confirmatum est.

Quid plura referam? Satis mihi erit, ne tædio nimio meos lectores afficiam nonnullos alios ejusdem quinti sæculi Patres proferre, cæteris prætermissis. S. Eucherius Lugdunensis *lib. form. Spir.* n. 35. *Christus secundum Corpus sepultus est: secundum animam vero ad Inferna descendit*. Claudianus Mamertus lib. 3. C. XI. *de stat. An. Si Corpus Inferna non ingreditur*, ut pote sepulcro mandatum . . . . *Et animus non accedit inferna* . . . . *Aut nulli ergo sunt Inferi, aut ad eos hominum nemo descendit. Atque ita Fidei nostræ ratio periclitabitur, si nec Redemptoris Anima Inferos adeundo, redeundoque reseravit*. Cassianus de ditur. Orat. lib. 3. cap. 3. „ Hora vero nona Inferna Chri- „ stus penetrans, inextricabiles Tartari „ tenebras coruscatione sui splendoris „ extinxit, ac seras ferreas conterens, „ captivitatem Sanctorum, quæ clau- „ sa tenebris tenebatur Inferni, salu- „ briter captam transvexit secum ad „ Cælos „. Arnobius junior *in Disp. cum Serap.* : „ Habet, inquit, un- „ de vere immortalis Christus sit: ha- „ bet, unde vere sit mortuus, & se- „ pultus. . . . habuit etiam, unde in- „ ter animas defunctorum in animam „ corporis sui defuncti. ire ad Inferos „ permitteret, & redire „. S. Petrus Chrysologus *serm.* 123. „ Ipse Dominus „ primi hominis, idest contumacis „ servi, exaltator advenit: Ipse Domi- „ nus, qui obseravit Paradisum, qui „ clausit Infernum, ad terras, & In- „ fernos tota potestate descendit, ut ac- „ censa extingueret, clausa protinus „ aperiret . . . . Agnoscite, Fratres, „ post triumphum Christi Sanctorum „ custodiam dissolutam, & in Sanctos „ ultra Inferni nihil deberi; quando „ Christus ut justos, non injustos, ab- „ solveret, ad Inferos usque penetra- „ vit „. S. Vigilius Tridentinus *lib. 2. cont. Eutich.* : „ Constat Dominum no- „ strum Jesum Christum sexta feria cru- „ cifixum, & ipsa die ad Inferna de- „ scendisse, ipsa die in sepulcro jacuis- „ se, ipsa die Latroni dixisse: *Hodie* „ *mecum eris in Paradiso*. Caro igitur „ *ipso die non fuit in Paradiso, nec in In-*

„ *ferno*, *sed exanimis jacuit in Sepulcro*, „ & jure tamen dicemus Dominum Jesum in Sepulcro jacuisse, sed in sola Carne, Dominum Jesum non derelictum in Inferno, sed in sola anima „.

Agmen Patrum quinti sæculi claudant S. Fulgentius, ejusque Discipulus Ferrandus Diaconus Carthaginensis. Prior *in lib. de Fide ad Petrum c.* 2. ita loquitur: „ In sepulcro idem Deus homo factus jacuit: & ab Infernis idem Deus homo factus tertia die resurrexit. Sed in sepulcrum secundum solam carnem, & in Infernum secundum solam animam descendit „. Eadem habet in pluribus aliis locis. Alter vero *in Epist. ad Severum*: „ Totus ergo Christus ubique est secundum Verbum: sed non totum ubique est; quia non est ubique anima rationalis, & caro, cum quibus est totum totus Christus. Apud Inferos fuit secundum animam rationalem, sed non totum: quia caro non fuit, cum qua totum est. Totus Christus in sepulcro fuit secundum carnem: sed non totum; quia anima rationalis ibi non fuit, cum qua est totum, &c. „.

A referendis abstineo Patribus, & Scriptoribus sequentium sæculorum, ut brevitati consulam: sed alta voce illud profari licet, neminem repertum iri, qui contra senserit, neminem, qui de hoc argumento differens eamdem doctrinam non tradiderit, sive Græcus fuerit, sive Latinus. Namque illam diserte, & expresse produnt S. Gregorius Magnus, Faustus Rhegiensis, Julianus Toletanus, Author Sermonis 160. olim S. Augustino tributi, Cassiodorus, S. Gregorius Turonensis, Leontius Bizantinus, Anastasius Antiochenus, Albinus Flaccus, S. Joannes Damascenus, Eustrathius Presbyter Constantinopolitanus, Nilus Monachus apud Allatium, Anastasius Sinaites, Andreas Cretensis, S. Idelfonsus Toletanus, Venerabilis Beda, Alcuinus, Haymo, Rhabanus Maurus, Remigius Antisidorensis, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Theorianus, Theophylactus, Nicephorus Callixtus, Gennadius Scholarius, ac, ne alios nominem, S. Bernardus.

Quid quod, ut jam innui, eidem doctrinæ firmiter semper adhæsere Ecclesiæ ipsæ funesto schismate a Romana sejunctæ? Etenim in Confessione Fidei Æthiopicæ expresse asseritur, *Christum descendisse ad Inferos, ubi erat anima Adæ, & ejus filiorum, fregisse Inferorum portas, & redemisse Adam, & ejus filios*. Ita pariter in Confessione fidei edita a Gabriele Patriarcha Alexandrino habemus ipsum testantem, *se firmiter credere, & prædicare, Christum vere passum, vere mortuum, & sepultum, vere cum anima descendisse ad Inferos ad liberandas animas Sanctorum Patrum, quæ in Limbo detinebantur*. Ita quoque habet confessio Fidei edita anno 1553. a Siud, sive Subaka Nestorianæ Ecclesiæ Patriarcha, his verbis: *Christus passus, mortuus, & sepultus est in humanitate sua propter nos, & propter redemptionem nostri, descendit ad Infernum, & tertia die resurrexit e sepulcro*. Quod etiam in eadem Fide, quoad præcipuum saltem caput, perseveret recens Ecclesia Græca, dubitare nemini licet, & documentis pluribus abunde comprobari posset: sed illud satis, quod profert Allatius Dissert. 2. *de libris Græc.* inquiens: *Quod primum in primo Sinaxario occurrit, & die Paschatis legitur, de descensu Christi ad Inferos, & animarum liberatione. Hac rursus de Cælo descendens in utero Virginis habitavit: & nunc genus humanum omne ab inferis cavernis arreptum in Cælos advexit . . . . Verumtamen ad Infernum descendens non omnes vitæ restituit, sed eos, qui illi credere voluerunt. Animas vero Sanctorum, qui ab orbe condito fuerunt, ab Inferorum domino violenter custodia mancipatas liberavit, omnibusque facultatem fecit, ut remearent ad Cælos.*

CA-

CAPUT XIII.

Consectaria quædam derivantur ex Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ doctrina. Quæ contra reponunt Novatores ad examen adducta. Calumnia refertur, quam affingit Ecclesiæ Patribus Daniel Cramerus. Mira Danai, & Drelincurtii audacia in explodenda authoritate Patrum. Quanti eam fecerint, ac faciendam decernant vel ex ipsis Protestantibus doctissimi viri. Quæ illi adversum objiciunt, penitus discutiuntur. Amesii hallucinationes, & errores notati.

Ex tot Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiæ testimoniis, quæ capite superiore, & aliis præcedentibus allegata sunt, aliqua sponte sua fluunt consectaria, quæ hic claritatis majoris gratia percenseo. Et primum quidem liquet splendidissime adversum Calvinistas doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, quam defendimus in articulo Symboli Apostolici *Descendit ad Inferos* contentam, ac sensum, quem eidem tribuit, ab ævo Apostolorum perpetua, nec unquam interrupta successione descendere, eumque non inter adiaphoras opiniones annumerari posse, de quibus, salva fide, sentire cuilibet liceat, quidquid lubet, ut arbitratus est Vossius, sed inter dogmata fidei recensendum, quæ obsequenti animo suscipienda firmiterque credenda sunt. Quocirca ex hoc etiam capite a vera fide defecisse dicendi sunt Calviniani, seque hæreticos manifesto prodere, atque infideles, dum hanc veritatem profiteri abnuunt. Ut enim scripsit S. Augustinus, aliis assentientibus Patribus, *Christum Dominum ad Inferos descendisse solus infidelis negat.*

Liquet secundo, falsam quoque, & erroneam esse existimandam Lutheranorum sententiam, qui non solam animam, sed animatum Christi Corpus ad Inferos descendisse commenti sunt. Patres namque unanimi consensione Descensum hunc *Animæ* dumtaxat adscribunt: & hoc sensu intellexerunt, explicaruntque textum Apostoli Petri *Actuum* 2., qui præcipuum est hujusce dogmatis fundamentum, ut vel ipsi Lutherani non diffitentur, *non derelinques animam meam &c.*, ubi per *Animam* Christi, quam Deus in Inferno non dereliquit, partem hominis rationalem designatam docent, sive mentem, qua homo a brutis animantibus secernitur, & quæ post separationem quoque, divisionemque a corpore subsistit. Quin immo ex hoc potissimum capite Sancti Patres, ut eos legentibus constat, robustissimum argumentum deduxere contra quosdam Arianos, & Apollinaristas, ita ex hac doctrina ipsos refellentes, quod nempe semper ab Ecclesia creditum sit Christum *secundum solam animam* ad Inferos descendisse, atque inde colligentes *veram animam* habuisse.

Liquet tertio contra Anonymum Anglum Authorem *historiæ Symboli Apostolici*, qui alias proximius, quam cæteri Heterodoxi, quoad dogma istud, accessit ad doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, finem præcipuum descensionis Christi ad Inferos, non fuisse, quemadmodum ille contendit, ut *semetipsum mortis legi redderet obnoxium, nobisque in omnibus evaderet similis*; sed ut Sanctorum Patrum justorumque omnium animas, qui in Limbo, sive in Inferis detinebantur, in libertatem educeret, & ad regna Cælestia sublevaret. Profecto, si ipse adversus Bezam, Calvinum, aliosque Sectarios affirmat *ex Patrum maxime sensu, & authoritatibus hauriendam esse intelligentiam* præsentis articuli, iisque munitus probat descensum Christi ad Inferos intelligi minime posse de Corpore Christi post mortem posito in sepulcro; sed de vero, realique abitu sanctissimæ illius animæ ad inferna loca, non ut quidpiam ibidem amplius pateretur, sed ut aliquid se dignum in statu separationis perageret; quodnam aliud officium Christi anima dignius, & Patrum ac Ecclesiæ doctrinæ conformius adstruere ipse deberet, quam liberationem Sanctarum Animarum ex Inferorum claustris? Nihil certe in Patribus, quos reveretur, quorumque consensione doctrinæ explicanda esse Fidei dogmata, dirimendasque quæstiones Theologicas, quæ interdum suboriuntur quoad legitimum Scripturarum sensum, nobiscum consentit: nihil, inquam, frequentius occurrit, quam neminem justorum ante ad-

adventum Christi evolasse ad Cælum, quam ipsos quoque Prophetas, ac Patriarchas eruisse Christum ab Inferis, secumque ad Cælos abduxisse. Cur igitur hanc etiam partem Catholici dogmatis non ultro Author iste complectitur, quam Patres sæculorum omnium votis concordibus tradidere, & quam nemo ex ipsis ne in controversiam quidem vocavit?

His præstitutis, quæ jam copiose tractata sunt, atque probata, videamus demum, quid ad tot Sanctorum Ecclesiæ Patrum testimonia, quibus munitur Catholicum dogma, reponant nostri Novatores. Daniel Cramerus in primis p. 2. exegem. *de descensu Christi ad Inferos*, concedit hanc reipsa fuisse veterum Ecclesiæ Patrum sententiam, Christum profectum esse ad Inferos *ut fideles, & dignos, qui vivi constanter in Fide perseveraßent, in vitam æternam, & in ipsum adeo Paradisum, tamquam dux vitæ traduceret*. Sed flocci faciendam horum authoritatem deblaterat: siquidem in hoc asserendo nixi sunt *Pseudoevangelio Nicodemi, & traditionibus Carini, & Lentii, qui ibi introducuntur. Narratur enim in illo Evangelio, quod omnes Sancti Dei genibus Christi advoluti sint, & una ipsi acclamaverint Christo apud Inferos apparenti: Advenisti Redemptor mundi, sicut per legem, & Prophetas tuos Sanctos prædixisti &c. Et extendens Dominus Jesus manum fecit signum Crucis super Adam, & super omnes Sanctos suos, & apprehendens dexteram Adæ ascendit ab Inferis, & omnes Sancti Dei secuti sunt eum*. Hæc Cramerus.

Quis indignationem, aut risum potius haud teneat, dum legit putidissimam hanc calumniam a Cramero Sanctis Ecclesiæ Patribus impactam? Ubi vola, aut vestigium in eorumdem libris hujusce *Pseudoevangelii Nicodemi* narrationis commentitiæ ab ipsis adhibitæ ad astruendam, sive etiam confirmandam descensionem Christi ad Inferos, aut officium ab eo ibidem peractum? nullibi certe reperies, unde calumniam hanc aliquo pacto defendas, eamque ex tuo dumtaxat cerebro prompsisti, quo inerudito popello illuderes. Patres omnes, qui de hoc argumento disseruerunt, toti sunt in iis asserendis Scripturarum textibus, qui a nobis vel adducti, vel indicati fuere, ac præsertim textu Psalmi 15. juxta sensum, quo illum in Actibus Apostolorum intellexit S. Petrus, explicavitque coram Hebræorum multitudine. De testimonio vero *Nicodemi* altum in iisdem silentium. Unde in hac propulsanda calumnia diutius detineri minime convenit.

Danæus Calvinista (a) respondet *Patrum præsidium esse prorsus inutile, & infirmum: non esse licitum in articulo Fidei ad hominum authoritatem se recipere*: Patribus habendam fidem, quatenus cum Scriptura concordant: Sym„ bolum Apostolicum, ac duo Concilia „ Toletana, & Lateranense facere pro „ Calvinistis: Patres a Bellarmino ad„ ductos non sapere ex Dei verbo, sed „ dumtaxat ex suis conjecturis, & ex „ errore, quod Piorum animas ante Chri„ sti Incarnationem non in Cælum evo„ lare crederent, sed in Infernum detru„ di: omnes Patrum sententias manife„ ste pugnare contra illud: *Hodie me„ cum eris in Paradiso*, cui potius cre„ dendum, quam centum millibus Pa„ tribus, &c. „

His affinia sunt, quæ majori adhuc, ac planæ incredibili audacia reponit Carolus Drelincurtius in suo Dialogo *de Descensu Christi ad Inferos* pag. 327. Consentit in primis in ea Sanctos Patres fuisse sententia, quam nos cum Ecclesia Catholica propugnamus. Addit vero, nihil esse, cur miremur, cum alios ipsi errores docuerint, quos inter perfectam piorum beatitudinem differri ad diem usque supremi Judicii. Tum vero animosior effectus in hæc verba erumpit dicens: *Deum, & homines ludibrio habere, qui in hoc argumento Patrum testimoniis utitur, notamque hanc esse infallibilem causæ penitus deploratæ* (b). Vocem amplius adhuc exaltat pag. 351. cum enim adversus suam, & aliorum Calvinistarum opinionem sibi objecisset sensum constantem Ecclesiæ Catholicæ, ac veterum traditionem perennem; respondet, Catholicos ita opponentes, *prorsus ad litteram adimplere illam Apostoli Pauli*

(a) apud Greiserum. (b) *est se mocquer visiblement de Dieu, & des hommes, que d' employer leur temoignage sur ce sujet*, & c' est une marque infaillible d' une cause tout à fait desesperée.

prophetiam : erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Additque ad temeritatis suæ cumulum, satis nos Catholicos palam facere in caput nostrum jam recidisse illam Dei comminationem 2. *ad Thessalon*. C. 2. *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*. *Quoad nos attinet*, concludit ille, *alios Doctores non agnoscimus, nisi ipsum Deum, nec aliud quidpiam credimus, nisi quod sancto ejus verbo revelatum est, &c.* Hactenus Drelincurtius.

. Post ea, quæ de præsenti argumento copiose a nobis tractata, dictaque sunt, post veritatem Catholici Dogmatis in luce plus quam meridiana positam, ecquis adeo pacato animo est, ut hæc inaudiens ab his Novatoribus vehementius non commoveatur, & animo non inardescat? Ego nihilominus me continebo, ne pro eorum meritis durioribus verbis eorum audaciam castigem. Illud solum accipio ab ipsis, quod nobis ultro concedunt, Sanctos scilicet Patres unanimi sententia suffragari Catholicorum doctrinæ *de descensu Christi ad Inferos*: neque enim de hoc litem nobis intentant, sed de authoritate eorumdem tantummodo in hac controversia, quemadmodum & in aliis pluribus. A permultis jam viris clarissimis ostensum est, summam Ecclesiæ Patribus in rebus Fidei deberi reverentiam, eorumque in aliquo dogmate consensionem firmissimum esse Christianæ veritatis argumentum, eamque exhibere Fidelibus traditionem, quæ ab Apostolis, quin & ab ipso Christo Servatore, & Magistro nostro profecta, in Ecclesia Dei intemerata permansit. Quare de hac quæstione Patrum authoritatem spectante, quæ extra disputationis nostræ pomœria divagatur, verba non prodigam, illudque solum adnotandum censeo, vix modo, apud ipsos Heterodoxos extare homines mitioris animi, atque ingenii ad meliora compositi, qui cæteros gentis suæ nimium obcæcatos sodales aversati, ingenue non fateantur magno in pretio habendam esse veterum præsertim Patrum authoritatem, eaque & ipsi non raro utantur tamquam validissimo armorum genere ad Christiana dogmata confirmanda. Author Anglus sæpe laudatus *historiæ Symboli Apostolici*, in Procemio sui Operis hæc scribit: „ Cum vero ista „ ratione Symbolum fuerit formatum, „ consequens est, quod licet nihil eo„ rum, quæ in illo continentur, ad „ Fidem possit obligare, nisi in quan„ tum Scripturarum nititur authorita„ te; sensus tamen ejus quoad maxi„ mam partem non ex Scripturis ma„ gis, *quam ex Patribus sit hauriendus*, „ hæresumque consideratione, quibus „ oppositi ejus articuli fuere. Quod i„ psum affirmare, licet audax primo „ intuitu videri possit, ac temerarium; „ verissimum tamen esse demonstrabit „ ipsa rei natura penitius considerata „: idque confirmat testimonio Calviniani Jurieu. Opportuna sunt hic etiam, quæ disserit Clarissimus Bullus *in examine censuræ &c.* C. 528., ubi nedum profitetur se religiose sequi veteres Ecclesiæ Patres, sed etiam testatur hoc expresso canone ab Anglicana Ecclesia fuisse præceptum, inquiens: *Judicium, & consensum veteris Ecclesiæ Catholicæ in Scripturis interpretandis, dogmatisque ex eis colligendis religiose nos sequi jubet expresso canone Ecclesia nostra Anglicana*. Et C. 619. ita scribit: *Discat vero tuo exemplo Lector cordatus, quam male sibi consulant, qui Schismaticorum, & Neotericorum scriptis operam suam, studiumque pene omne impendunt, vel prorsus neglectis, vel perfunctorie tantum lectis veterum monumentis. Nimirum præter alia satis gravia incommoda, illud ipsis plerumque accidit, ut Catholica subinde dogmata pro hæreticis repudient* (nonne hoc in caput *Drelincurtii* apprime recidit?) *Explosa vero hæreticorum deliria tamquam oracula divina suspiciant, atque exosculentur*. Itaque, *Juvenes, si a Theologastris istis decipi non vultis, post sacrosanctas Scripturas, vos exemplaria Patrum nocturna versate manu, versate diurna*. Paria scribit Joannes Fellus ab ipso Bullo laudatus: paria D. Saravia in *Prologo defensionis contra Bezam*: paria quoque Ivellus *in*

Apo-

Apologia contra Puritanos, & celeberrimus Hammondus, quorum Bullus idem testimonia refert: quibus adde Pearsonium, Beveregium, Ernestum Grabium, eosque omnes, qui pro Ecclesiæ Hierarchia, sacrisque ordinationibus defendendis operam suam contulere, qui præcipuum argumentum, unde Catholicum dogma constabilirent, ex Patrum sententiis derivarunt. Videant ergo hæreticorum cæteri, qua fronte, qua audacia, ac temeritate Sanctos Patres, qui commissum sibi, & Ecclesiæ ab Apostolis, & a Christo depositum Christianæ Doctrinæ intactum nobis servaverunt, despiciant, contemnant, aut pro nihilo eorum pendant authoritatem.

At vero quod memorati Novatores tanta effutiunt præfidentia de præsenti argumento nostro, paululum expendamus. *Patrum*, inquit Danæus, *præsidium est prorsus inutile, & infirmum, & deploratæ causæ infallibile argumentum*, subjicit Drelincurtius. Ita ne vero? Etiam ne Patrum priorum Seculorum Ecclesiæ? Etiam, fateantur, oportet. Dogma namque, quod defendimus, nedum a sequioris ævi Patribus, sed ab iis quoque omnibus, qui tria, quatuorve priora Ecclesiæ Sæcula illustrarunt, traditum esse manifestissime constat. En igitur, Sapiens Lector, quo tandem recidat jactata illa tantopere a Novatoribus nostris erga primævam Ecclesiam, ejusque Patres reverentia. Nequaquam erubescunt Saperdæ isti profiteri palam; ac generatim *inutile, & infirmum esse præsidium Patrum*, quin & *notam deploratæ causæ infallibilem*, ac disputare non modo adversus Ecclesiam Catholicam hodiernam, sed etiam contra antiquissimam primorumque Apostolorum doctrinis recens imbutam. Non verentur Sanctissimos Viros, qui etiam magna ex parte Fidem Christianam suo sanguine sanciverunt, turpissimo convicio lacessere, perinde ac si proprio ex cerebro novam de Christi ad Inferos descensu sententiam exprompserint, populisque credendam obtruserint; hoc est veneranda capita impios faciunt Novatores, corruptoresque sacrilegos Christianæ Fidei, & in uno quidem ex Apostolici Symboli articulis; Vah non ferendam temeritatem!

Non est licitum, sequitur Danæus, *in articulo Fidei ad hominum authoritatem se recipere*. At quare *licitum non est*, ad veterum Patrum, quæ primitivæ Ecclesiæ sensum nobis aperiunt, authoritatem confugere, ut saltem agnoscamus, quænam doctrina sit *Articulus Fidei*, quænam inter varias Scripturarum interpretationes cæteris præferenda? Fac Patrum constantem traditionem nullum ex se inducere novum dogma Fidei: neque enim lubet modo hanc controversiam attingere: Patres considera, ut meros Scripturarum Interpretes, quemadmodum & ipsi se profitentur Calviniani Ministri, quis juxta solius prudentiæ, sanæque rationis regulas neget articulum Fidei esse in sacris libris revelatum, quod tot omni exceptione majores testes veluti Fidei articulum in sacris libris revelatum perpetuo, ac firmissime crediderunt? Quis in intelligentia Scripturarum, quæ Christi ad Inferos descensum spectant, potiore præ novitiis istis Interpretibus, authoritate præditos non judicet omnium sæculorum Patres, qui consensione unanimi illum ex sacris litteris collegerunt? Quum de sensu alicujus antiquæ vocis, sive propositionis quæstio est, nonne juxta regulas sanæ criticæ appellamus veterum Scriptorum judicium, ad eorumque confugimus authoritatem, quam jure pro invicto habemus argumento? Nonne contemptione risuque dignus censeretur, qui de sensu decreti a Principe lati disputans, illud intelligere, & explicare vellet contra ac intellexit, explicavitque per omnia retro Sæcula antiquitas? Audacissimi ergo & cum recto ipso sensu temere pugnantes dicendi sunt Novatores nostri, dum eo impudentiæ prorumpunt, ut non vereantur asserere *licitum non esse*, ut assequamur Scripturarum intelligentiam, *ad Patres confugere*, atque hunc recursum tamquam *desperatæ causæ argumentum* infrunite traducere.

Verum persistit Danæus, *Patres non sapere ex Dei verbo, neque sententiam suam ex Dei verbo confirmare: omnes Patrum sententias manifeste pugnare contra illud: hodie mecum eris in Paradiso*. Quare Patres *non sapiunt ex Dei verbo*? Non alia certe de causa, nisi quia Scripturæ authoritates aliter, ac Novatores, in-

intellexerunt. Quare sententiam suam ex Dei verbo non confirmant? Non nisi quia ad Novatorum genium *Dei verbum* non exponunt. Quandoquidem Patres sententiam suam Scripturarum textibus confirmare adeo manifestum est, ut omnem exuisse pudoris sensum necesse sit, qui hoc inficiari audeat. Legantur Patrum authoritates a me allegatæ, & sole meridiano clarius apparebit dogma, quod tradunt, collegisse ex Sacræ Scripturæ locis, ac præsertim ex *Psal.* 15. juxta Apostoli Petri expositionem, adeo ut propter hunc maxime locum, S. Augustinus *non nisi ab infideli negari posse dixerit, Christum ad Inferos descendisse.* Quoad illa autem Christi verba ad Latronem, *hodie mecum &c.*, cum quibus pugnare Patrum omnium sententiam inepte garrit Danæus cum aliis, abunde superius dictum est. Ridendus autem, non refutandus Danæus est, dum Concilia Toletana, & Lateranense primum pro suis stare partibus asserit. Satis enim est ea vel perfunctorie legisse, ut quisquis ipsius non imperitiam, sed fatuitatem redarguat.

Quæ præcipue scribit in eamdem rem Drelincurtius, nolim ego vel obiter ad crisim revocare. Sunt ea verba fanatici hominis, quæ risum cordatis omnibus movent, & ab ipsis inter Protestantes mitioribus ingeniis, tamquam, ut ego quidem arbitror, nimium calefacti cerebri deliria contemnuntur. Ad illud vero, quo nedum Drelincurtius, sed & alii ex Novatoribus fucum facere solent imperitis de dilata Sanctorum ad diem usque supremi Judicii Beatitudine, quam sententiam nonnullis Ecclesiæ Patribus placuisse minime diffiteor, animadverto dumtaxat longe diversam rationem esse, ac de præsenti, quam defendimus, doctrina, ut jam plures ex nostris late ostenderunt, ac novissime V. C. Ludovicus Antonius Muratorius in opere suo contra Burnetum, qui eam jam a multis sæculis sepultam cum suis Authoribus, ex tumulo revocavit in lucem. Ea namque, si placuit pluribus inter primos Christi fideles, & Patres, pluribus etiam displicuit, ut Danæus ipse fatetur. Fons, unde illa primum effluxit, ut vel ab iisdem Patribus observatum est, valde est obscurus, Papias nempe, vir *admodum simplex*, inquit S. Hieronymus. Demum inter Fideles exiguo tempore ea opinio permansit: tertio siquidem, & sequentibus Ecclesiæ sæculis potiores numero, & authoritate Patres oppositam docuerunt. Non idem affirmare licet de doctrina, quam modo tuemur, quæ & a primordiis Ecclesiæ inter omnes obtinuit, & nemine dissentiente usque ad hæc nostra tempora constanti successione pervasit.

Alia via ab hac Sanctorum Patrum, qua premuntur, authoritate, semet expedire conati sunt nonnulli alii ex Calvinianis: quos inter Amesius hæc pro responsione affert (*a*): „ Primo, Pa„ tres varii nihil aliud intelligunt *per* „ *descensum ad Inferos*, quam commu„ nem mortis statum. 2. Descensum de„ scribunt pœnalem, & humiliationis „ partem. 3. liberationem hominum ex „ Inferno appellant sæpe liberationem a „ reatu, & judicio damnationis immi„ nentis. 4. hanc liberationem tribuunt, „ non locali descensui animæ, sed mor„ tis passioni. 5. ex iis, qui localem „ animi descensum tradunt, nihil cer„ ti colligi potest, vel quoad terminum „ *ad quem*, vel quoad finem, & usum „ talis descensus. „

Hæ meræ sunt cavillationes hominum oculos claudentium, ne limpidissimam conspiciant veritatis lucem, in quibus adeo solvendis operam non ludam. Legantur Patrum textus, qui a nobis adducti sunt, &, si mens invictis præjudiciis penitus occupata non fuerit, liquidissime cernet, Patres *pro Christi ad Inferos descensu*, non statum mortis intellexisse, sed transitum animæ Christi ad Inferos, hoc est ad subterranea animarum domicilia: non ut ibi pœnam aliquam sustineret, a quo commento Calvini, immane quantum! absunt Ecclesiæ Patres; sed ut justorum animas in libertatem assereret, deque hoste humani generis, qui eas captivas detinebat, triumpharet. Id perpetuo clamant Sancti Patres: hæc eorum mens lucidissima, quæ ultro legenti se ingerit. Equidem Augustinus aliquando subdubitavit, an nomi-

(*a*) Vide Vindic. Bellarm. T. 1. lib. 4. C. 14.

mine *Inferi* ad quem Christus descendit, locus piorum vita functorum intelligendus foret: sed & ipse in aliorum Patrum sententiam tandem concessit. Liquet etiam ex Parrum lectione quam falso Amesius afferat ex Patribus localem descensum Christi tradentibus nihil certi colligi posse vel *quoad terminum ad quem*, *vel quoad finem* hujusmodi descensionis. Quin potius colligitur, & quidem certissime, ac evidenter *terminum ad quem* fuisse, non *sepulcrum*, sed *Inferos*, hoc est subterranea animarum loca: finem vero, cur Christus descenderit, saltem præcipuum, Sanctorum ex Inferis liberationem: & in hoc, quod est veluti substantia Catholici dogmatis, consentiunt Patres omnes. An vero nedum ad Sanctarum Animarum domicilium, sed & ad aliarum loca processerit Anima Christi, quæstio est, quæ in utramque partem, salva fide, disputatur, & in qua non eadem videtur Patrum omnium extitisse sententia. Ex hoc autem nihil extundere merito possunt hæretici. Quid enim in plerisque Fidei dogmatibus frequentius, ut ipsa articulorum substantia sit apud omnes rata, firma, atque uniformis; differant vero Patres, ac Theologi, in circumstantiis quibusdam, quæ capita dogmatis non attingunt, aut invertunt?

CAPUT ULTIMUM.

Doctrinæ hac tertia parte traditæ, & vindicatæ complexio. Admisso Catholico sensu Descensus Christi ad Inferos, admittere etiam oportet vulgatam de subterranea reproborum sede sententiam. Quædam obiter perstringuntur. Swindenius maxime ex decreto Anglicanæ Ecclesiæ suæ Sanctos Patres, & Ecclesiam saltem veterem audire, ac sequi obstringitur. Sequi etiam tenentur cæteri Novatores. Conclusio totius Dissertationis.

Jam vero ad Disputationis nostræ terminum pervenimus adversus nuperos Sectarios, qui Fidem Ecclesiæ de articulo Symboli Apostolici, *descendit ad Inferos*, pervertere conati sunt, nec aliud pro totius hujus Operis mei coronide agendum mihi video, nisi ut vim, & efficaciam ostendam argumenti, quod ex ea sponte sua, ac præclare consequitur adversum systema Swindenii, cujus causa potissimum suscepta disputatio est, pro subterranea nimirum Damnatorum sede adstruenda. Hocce argumentum, ut ab initio adnotavimus, jam proposuerat Tertullianus *lib.* 2. *de Anima* C. 55. his verbis: *Si Christus descendit ad inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret, habes & regionem Inferorum subterraneam credere*. Quandoquidem si locus Sanctarum Animarum, quæ olim in Testamento veteri hac præsenti vita functæ Christi Salvatoris adventum præstolabantur, in inferioribus terrarum penetralibus est; quis alibi vel constituat, vel requirat Damnatorum carcerem? Quis non irrideat Swindenium impios, atque scelestos homines in globo solari collocantem, dum piorum animas intra terræ viscera delituisse, fateamur, oportet? Hoc equidem minime fatetur Swindenius; sed ex iis, quæ copiose disputata sunt, & uberrime comprobata, adeo perspectum est, manifestumque, ut nemo, nisi qui malit cæcutire in meridie, illud non perspiciat.

Profecto, ut argumenta præcipua tota hac tertia parte latius exposita, compendio colligam; id in primis evidenter eruitur ex ipso Symboli Apostolici Articulo, *Descendit ad Inferos*. Genuinum hujusce Articuli sensum jam dedimus, & in clara luce posuimus. Ostendimus interpretationes recentium Heterodoxorum omnes violentas, ineptas, absurdas, quin & a Sectariis ipsis invicem digladiantibus rejectas, ac Drusium, aliosque inter ipsos æquiores, & eruditissimos viros ultro assentiri, non alium ab initio sensum apud Fideles habuisse, quam qui modo a Catholicis creditur, ac sustinetur. Idem nos ipsi demonstravimus, non alio scilicet in sensu intellectum a Sanctis Ecclesiæ Patribus, primisque Christianis, nec alium respondere verborum proprietati, quibus exprimitur, atque adeo *Inferorum* nomine non *Sepulcrum* designari, non solum in genere mortuorum

sta-

ſtatum, ſed locum nobis inferiorem, ſive in intimis terræ viſceribus conſtitutum: ad quem cum dicitur *deſcendiſſe Chriſtum Dominum*, illud conſequens eſt, ad ea loca migraſſe, ubi degebant vita functorum animæ; neque enim alium terminum tali deſcenſu dignum excogitare fas eſt. Porro vita functorum animæ vel juſtæ ſunt, vel injuſtæ, & ſuppliciis æternis obnoxiæ, ſi ad haſce animas, & nequiſſimos ſpiritus Chriſtum perrexiſſe dicas, ut Symboli articulum quoquomodo ſalves; jam Infernum, ſive Damnatorum Carcerem intra penetralia terræ admittere cogeris: ac proinde repudiare debea ceu Symbolo, quem profiteris, omnino repugnans commentum nuper invectum *de ſede Inferorum in globo ſolari*. At vero hoc ipſum quoque conſequitur, ſi *Inferorum* vocabulum, quod ex ſe, & nativa ſignificatione ſua quælibet loca inferiora terrarum deſignat, juſtarum animarum domicilium ſignificatum intelligas, prout ſemper intellexit, ac intelligit conſtans, ac perennis traditio Eccleſiæ, ut jam diximus, atque ipſemet Swindenius lubens fatetur.

Senſum Articuli, & Catholici Dogmatis in eodem contenti confirmatum a nobis eſt pluribus Scripturarum teſtimoniis, quorum præcipuum illud reputavimus, quod legitur in Pſalmo 15. *Non derelinques animam meam in Inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quæ verba de Chriſto prolata fuiſſe Chriſtianorum nemini dubitare licet, poſtquam S. Petrus *in actibus Apoſtolorum*, tamquam de Chriſto prædicta apertiſſime aſſeruit. Porro vocabulum *Sceol*, in *inferno*, quod habetur in textu hebraico, locum intra terram poſitum denotare late probavimus in ſecunda parte hujus operis. Verum ſi quis etiam vitiligare velit de proprietate ſignificationis vocis *Sceol*, illud certe in confeſſo eſt, ac debet eſſe penes omnes, vocem græcam *Adis*, quam adhibuit S. Petrus, dum ſententiam illam Prophetæ referret, non alio in ſenſu, quam pro inferiore, ſive ſubterraneo loco poſſe uſurpari: ſic enim vocem illam concorditer ſemper uſurparunt Scriptores omnes tum Sacri, tum prophani. Huic adjecimus alia Scripturarum teſtimonia, quæ ſibi mutuo lucem dant, accipiuntque, uti ſunt verba illa Apoſtoli ad Epheſ. C. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ, ut impleret omnia?* Chriſti Domini apud Matth. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ &c.* Sicut etiam Petri in ſua prima Epiſtola & aliorum Scripturæ textuum, quos fuſe expoſuimus, & vindicavimus, productis maxime Sanctorum Eccleſiæ Patrum authoritatibus, qui hunc conſtantiſſime ſenſum nos docuerunt.


D. Swindenius, ut jam ab initio Operis indicavi, cæteris prætermiſſis Scripturarum teſtimoniis, illud ſolum diluere adniſus eſt, quod in laudatis ad Epheſios verbis proponit Apoſtolus, *Chriſtum* ſcilicet *deſcendiſſe in inferiores partes terræ*, reponens his vocibus congrue intelligi hanc ipſam, quam inhabitamus ſuperficiem terræ, quo Chriſtus deſcendit, dum carnem aſſumpſit, allegatque pro hujus explicationis præſidio authoritatem Hammondi, Pearſonii, & Hemingii. At præter alia, quæ notata jam ſunt, quis tribus hiſce Scriptoribus præferendos non judicet tot alios ſacros Expoſitores, etiam ex Proteſtantium cœtu, doctiſſimos? Quis pluris haud faciat tot Patres Eccleſiæ, qui textum illum in expoſito a nobis ſenſu concorditer accepere? Præſertim cum nemo ſapiens diffiteri valeat citata verba commodius ſaltem, & ad litteram longe congruentius intelligi non de ſuperficie, ſed de intimis terræ partibus.

Hæc plane cordatum quemque, nec omnino pervicacem hominem movere poſſunt, ac debent, ut vulgatæ inter Catholicos ſententiæ *de ſubterranea Inferorum ſede* facile aſſentiatur, cum maxime ſatis apertis Scripturarum textibus accedat perpetua Patrum omnium Sæculorum conſenſio: Hanc ſiquidem cum Proteſtantes magni, ſi quid ſapiunt, pendere debeant, tum præ cæteris Anglicanæ Eccleſiæ Theologi, quorum unus Swindenius eſt, qui expreſſo Eccleſiæ ſuæ decreto, Bullo teſte, obſtringuntur, *ut judicium, & conſenſum veteris Eccleſiæ Catholicæ*, quam Patres præcipue refe-

runt, *in Scripturis interpretandis dogmatisque colligendis religiose sequantur*. Et sane Swindenius in suo libello Patrum authoritatem revereri se, ac religiose sequi profitetur, eaque validissime utitur adversus illos, qui nulla habita ratione Patrum non verum, ac realem ignem Inferni, de quo toties in Scripturis mentio, sed metaphoricum esse pertendunt, ut constat *ex cap.* 4. libelli sui. Si igitur veterum Patrum authoritas suspicienda, ac recipienda est, dum de ignis gehennæ qualitate differitur; cur contemnendam putaveris, dum de ejusdem ignis loco, sive situ disputatur? An forte iterum subjeceris non eamdem, quemadmodum de igne, ita & de Inferni situ fuisse inter Patres Ecclesiæ sententiam? At vero quis hoc afferat, si descriptas a me authoritates, tum in superiore libro, tum in hoc de Christi ad Inferos descensione, præjudiciorum vacuus expenderit? Nam, ut eas nunc dumtaxat attingam, quæ pro hac Christi descensione ad Inferos productæ sunt, omnium certe Patrum locutiones Infernum esse locum subterraneum, vel diserte adstruunt, vel tamquam indubitatum præsumunt. Dum enim & Græci in *Adin*, & Latini *ad Inferos*, aut *Inferna* Christum Dominum post mortem descendisse tradunt, quid aliud hisce nominibus significare voluerunt, nisi inferiorem intra terram locum, ut jam ostendimus, & Patres ipsi aperte manifestant? Siquidem quod *Adin* nominarunt, aut *Inferos*, sæpe vocant subinde *subterranea loca*, *subterraneam sedem*, *locum infra terram positum*, aut quid his affine. Et in Græcis quidem Patribus frequenter invenias, loca, ad quæ Christus delapsus est, appellasse ὑποχθόνια, vel καταχθόνια, vel κατώτερα μέρη τῆς γῆς, ut in Epiphanio, Origene, Cyrillo Hierosolymitano, Eusebio Cæsariensi, Justino, Irenæo, Chrysostomo, Gregorio Nysseno, Theophylacto, Anastasio Antiocheno, Anastasio Sinaita, Joanne Damasceno &c.: in Latinis vero, recessum intimum, *& internum*; *& in ipsa terra apertum*, *& intra ipsam clausum*, ut in Tertulliano, *vel locum subterraneum*, ut in Authore carminis apud ipsum: vel *inferiora terræ*, ut in Hilario, Hieronymo, Augustino, aliisque: vel *inferiores partes terræ*, aut quidpiam simile, ut in Primasio, Anselmo, & aliis sexcentis, adeo ut qui tam certam ac splendidam veritatem vel in controversiam trahere velit, is non audiendus, sed contemnendus merito sit.

Quod si etiam ad mentem revocemus omnia, quæ in prima, ac secunda *Dissertationis* nostræ parte abunde dicta sunt, quis non videat, ne levi quidem probabilitatis umbra gaudere nuper excogitatam a Swindenio opinionem? Quis non assentiatur firmissimo, quacumque eam ex parte consideres, inniti fundamento vulgatam de subterranea Inferni sede sententiam? Sicut enim pugnat illa cum principiis doctrinæ Scripturarum, & Ecclesiæ, nec solidum illum fulcrum reperit in iis omnibus etiam incertis, & fallacibus modernæ Philosophiæ sistematis: sic mire admodum consentit ista cum Scripturarum, & Patrum authoritatibus, cum sensu tum veterum Hebræorum, tum Ecclesiæ primitivæ continenti successione ad nos usque profecto, tum innumeris aliis venerandæ antiquitatis documentis. Agnoscat ergo Swindenius quam temere ad novum suum de situ Inferni procudendum commentum animum adjecerit. Agnoscant cum ipso cæteri Heterodoxi, qui mirabili plane audacia communem hanc omnium Sæculorum sententiam contemnunt, ac veluti a *Pontificiis*, ut ajunt, confictam traducunt, atque irrident, quam firma illa & inconcussa authoritate nitatur, quam solidis fundamentis superstructa sit: atque inde colligant, quam turpiter fallantur ipsi in repudiandis tum hoc, tum aliis dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, a cujus sinu per Schisma nimium deplorandum infeliciter discessere.

F. I N I S.



I N:

INDEX
RERUM MAGIS NOTABILIUM.

E R R A T A			C O R R I G E
p. 12	l. 17	Quia potius	Quin potius
p. 16	l. 6	est illustratus	& illustratus
p. 22	l. 30	cupido	rapido
p. 26	l. 30	construerat	construxerat
p. 43	l. 10	Si verbo	si verbis
p. 62	l. 11	quæ profert ipse, tum quæ	quas profert ipse, tum quas
p. 87	l. 28	*Acuntem*	*Aruntem*
p. 90	l. 42	ut a conspectu	& a conspectu
p. 124	l. 30	vero *portæ*	vere *portæ*
p. 139	l. 25	Amoliretur,	legas ita: amolliretur, facillime evincitur. Nam Ruffinus &c.
p. 193	l. 25	in aures	in auras